





74964

INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ

SALVATORIS TONGIORGI S. J.

IN COLLEGIO ROMANO PROFESSORIS

AB EODEM

IN COMPENDIUM REDACTÆ

S

C

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ



P. M.

ANICII

TYPIS M.-P. MARCHESSOU

BIBLIOPOLÆ EDITORIS

1864

CAROLUS DE... DE CATALUNYA
DIPOSIT BIBLIOTECA PUBLICA DE BARCELONA

ALEXANDER PONZA

PRÆPOSITI S PROVINCIÆ ROMANÆ SOCIETATIS JESU

Cum opus, cui titulus *Institutiones philosophicæ in compendium redactæ* a P. Salvatore Tongiorgi, nostræ Societatis sacerdote, latina lingua conscriptum aliquot ejusdem Societatis theologi recognoverint, ac in lucem edi posse probaverint; potestate ab A. R. P. N. Petro Beckx, Præposito Generali, mihi ad id data, facultatem concedo ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo officii mei munitas dedi.

Romæ, 12 Junii 1862.

A. PONZA S. J.

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli O. P.

S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Fr. A. Ligi-Bussi, Archiep. Icon.

Vicesgerens.

Hunc librum denuo excudere interdictum est, auctore invito.

EDITOR AD LECTOREM

Jam pridem in scholis nostris desideratur liber quo adjuvari et promoveri possit fausta illa animorum conversio qua ad venerandas catholicæ scholæ traditiones, duobus abhinc seculis infelici omine interruptas, iterum reducimur; liber, inquam, satis brevis ut discipulorum teneras mentes non opprimat, et simul tamen satis completus ut omnes quæstiones in philosophia agitata, omniaque earum argumenta præcipua contineat; ita antiquitatis studiosus ut veterum magistrorum doctrinam et loquentem rationem intellectas faciat; nec ita tamen recentioribus philosophis alienus ut de eorum sive utilibus sive adversionibus sive periculosis erroribus æquum non ferat judicium.

Varias illas dotes in eximio R. Patris Salvatoris Tongiorgi opere reperiri optimi iudices pronuntiaverunt. Unum appellabimus. Ejus auctoritas summi ponderis est, illud scilicet Belgio episcopatus lumen præmature nuper extinctum, Illustrissimum DD. Malou, Brugensem episcopum. Hæc ejus sunt verba: « Institutiones philosophiæ quæ ab R. P. Salv. Tongiorgi S. J. P. et in collegio Romano philosophiæ professor suis alumnis dictavit et typis romanis nuper descripsit tanto pondere doctrinæ, tanta ratiocinii vi et perspicuitate sermonis eminent, quinimo tam eximio opinionum delectu præstant, ut eas præ cæteris in usum scholæ philosophiæ minoris nostri seminarii Rolariensis adoptaverimus. »

Duplicem porro suarum institutionum R. P. Tongiorgi editionem protulit: alteram prolixiorē, tribus constantem voluminibus, cui tamen philosophia moralis deest; breviorē alteram, quæ totam philosophiam duobus tomis multo minoribus complectitur. Prior illa, in Belgio iterum excusa, facillime comparatur (1); altera e contrario, Romæ semel impressa, vir

(1) Bruxellis apud Goemaere, et Parisiis necnon et Lugduni apud Pélagaud.

ac ne viæ quidem in hac regione obtineri et propagari potest. Hæc tamen est quæ multo melius nostris scholis congruit, in quibus non amplius quam unius anni spatium philosophiæ studio plerumque impenditur.

Quæ cum ita sint, rem utilem et omnibus sanæ doctrinæ studiosis gratam facturos nos fore arbitrati sumus si ab erudito auctore facultatem ejus opus typis denuo mandandi flagitaremus. Hanc non modo ille libentissime concessit, verum etiam, si quæ in hujus libri forma paululum immutanda viderentur et nostræ regionis moribus accommodanda, id in nostro arbitrio posuit.

Hac potestate, ut par erat, caute omnino usi sumus. Licet tamen minimi momenti sint ea quæ immutanda censuimus, non parum, nisi fallimur, et magistros et alumnos juvabunt. Egregia scilicet ea methodus qua quæstiones a se tractatas auctor dispescit tantam partitionum multitudinem aliquando pepererat ut discipulorum mens, in hac saltem regione, magis gravari quam adjuvari illis videretur. Plurimas ex his distributionibus absque ullo claritatis dispendio suppressimus. Eas etiam assertiones quæ totam libri medullam continent, quasque altius memoriæ infigi necesse est, eodem quo in majori opere propositionum nomine insignivimus et ita imprimi curavimus ut ipsos oculos percellerent. Semel etiam aut iterum unam propositionem bifariam perspicuitatis gratia divisimus, et objectiones quæ argumentationum connexionem impediabant post seriem totius demonstrationis remisimus. Id est quod in hac gallica editione nostrum est. Utinam modicæ illæ immutationes utilitatem non modicam augere possint quæ in nostras scholas ex hujus libri propagatione derivanda videtur!

Vallibus Aniciæ, in festo Sancti Patris
Ignatii, 31 Julii 1864.

H. R.

AUCTORIS MONITUM

PLURES a me postularunt, et inter hos nonnulli etiam qui philosophiæ tradendæ munere funguntur, ut ex meis institutionibus philosophicis anno superiore editis, quæ præcipua judicarem excerperem, in usum eorum qui angustiiori temporis intervallo philosophiæ curriulum emetiuntur. Hi eum ingenue faterentur probari sibi sententias ac doctrinas quæ illie traduntur, impediri se tamen aiebant operis prolixitate, quominus opus ipsum in scholas adseiscerent suas, et in quotidianis lectionibus commentandum assumerent. Quare cupiebant libri molem inminui et rerum delectum, quatenus fieri posset, opportuniorem haberi. Quorum ego iudicio cum plurimum tribuam, amicitiaæ vero nihil non debeam, eorum desiderio morem gerere statui, et ad præstandum id quod expetebatur animum adieci. Neque diffiteor hæc in re aliquid mihi difficultatis obstitisse, quod festinare volentem retardavit. Occurrebant enim plura addenda, plura quæ magis essent illustranda potius quam quæ aut demenda, aut arctius contrahenda existimarem. Itaque coactus sum ea solummodo in hoc elementari opere proponere, quæ omnino præcipua ac necessaria essent, et ad mentis institutionem et disciplinam prorsus requiri viderentur. Hinc omisi plures quæstiones, plures vix attingi; redundantiam quamlibet sive in explicandis opinionibus, sive in argumentis afferendis, sive in solvendis objectis vitare studui; reseceavi eruditionem omnem quæ facile parabilis esset; oratione usus sum quam potui brevior, nec valde piguit si jejuna et arida a quopiam existimaretur.

Quum itaque hic liber in studiosorum manus inciderit, summopere sibi persuadeant velim, non totam

se habere ob oculos ac prope manu tenere philosophiam; imo vero fieri non posse ut absque disciplinae adjumentis ac sine voce magistri, solidam ex hoc libro scientiam capiant. Plura inquam necesse est magister adjiciat, illustret, confirmet, sive in schola, sive in repetitionibus, sive in familiari colloquio; plura ipse postea discipulus elementari institutione eruditus, si philosophiæ se tradere ex animo cupiat, prolixiori studio ex majoris ponderis voluminibus haurire debet. In elementari enim institutione vix plus aliquid assequi licet, quam nosse quæ scire oporteat, et quomodo addiscenda ea sint, et unde sit ea scientia comparanda. Atque illud etiam animadverterim, si hoc libello magister utatur, utile fore discenti subinde per otium legere institutionum philosophicarum quas supra memoravi tria volumina, non quia ea judicem optima esse, sed quia hic libellus eorum compendium est, et eadem doctrinæ capita in illis eodemque fere ordine pertractantur. Ac propterea quemadmodum qui solo oculorum obtutu rem aliquam inspexit, si postea tubo optico ad eam rimaudam utatur, multo distinctius et clarius singula contemplatur, fit enim ut omnia veluti latius se porrigant et grandescant; ita studiosus adolescens quæ in hoc libello didicit, enucleata magis et prolixius exposita ibi reperiet, et quæ hic omissa sunt, intelligere poterit: nec lectio hæc confusionem pariet; quod incommodum in libris legendis maxime cavendum est a discentibus. Habes lector mei consilii rationem et finem quem ego et qui mihi hortatores fuerunt, in hoc libello vulgando nobis proposuimus.

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ

PROOEMIUM

4. Philosophia ex vi vocis, est *amor*, seu *studium sapientiæ*: usurpatur autem hæc vox pro ipsa sapientia. Sapientia vero est quædam scientiæ perfectio. Hinc quemadmodum scientia est *rerum cognitio per ipsarum rationes*, ita sapientia non potest aliud esse, quam *rerum cognitio per ultimas altissimasque rationes*.

2. Rerum autem cognitio per rationes ultimas dupliciter intelligi potest: 1^o ut quis rerum omnium et singularum rationes, ab infimis ad supremas usque, cognitione complectatur, quæ quidem acceptione scientias omnes humanas sapientia comprehenderet, imo multo plura quam humana virtus attingere possit. 2^o Sic etiam potest intelligi, ut quis rationes rerum ultimas cognitione teneat, ac secundum eas de rebus dijudicet, quin ad medias infimasque descendat. Hoc pacto intellecta sapientia est homini possibilis.

5. Hæc vero sapientia earum scientiarum collectione continetur, quas philosophiæ nomine complectimur. Hæ enim scientiæ hoc sibi proprium habent, ut rerum omnium rationes, quæ sub diversis respectibus ultimæ sunt, considerandas perscrutandasque suscipiant. Propterea res philosophiæ nomine significata definiiri poterit: *Collectio scientiarum, quæ de ultimis rerum omnium rationibus disserunt*.

Hæ porro scientiæ sunt: *Logica, Ontologia, Cosmologia, Psychologia, Theologia, Physica cum Mathesi,*

Scientia moralis. Ex his Ontologiam Cosmologiam, Psychologiam ac Theologiam *Metaphysicæ* nomine complecti solemus; et ontologiam quidem metaphysicam *generalem*, reliquas vero metaphysicam *specialem* dicimus.

Logica porro, metaphysica et scientia moralis idearum consideratione et analysi perficiuntur; physica vero experimentorum et matheseos instrumento. Hinc in binas partes philosophia a recentioribus dispescitur; quarum altera dici solet *rationalis*, altera *experimentalis* et *mathematica*.

LOGICA

4. Logica, a *λόγος*, ratio, est *disciplina rationalis*, seu *institutio rationis, qua ipsa dirigitur, ut in suis operationibus recte procedat.* Quoniam vero errores omnes iudicio aliquo continentur, definiri quoque logica potest: *Institutio raticnis ad recte iudicandum.*

Institutio hæc sita est in cognitione principiorum atque dictaminum, quæ ad recte iudicandum sequi debemus. Eaque alia est *naturalis*, alia *artificialis*. Naturalis est eorum principiorum atque dictaminum cognitio cuiusmodi natura magistra acquiritur. Artificialis est cognitio hæc eadem arte perfecta. Perfectio autem quam artificialis institutio adjicit naturali, in eo est, quod cum ea principia atque dictamina incomplete et confuse, sola duce natura, cognoscamus, artificiosa institutione accedente, complete et distincte eadem cognoscimus.

5. Logica artificialis est *ars*; quia mentem ad recte iudicandum per præcepta dirigit; ac simul est *scientia*; quia hæc præcepta per proprias eorum rationes demonstrat.

Patet autem ex dictis:

1° *Finem* doctrinæ hujus hunc esse, ut mentem expeditam faciat ac promptam ad recte iudicandum.

2° *Objectum* circa quod versatur, esse mentis operationes, quatenus in eum finem dirigi possunt.

3° *Medium* quo ad finem assequendum utitur, esse præcepta quædam, quibus completa distinctaque notio

traditur regularum, quas ratio sequi debet, ut ad recta iudicia facile ac tuto perveniat.

6. Regulæ autem hujusmodi in duplici differentia sunt: aliæ enim necessariae sunt, ut rationis operationes *rectæ* sint in seipsis; aliæ ut rationis cognitiones sint *veræ*. Illæ a natura intellectualium operationum; hæ ab objectis exsurgunt. Hinc logicæ tractatio in binas partes dispesci jam solet, quarum prima *Dialectica*, altera *Critica* merito appellabitur.

LIBER PRIMUS

DIALECTICA

7. Quatuor sunt operationes mentis præcipuæ, quas dialectica singillatim considerat: hæ sunt *apprehensio*, *judicium*, *ratiocinium*, *ratiociniorum apta coordinatio*. Et quoniam ars recte judicandi vix constare potest sine recte disserendi præceptis, ideo non solum hæ mentis operationes, sed etiam signa quibus illæ exprimuntur, logico attendenda sunt; imo hæc potissimum, quia facilius in iis et attentio defigitur, et artis præcepta intelliguntur. Perspicis ex dictis, dialecticæ tractationem in quatuor partes sponte dividi.

CAPUT I

DE IDEIS EARUMQUE SIGNIS

ARTICULUS I. APPREHENSIONIS NOTIO.

8. Apprehensio, seu perceptio, est *actus quo mens alicujus objecti notitiam capit*. Hæc objecti notitia continetur ipsius expressione, et quasi quadam similitudine, quam mens in se elicit, quæque *idea*, *conceptus*, *notio indiscriminatim* appellatur.

9. Id quod percipiendi actus in mente repræsentat, dicitur perceptionis, seu *ideæ objectum*. Omne autem objectum attributiones aliquas affectionesque sibi proprias

habet, quæ sunt illius quasi quædam intelligibilia lineamenta, quibus cognoscibile est, ac se manifestare potest. Hæ dicuntur *objecti notæ*, vel etiam *determinationes*. Quum vero aliquod objectum mente exprimitur, expressio hæc fit per aliquas ejusdem notas intellectas; quæ quasi quædam ideæ elementa sunt.

10. Objectum porro cum notis omnibus, quascumque in se habet, *objectum materiale* perceptionis appellari solet; idemque, secundum quod habet notas quibus hic et nunc a mente exprimitur, *objectum formale*: et hoc est proprium ideæ objectum.

11. Facile nunc intelliges, quid sit ideæ *comprehensio*, et quid sit ejusdem *extensio*.

Ideæ comprehensio est *complexio notarum, quæ ideam constituunt*. Quo pluribus enim vel paucioribus notis idea constat, eo magis vel minus mens objectum apprehendit.

Extensio autem est *amplitudo ideæ in pluribus vel paucioribus individuis repræsentandis*. Quædam enim ideæ unum tantummodo individuum exhibent, ut est idea *Aristotelis*; quædam pluribus singillatim individuis repræsentandis pares sunt, ut est idea *hominis*.

ARTICULUS II. DE QUIBUSDAM MENTIS OPERATIONIBUS CIRCA RES SUASQUE IDEAS.

12. Eas tantum breviter recensebimus, quarum cognitio ad sequentia intelligenda necessaria est.

1^o *Attentio*. Ea est *actus quo mens se convertit ad rem unam præ cæteris, quas simul percipit, considerandam*; ut quum cælum noctu contuens, in luna obtutum sisto.

2^o *Abstractio*, quæ attentionis species est. Definitur: *attentio, qua ex duobus natura sua conjunctis, unum sine altero cogitamus*. Fit dupliciter:

Primo, quum pars una objecti consideratur, cæteris non attentis. Sic possum de hominis capite, aut oculo cogitare, quin de reliquo corpore cogitem.

Secundo, quum in rei proprietate aut determinatione qualibet mentem sisto, re cui inest, neglecta; sic possum

pomi colorem, aut figuram attendere, pomo ipso non attento.

Rem porro quæ determinatione afficitur, *subjectum* determinationis appellamus, determinationem autem ipsam, *subjecti formam*.

5^o *Reflexio*. Quum mens per attentionem ad proprios actus considerandos se convertit, reflectere dicitur; quia in se ipsa redit, ac se in se flectit. Reflexio igitur est *attentio mentis in proprios actus*. Quæ *psychologica* dicitur, quum mens in proprios actus rediens, suas in eis modificationes considerat; et *ontologica*, quum in actum rediens, objectum solummodo respicit quod per ipsum exprimitur. Ontologica hæc reflexio exsequitur circa ideas idipsum quod attentio circa idearum objecta.

4^o *Analysis* ideæ est *abstractio ad ideas applicita*. Quæ videlicet fit, quum unam solummodo aut alteram ideæ notam attendimus: qua partiali attentione ideam propemodum in sua elementa resolvimus.

5^o *Synthesis* idearum, est *mentis operatio qua plures ideas a se adquisitas in unum componit conceptum*. De hæc suis locis.

6^o *Comparatio* est *operatio mentis, qua ad plures, sive res, sive ideas attentionem dirigens, modo hanc, modo illam considerat, earum inter se relationes inquirens; puta diversitatem, similitudinem, dependentiam, et similes*.

7^o *Apprehensio comparativa*. Est *apprehensio alicujus relationis inter duas, sive res, sive ideas*. Apprehensio itaque, de qua supra (8), duplex distingui debet. Altera est apprehensio *simplex*, qua unum objectum percipimus; altera *comparativa*, qua objectorum relationes apprehendimus. Quum v. gr. unum hominem, et dein alterum intueor, binos actus exsequor simplicis apprehensionis; quum eorum inter se similitudines aut diversitates intelligo, apprehensionem exerceo comparativam.

ARTICULUS III. DIVISIO IDEARUM SECUNDUM OBJECTA.

45. Si proprium idearum objectum spectes, ideæ dispesci possunt:

1^o In *concretas et abstractas*.

Concreta idea dicitur, *quæ rem exhibet, prouti determinatione aliqua afficitur*; videlicet subjectum sua forma determinatum (12, 2^o).

Abstracta, *quæ exhibet determinationem, seu formam veluti separatam ab omni subjecto.*

Hæc idææ: *homo, rotundum, sapiens* sunt concretæ: hæc vero: *humanitas, rotunditas, sapientia*, abstractæ.

44. 2^o In *singulares, universales, particulares, collectivæ, transcendentæ.*

Idea singularis est *ea quæ certum aliquod individuum exprimit*. Est autem individuum, objectum ita determinatum, ut omnes simul ejus determinationes pluribus convenire non possint. Hujusmodi est idea *Romuli, illius arboris, hujus equi*. Determinationes vero quarum ope individua ab invicem distinguere solemus, sunt notæ quædam sensibiles, quæ *individuantes* vocantur, non quia individua constituent, sed quia potius constituunt eorum ideas. Hæc notæ vulgato illo continentur versiculo:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen:
Hæc ea sunt septem, quæ non habet unus et alter.

45. Idea universalis ea est *quæ exhibet unum aliquid, quod in pluribus individuis multiplicatum inesse, et de pluribus dici singillatim potest*. Idea *hominis* v. gr. est universalis; quia id quod exprimit, reperitur in Petro, in Paulo, et in plurimis aliis; et potest iis singillatim attribui: dicere enim potes: Petrus est homo; Paulus est homo; et sic deinceps de cæteris.

Objecta quibus universalis idea applicari potest, quæque ejus extensionem (14) constituunt, *inferiora*, vel etiam *subjecta* idææ universalis a philosophis appellari consueverunt.

Idea particularis est *idea universalis ad unam partem extensionis suæ, eamque indeterminatam coarctata*. Quum dicis v. gr. *aliquis homo, quidam miles*, ideas exprimis particulares.

46. Idea collectiva est *idea plurium singularium quæ ad modum unius considerantur*. Hujusmodi est idea *hujus vel illius familiæ*; idea *Romæ*, quæ exhibet horum ædificiorum collectionem: idea *mundi*, seu collectionis omnium corporum.

Nota 1^o ideam collectivam ad singularem reduci : ejus enim objectum est collectio individua.

Nota 2^o Ideam collectivam ab universali longe differre. Nam etsi utraque ad plura pertineat, et de pluribus dicitur, universalis tamen *distributive* unicuique tribuitur, ac tota unicuique applicatur; collectiva vero omnibus simul sumptis; quia omnia simul sumpta collectivæ ideæ sunt objectum, singula autem individua sunt tantum hujus objecti pars.

Nota 5^o ideam collectivam evadere posse universalem, et postquam universalis facta est, ad particularem restringi. Sic universales ideæ procedunt *familiæ, urbis, exercitus*, aliæque id genus; quarum inferiora non sunt individua, sed collectiones singulares, quæ familia, urbs, exercitus vocari possunt.

17. Transcendens demum idea est, *quæ aliquid exhibet, quod non de pluribus tantum, sed de omnibus dicitur, quæcumque sunt, aut excogitari possunt.*

Transcendentalia sex enumerantur: *ens, res, unum, aliquid, verum, bonum*: hæ notiones, et quæ ex his coalescunt, appellantur etiam indeterminate; suntque in humano intellectu primitivæ omnibusque communes.

ARTICULUS IV. DE UNIVERSALIUM CLASSIBUS.

18. Quæ communia pluribus inveniri, ac de pluribus dici possunt, ad quinque capita revocantur; quæ sunt *species, genus, differentia, proprium, et accidens*. Hæ sunt universalium classes, quæ a veteribus *prædicabilia* vocabantur.

1^o Species est *totum id quod communem plurium individuorum essentiam constituit*. Est porro essentia, si logicam ejus definitionem quæras, *id quod cogitamus, quum respondemus-interroganti: quid sit aliquid individuum*. Cogita v. gr. quid intelligas, quum interroganti respondes: est *homo*; est *circulus*; et hoc est talium rerum essentia.

2^o Genus est *id quod pluribus speciebus invenitur commune*. Sic *homo* et *brutum* hoc commune habent, ut sint animalia. *Animal* itaque est eorum genus.

3^o Differentia est *id per quod unaquæque species*

discriminatur ab aliis speciebus quæ sub eodem genere continentur. Est videlicet nota essentialis, quæ in genere non continetur; quæque ideæ generis conjuncta speciem representat. Hominis species v. gr. a bruti specie differt, eo quod homo rationalis sit, brutum irrationale. Proinde *rationalis* et *irrationale* sunt differentiæ, quæ una cum genere *animal* hominis brutique species constituunt. Unde perspicis, genus et differentiam binas speciei partes esse.

4^o *Proprium*, quod etiam *attributum* dicitur, est *id quod ab essentia necessario dimanat*: v. gr. *facultas videndi*, et *facultas loquendi* sunt hominis proprietates; et esse *divisibilem* est proprietas quantitatis.

5^o *Accidens* est *id quod esse potest in re vel ab ea abesse, salva essentia*; videlicet quin res desinat esse id quod est. *Doctrina* v. gr. est accidens in homine, *rotunditas* accidens in marmore.

19. Quod ad genera et species attinet, notatu digna est subordinatio quam ad invicem habent. Quemadmodum enim genus plures sub se species comprehendit, ita potest altioris generis species esse; atque iterum altius hoc genus sub genere superiori contineri potest; et sic deinceps, donec ad supremum aliquod genus pertingamus, quod sub nullo alio genere contineatur, nisi sub transcendentalibus. Hoc pacto *animal* una cum *planta*, cum sint organica corpora, corporis organici, seu *viventis* sunt species; *corpus* item *organicum* et *inorganicum* sub genere *corporis* continentur: *corpus* autem et *spiritus* sub genere *substantiæ*; quæ horum omnium genus est supremum. Hæc omnia sequens tabella amplectitur.

Substantia	
corporea	incorporea
Corpus	
organicum	inorganicum
Vivens	
animatum	inanimatum
Animal	
rationale	irrationale
Homo	
Hic homo, ille homo, etc.	

Idem in cæteris exsequi licet; ita ut nulla sit idea, quæ rebus individuï applicari possit, quæ, per species et genera ascendendo, ad genus aliquod supremum non reducatur.

Genera hæc suprema, cum iis omnibus quæ sub se complectuntur, *categoriæ* ab Aristotele, a Latinis *prædicamenta* appellata sunt.

20. Hæc porro suprema genera sub transcendentalibus, ut dixi, continentur. Nam et substantia v. gr. est ens, et quantitas, et qualitas entia sunt; omnia enim quæ sunt aut cogitari possunt, sub latissimo entis conceptu comprehenduntur. Nihilominus ens notio generica dici non potest. Nam generis proprium est, ut differentias quibus accedentibus ad varias species determinatur, in suo conceptu non contineat; quemadmodum v. gr. rationale in animalis conceptu non continetur. At nulla differentia inveniri potest, quæ in conceptu entis non contineatur. Quidquid enim ut differentiam enti adjiciendam cogites, hoc erit aliquod ens: si enim ens non erit, nihil erit.

Ens igitur rationem generis propriam non habet, sed omne genus transcendit; atque idcirco notio dicitur transcendentalis.

21. Ex tabulæ consideratione intelliges:

1^o Extensionem ideæ universalis, ejusque comprehensionem (11) se habere in ratione inversa. Etenim quo altiora genera sunt, eo minor est ideæ comprehensio. Sed quo altius est genus, eo plura sub se complectitur. Ergo quo minor est ideæ universalis comprehensio, eo major est extensio, et vice versa.

2^o Intelliges quid sit *species infima*, quid *genus proximum*, et *differentia ultima*, seu *specificæ*.

Species infima ei est sub qua nulla alia species collocatur, quæque immediate sub se individua continet. *Homo* est species infima.

Genus proximum est illud, sub quo species de qua quaeritur, immediate continetur. Hujusmodi est *animal* respectu Petri; *vivens* respectu animalis.

Differentia ultima est ea quæ cum genere proximo speciem constituit. *Rationalis* est differentia ultima speciei hominis.

ARTICULUS V. DIVISIO IDEARUM SECUNDUM
PERFECTIONEM REPRESENTATIONIS.

22. Quodcumque sit ideæ objectum, potest hoc majori vel minori cum perfectione per eam representari. Itaque secundum perfectionem quam ideæ in representando habent, possunt esse :

1^o *Claræ vel obscuræ.*

Idea clara ea est *quæ tot ac talibus constat notis, quot menti sufficientes sint ut objectum repræsentatum ab omni alio discernere possit.* Idea obscura e contrario, *quæ notis constat ad objectum sic discernendum insufficientibus.* Habes ex. gr. ideam claram *solis, hominis, auri,* at obscuram fortasse *bismuti, physiologiæ, hominis individi quem multis abhinc annis vidisti.*

2^o Idea clara potest esse *distincta, indistincta, confusa.* Distincta erit, *si notas, saltem aliquas, quibus objectum a cæteris discernitur, distinguas ab invicem, et enumerare possis.* Ex. gr. idea quam habes hominis, distincta est (20). *Si vero notas distinguere nequeas, vel idea est simplex, adeoque distinctionis incapax, vel ex pluribus notis coalescens.* In primo casu dici debet indistincta, ut est *idea existentia*; in altero confusa, ut est apud plures *idea justitiæ.*

3^o Idea distincta est *completa vel incompleta.* Completa, si *omnes* notas quibus unum objectum a cæteris discernitur, ab invicem distinguas; incompleta, *si non omnes.* *Animalis* ideam completam habes; *magnetis* fortasse incompletam.

4^o Demum idea completa suam ultimam perfectionem nancisceretur, si fieri posset *adæquata, seu comprehensiva.* Tunc autem idea comprehensiva foret, quam mens non modo notas quæ essentiam constituunt, ad ultimas usque radices enucleate cognosceret, sed etiam quæcumque cum essentia sive necessario, sive non necessario connectuntur, distincte complecteretur; ita ut nihil superesset illi in re cognita cognoscendum. Qui v. gr. comprehensivam ideam *extensionis* possideret, ille totam possibilem geometriam comprehenderet. Quisque videt, humanæ mentis infirmitatem ad hanc idearum perfectionem pervenire non posse.

25. Eniti tamen possumus, imo et debemus, ut claras distinctasque, atque adeo completas ideas adipiscamur; id quod scientiarum maxime munus est. Media porro quæ ad hunc finem juvant, sunt attentio, reflexio, comparatio, maturitas in iudicando, ordo in rebus considerandis, scribendi usus, et disputatio.

Criterion autem, seu indicium, quo deprehenditur, utrum quis completam rei ideam sit assecutus, hoc est, si rem sciat definire ac dividere. De definitione ac divisione postea.

ARTICULUS VI. DE IDEIS INTER SE COMPARATIS.

24. Nunc explicabimus denominationes quasdam, quæ ideis inter se comparatis attribuuntur.

1^o Quædam idæ dicuntur *sociabiles*, seu *consentientes*; quædam *insociabiles*, seu *repugnantes*.

Sociabiles sunt, quæ possunt uni eidemque rei simul convenire, et in unam ideam compositam conjungi: insociabiles, quæ non possunt. Doctrina v. gr. et prudentia sunt idæ sociabiles; figura circularis et figura quadrata insociabiles.

25. Ea quæ insociabilibus ideis exprimuntur, *opposita* vocamus. Sunt autem opposita *ea omnia quæ in una eademque re singulari, sub eodemque respectu, simul esse non possunt*.

• Oppositorum vero quædam sunt *improprie* opposita: quædam *proprie*.

Proprie alteri opponitur, quod uni tantum termino sub certa aliqua habitudine repugnat. Improperie, quod multis et absque certa lege. Ita rubrum flavo, viridi, affirmationi, immensitati, aliisque quamplurimis opponitur. Improperie opposita *disparata* quoque dicuntur.

26. Proprie opposita in quatuor genera dividuntur: *contradictoria, privativa, contraria, relativa*.

Contradictoria sunt *nota quævis positiva et ejus negatio*; ut homo et non homo, lux et negatio lucis.

Privativa sunt *nota positiva, et ejus negatio, quatenus in ejus subjecto ad illam habendam apto reperitur*. Hujusmodi sunt visio et cæcitas. Cæcitas enim non dicitur de

lapide aut de arbore, sed de animante quem videndi facultate natura instructum voluit.

Contraria sunt *duo positiva, quæ sub eodem genere posita maxime differunt*. Ita sub genere qualitatis visibilis candor et nigredo, et sub genere opinionis opinio vera et error opponuntur.

Relativa sunt *quæ per respectum ad aliud denominantur*; ut pater et filius, similia, æqualia.

27. 2^o Ideæ, si secundum comprehensionem comparentur, aliæ sunt *identicæ*, aliæ *diversæ*. Identicæ sunt *quæ iisdem notis constant*; diversæ, quæ diversis. Quæ identitas et diversitas, cum ipsas ideas afficiat, merito *intrinseca* dicitur. Homo v. gr. et animal rationale sunt conceptus intrinsece identici; homo et candor sunt intrinsece diversi.

28. 3^o Si ideæ comparentur quoad objecta quæ exprimunt, dicuntur *objective identicæ*, vel *diversæ*. Objective identicæ sunt *quæ unam eandemque rem, sub diversis licet formis, exprimunt*. Objective diversæ, *quæ res exprimunt inter se distinctas*. Idea lapidis, et idea viventis sunt objective diversæ; at ideæ candidi et frigidi, quantum intrinsece diversæ sint, quoad aliquam tamen rem, pnta nivem, sunt objective identicæ. Hæc objectiva identitas et diversitas vocari potest *extrinseca*.

29. 4^o Ideæ *associatæ* dicuntur illæ *quæ ratione alicujus nexus inter ipsas constituti, se mutuo revocant, ita ut, redeunte una, excitetur et altera*. Hujusmodi sunt v. gr. ideæ certæ cujuscumque domus et incolarum ejus.

ARTICULUS VII. DE SIGNI ET VOCABULI NOTIONE.

50. Signum est *id omne quod quum seipsum cognoscenti potentia exhibet, facit ut præter ipsum aliquid aliud cognoscatur*. Hoc pacto respiratio signum est vitæ, et sceptrum regalis dignitatis. Vis hæc qua signum in alterius rei cognitionem perducit, *vis significandi* audit. Quæ quidem tota est in connexionem aliquam, cognoscenti perspecta, quam cum re significata signum habet (29). Connexio autem hæc vel ex rerum naturis oritur, vel hominum arbitrio atque institutione inducta est. Hinc duplex signi genus: *naturale*, et *arbitrarium*. Gemitus ex

gr. naturale signum doloris est, laurus arbitrarium signum victoriae.

51. Signa, praesertim arbitraria, duplici modo rem quam significant, menti offerunt cognoscendam; ex quo est altera signorum divisio in *manifestativa*, et *suppositiva*.

Manifestativa vocamus, quae manifestant rei alterius existentiam, vel praesentiam. Ita arcus praeteritam victoriam et insignia tabernarum foribus appensa res ibi venales annunciant.

Suppositiva dicimus, quae loco rei significatae substituantur, et intelligentiae supponuntur, ut illius vices agant. In hunc modum urbis claves victori delatae, urbis deditionem significant.

52. Inter signa seu naturalia, seu artificialia, voces principatum obtineant. Est autem vox: *sonus animalis ore prolatus*; qui quidem est *inarticulatus*, quum sono continetur simplici, ut gemitus; *articulatus* vero, quum syllabis, quasi articulis quibusdam distinguitur. Voces porro articulate intelligentiae operationes exprimunt, non quidem naturaliter, sed ex hominum instituto, ut patet ex idiomatum diversitate. Voces quae hoc pacto significandi vim acceperunt, *vocabula* nuncupantur. Unde vocabulum definitur: *vox hominis articulata ex hominum instituto significans*.

Logici duo in primis vocabulorum genera considerant, *nomen* et *verbum*.

Nomen duo significat, et rem, quae est intellectus objectum, et ideam rei in intellectu existentem; sed diversimode. Est enim nomen signum *suppositivum* rerum, *manifestativum* idearum: proindeque definitur: *vocabulum rem cogitatum significans*.

Verbum *semper significat aliquem animi actum circa duarum idearum identitatem objectivam vel diversitatem* (28), ut est imperium, desiderium, affirmatio, *adjecta relatione ad tempus*.

Nomen et verbum, prouti sunt propositionis partes, *termini* a logicis vocari solent; quia in ipsis terminatur ac desinit propositionis logica resolutio.

54. Oratio est *vocabulorum complexio ad aliquid significandum ordinata*. Estque *imperfecta*, quum animi

sensum non integrum prodit; ut si dicas : *homo ferox* ; *Petrus solet* : est *perfecta*, quum integram significat sententiam; ut : *Memento te mortalem esse* : *Vidi Petrum*.

ARTICULUS VIII. TERMINORUM DIVISIO.

55. Vi significandi spectata, termini dividuntur :

1^o In *significantes per se*, et *non per se significantes*. Illi sunt, qui *sine ullo addito completam habent significationem*; ut *Petrus, candor, loqui*.

Illi, qui *completam significationem non habent, sed solummodo aliorum vocabulorum significationem modificant*; ut *omnis, aliquis, si, atque*.

Illi a veteribus *categoremata*, hæc *syncategoremata* nuncupabantur.

56. 2^o Dividuntur quoque in *univocos* et *æquivocos*. Notandum, has denominationes convenire primo rebus, et ex iis ad terminos transferri.

Res autem univocæ sunt eæ, quarum nomen idem est et eadem ratio per nomen significata. Æquivocæ sunt, quarum nomen idem est, sed diversa ratio per nomen significata.

Itaque terminus univocus est *qui eandem constanter rationem et essentiam significat, quum de suis significatis dicitur*. Talis est vox *animal*, sive de homine dicatur, sive de pecude.

Terminus æquivocus est, *qui diversas rationes et essentias significat, quum de suis significatis dicitur*; ut *malum*, prouti de pomo dicitur et de boni privatione; et *doctus* quæ vox et de scriptore et de libro diversimode dicitur.

57. Termini porro æquivoci vel *casu* æquivoci sunt vel *consilio*.

Casu, quum idem nomen impositum est rebus diversis significandis, quin ulla relatio inter eas vigens, homines ad id adduxerit. Talis est æquivocatio in vocabulis *malum, os, gallus*.

Consilio, quum rebus diversis significandis idem nomen impositum est propter aliquam relationem inter res signi-

ficatas animadversam. Sic *pes* de animante dicitur et de mensa; sic *doctus* de scriptore et libro.

Termini, qui consilio æquivoci sunt, *analogi* appellantur.

58. Analogia porro quæ æquivocationem inducit, alia dicitur *attributionis*, alia *proportionis*.

Analogia attributionis est in iis rebus quæ eodem nomine significantur, quia relationem habent ad rem eandem, sed diversimode. Sic *sanum* dicitur de cibo, de medicina, de aere, de vultus colore, per respectum ad animalis sanitatem.

Analogia proportionis et in iis quæ eodem nomine significantur, quia sunt secundum aliquam proportionem similia. Est autem proportio: *identitas habitudinis*, quam duo habent ad alia duo. Hoc pacto dicimus *prata ridere*; quia quemadmodum se habet risus in hominis vultu, ita viror herbarum et florum amœnitas in prato.

59. Secundum objecta significata termini dividuntur.

1º In *concretos* et *abstractos*. Quid ii sint, nullo negotio intelliges ex supra dictis (15).

2º In *connotativos* et *absolutos*.

Connotativus est qui significat aliquid ut *inhærens*, seu *adjacens alicui*; ut *sapiens*, *cæcum*, *amabile*.

Absolutus, qui significat aliquid, non ut *inhærens alicui*, sed ut *per se subsistens*; ut *homo*, *Roma*, *cæcitas*, *amabilitas*.

3º In *simplices* et *complexos*.

Simplex est unicum vocabulum ideam aliquam, sive *simplicem*, sive *compositam exprimens*; ut *ens*, *domus*.

Complexus est, qui pluribus vocabulis unam ideam compositam effert; ut *homo prudens*.

40. In hujusmodi complexis unus terminus rem significat, alter rei affectionem vel attributionem; atque ille dicitur *principalis*, alter vero *incidens*.

Terminus autem incidens, si principali convenit secundum totam ejus extensionem (11), appellatur *explicativus*; si vero non secundum totam ejus extensionem principali convenit, at tantummodo secundum partem, dicitur *restrictivus*, vel etiam *determinativus*. In his terminis complexis: *Deus bonus*, *homo mortalis*, incidens est explicativus; in his autem: *homo prudens*, *liber Platonis*.

timens mortem, disputans acute, homo qui dormit, restrictivus.

44. 4^o Demum rei significatæ extensione spectata, termini dividuntur in *proprios* et *communes*.

Proprius est, *qui certum individuum significat*, i. e. ideæ singularis objectum (14) : unde dicitur quoque terminus *singularis*. Hujusmodi sunt *Socrates, Neapolis, Bucephalus*.

Communis est, *qui de pluribus singillatim, et secundum eandem significationem dici potest*; ut *substantia, pater, justus*.

Porro terminus communis, per se et immediate, comprehensionem universalis ideæ (11) significat : mediate vero ea quoque individua quæ illius extensionem constituunt. Unde potest ad extensionem hanc vel ex toto vel ex parte significandam determinari, et sic fieri *singularis, particularis, universalis* et *collectivus*.

V. gr. hic terminus communis *miles* fit singularis, quum dicis : *hic miles*, vel : *miles quem aspicias*.

Fit particularis in his locutionibus : *quidam miles, decem milites, Cæsar est miles* : de quo postremo exemplo infra.

Fit universalis, quum dicis : *milites, omnis miles, nullus miles*.

Fit collectivus in hac propositione : *omnes milites exercitum constituunt*.

Si autem nullo modo terminus communis quoad extensionem determinetur, *indefinitus* appellatur.

45. Hinc pronum est deducere definitiones termini *singularis, particularis, universalis, collectivi, indefiniti*.

Singularis est *ille qui individuum significat*; nempe vel nomine proprio, vel communi facto singulari.

Particularis est *terminus communis ad unum e suis inferioribus* (15), *sed indeterminatum, significandum coarctatus*.

Universalis, *terminus communis, quum omnia sua inferiora singillatim accipienda significat*.

Collectivus, *qui omnia sua inferiora per modum unius accipienda significat*. Reducitur ad singularem (16, 1^o).

Indefinitus est *terminus communis*, quatenus ab *extensione significanda præscindit*.

Hæc melius intelliges ex iis quæ mox subjiciemus de terminorum suppositione.

ARTICULUS IX. DE QUIBUSDAM TERMINORUM AFFECTIONIBUS.

44. Eas vocabulorum affectiones considerat logicus, quarum notio ad rectum vocabulorum usum, et ad variam significationis amplitudinem quam ipsa habere possunt, definiendam necessaria est. Sunt autem hæ affectiones septem : *suppositio, status, ampliatio, distractio, restrictio, diminutio, appellatio*.

45. Suppositio generatim est : *usus termini pro re aliqua*. Ejusdem porro vocis diversa potest esse suppositio, ut quæ ex loquentis intentione, et ex orationis adjunctis sæpe dependet.

Itaque 1^o suppositio potest esse *materialis et formalis*.

Materialis est : *usurpatio vocis pro seipsa*. Exemplum : *Cicero ut vox trium syllabarum*.

Formalis est : *usurpatio vocis pro re aliqua quam significat*. Exemplum : *Cicero fuit consul*.

2^o Formalis suppositio alia *realis* est, alia *logica*.

Realis est : *usus termini pro re significata secundum modum existendi, quem habet extra mentem*.

Logica est : *usus termini pro re significata, secundum modum existendi quem habet in mente*.

Quum dicis : *Plato est homo*, suppositio est *realis*; quum dicis : *Plato est idea singularis*, suppositio est *logica*.

3^o Eadem formalis suppositio duplex est : *singularis et communis*.

Singularis est : *acceptio nominis pro individuo determinato*; ut quum dicis : *hic homo, vel Socrates*.

Communis est : *acceptio nominis communis pro suo significato immediato, vel pro suis significatis mediatis* (41).

4^o Hinc suppositio communis in duas subdividitur.

Altera est : *acceptio nominis communis pro natura*

quæ pluribus individuis inesse potest : hæc dicitur suppositio absoluta.

Altera est : *acceptio nominis communis pro individuis, quæ extensionem ideæ universalis constituunt* : hæc dicitur *personalis*.

Utriusque exemplum habes in his propositionibus. *Homo est nobilissimum animal ; Omnis homo moritur.*

5^o Adhuc : propositio personalis quadrifariam dispescitur ; est videlicet vel *distributiva*, vel *collectiva*, vel *disjunctiva*, vel *disjuncta*.

Distributiva est : *usus termini communis pro suis inferioribus ita enumerandis, ut de singulis seorsum acceptis verificari possit oratio.* Exemplum : *Omne corpus est grave.* Vox *corpus* distributive supponitur.

Collectiva est : *usus termini communis pro suis inferioribus ita enumerandis, ut solum de omnibus simul acceptis verificari possit oratio.* In hac propositione : *Omnes partes æquant totum*, vox *partes* collective supponitur.

Disjunctiva est : *usus termini communis pro uno aut altero e suis inferioribus, coque indeterminato, ita tamen ut de uno aliquo seorsum accepto verificari possit oratio.*

Quum dicis : *aliquis apostolus fuit proditor*, voci *apostolus* suppositionem tribuis disjunctivam.

Disjuncta est : *usus termini communis pro uno aut altero e suis inferioribus coque indeterminato, sed ita, ut de nullo seorsum accepto verificari possit oratio.* Ita adhibetur vox *navis* in hac enuntiatione : *Aliqua navis ad navigandum necessaria est.*

6^o Demum distributiva suppositio potest esse *complete* distributiva et *incomplete*.

Est *complete*, quum inferiora enumeranda sunt *individua* ; ut in hac propositione : *Omne animal est mortale.* Hæc dicitur quoque suppositio *pro singulis generum*.

Est *incomplete*, quum inferiora enumeranda non *individua* sunt, sed *solummodo species termino communi subjectæ* ; ut in hoc exemplo : *Omnia animalia a zoologis describuntur.* Hæc vocari solet suppositio *pro generibus singulorum*.

Quod si in una vel in altera suppositione, aliqua *exceptio* facta intelligatur, suppositio dici solet *accommoda* ; ut

quum dictum legimus : *In Adam omnes peccaverunt.*

46. Status est : *acceptio termini pro iis rebus quæ sunt in tempore adsignificato per verbum ipsi conjunctum.* Quum dicis v. gr. *multi pueri senuerunt*, terminum *pueri* accipis, non pro iis qui sunt aut erunt *pueri*, sed pro iis qui fuerunt.

47. Ampliatio est : *acceptio termini pro pluribus rebus quam quæ existunt tempore adsignificato per verbum ipsi conjunctum.* Hoc pacto accipitur terminus *senex* in hac propositione : *Omnis senex fuit puer*; videlicet : *omnis* qui fuit aut est *senex*; et vox *lugentes* in hac : *Lugentes consolabuntur*; nempe qui sunt aut erunt *lugentes*.

48. Distractio est : *acceptio termini pro iis tantum quæ sunt alio quodam tempore, a verbi tempore diverso*; ut contingit in hac enuntiatione : *Mortui resurgunt.* Explica : *qui fuerunt mortui.*

49. Restrictio est : *Coarctatio significationis termini ad partem tantummodo extensionis, quam ex se haberet.* Fit per vocabula incidentia restrictiva, de quibus supra dictum est (40). Quod si incidens a propria significatione ad improprium terminum transferat, ut quum dicis : *equus marmoreus*; mutatio hæc non proprie restrictio, sed *alienatio* appellatur.

50. Diminutio est : *coarctatio termini ad significandam solummodo partem ejus rei, quam ex se totam significat*; v. gr. quum dico *ruber*, significo subjectum rubrum; si addo : *crine*, coarcto significationem ad hujus subjecti partem.

51 Appellatio est : *applicatio notionis significatæ per unum terminum ad id quod per aliquem alium terminum significatur*; ut quum dico : *magnus dux*, applico homini, ut est *dux*, notionem significatam per vocem *magnus*, ut significem eum in arte militari excellere.

ARTICULUS X. DE DIVISIONIS NOTIONE.

52. Divisio ac definitio sunt media opportunissima ad claras distinctasque ideas acquirendas, et ad terminorum

æquivocationes dissipandas. De his itaque agendum; ac primo de divisione.

Divisio est: *totius in suas partes distributio*. Partes in quas totum dividitur, *membra dividentiæ*, seu membra divisionis a logicis appellantur.

55. Totum autem dicimus *omne id quod unum est, et in plura resolvi potest*.

Apud dialecticos, totum aliud est *actuale*, aliud *logicum*, quod per oppositionem ad primum, vocare possumus *potentiale*.

Totum actuale est *id quod habet essentiam compositam*; sive re, ut *homo*, sive solum secundum considerationem mentis, ut *spiritus*.

54. Partes istæ, si sunt ab invicem realiter distinctæ ac separabiles, dicuntur partes *physicæ*; et ipsum totum dicitur *totum physicum*. Si vero non realiter distinctæ sunt, sed duntaxat secundum mentis considerationem, dicuntur partes *metaphysicæ*; ac totum quod ita compositum concipitur, totum *metaphysicum*.

Anima et corpus organicum sunt partes *physicæ* hominis, genus et differentia sunt partes *metaphysicæ* speciei (18).

Partes autem *physicæ* sunt vel *essentiales* vel *integrales*.

Essentiales sunt *ex quæ toti ita sunt necessariæ, ut vel una ipsarum sublata, illius conceptus pereat*. Hujusmodi sunt anima et corpus in animali.

Integrales sunt, *quæ totius quantitatem constituunt*; ut sunt v. gr. in homine manus pedesque.

55. Ad totum actuale pertinet quoque totum *morale*; quod est *multitudo entium rationalium, quæ inter se relatione aliqua connectuntur*; cujusmodi sunt *familia, civitas, exercitus*. In exercitu v. gr. partes *physicæ* essentielles sunt dux et milites; integrantes, legiones, cohortes, singuli milites.

56. Totum logicum vocamus omnem *ideam universalem respectu earum, quæ sub ejus extensione continentur* (15). Genus v. gr. est totum logicum; *species* sunt ejus partes, Totius logici partes dicuntur partes *subjectivæ*; quia universale de singulis dicitur tanquam de subjectis, ut: *Homo est animal. Brutum est animal*.

ARTICULUS XI. DE VARIIS DIVISIONIS SPECIEBUS.

57. Divisio in primis alia est *vocis*, alia *rei*. Illa *distinctio*; hæc proprio nomine *divisio* appellatur.

Distinctio est *vocis æquivocæ*, i. e. *significatione multiplicis*, secundum suas *significationes distributio*; ut si dicas: hujus *vocis principium* alia significatio est, qua primum in aliqua serie terminum, alia, qua id ex quo aliud procedit, designamus.

Quemadmodum porro sunt voces quibus inest multiplex significandi vis, ita sunt quoque orationes multa significantes, quæ dicuntur orationes *ambiguæ*: atque hæc quoque distinguï possunt; imo frequenter debent.

58. Divisio rei est: *rei per vocem significatæ in suas partes distributio*. Ejus species eruuntur tam a totius quam a partium diversitate.

Itaque 1^o in toto actuali divisio fieri potest tum per partes physicas sive essentielles sive integrales, tum per metaphysicas. Si fiat primo modo, appellatur divisio *physica*; si altero, *metaphysica*.

2^o Præcipuæ divisiones, quæ in toto logico fieri possunt, hæc sunt.

(a) Divisio *generis in suas species*, ut si divides animal in rationale et irrationale.

(b) Divisio *speciei in individua*.

(c) Divisio *subjecti in accidentia*. Subjectum intellige omnem partem subjectivam generis vel speciei (56); accidens, quidquid ad essentiam non pertinet (48, 5^o). Fit igitur hæc divisio, quum diversa accidentia insunt inferioribus alicujus generis vel speciei. Exemplum: *Corporum alia quiescunt, alia moventur*.

(d) Divisio *accidentis in subjecta*: quæ fit, quum inferiora accidentis universalis inhærent diversis inferioribus alicujus generis vel speciei. Exemplum: *Scientia alia est hominis, alia angeli*.

(e) Divisio *accidentis in accidentia*; quæ locum habet, quum accidentia dividenda cadunt in diversa inferiora ejus generis vel speciei, cui inhæret accidens divisum. Exemplum: *Eorum quæ amara sunt, alia salubria sunt, alia insalubria*.

ARTICULUS XII. PRÆCEPTA AD BENE DIVIDENDUM.

59. Quæcumque divisionis ratio adhibeatur, hæc semper servanda erunt.

1° *Divisio sit adæquata*: i. e. omnia membra dividendia simul sumpta totum adæquent. Ratio est manifesta.

Contra hoc præceptum peccari potest et *excessu*, et *defectu*. Excessu peccaret ex. gr. qui corpus animatum cum veteribus divideret in *hominem*, *brutum*, et *plantam*. Peccaret defectu, qui motiva quibus homines ad agendum moventur, esse diceret *vel gloriæ cupiditatem vel lucri desiderium*.

2° *Nullum membrum divisionis debet esse per se toti diviso æquale, multo minus totum divisum excedere*: non enim potest pars adæquare totum aut superare. Ex hoc capite vitiosa est hæc divisio: *Animalium alia sunt sensu prædita, alia ratione*. Animalia enim omnia sensu prædita sunt.

3° *Unum divisionis membrum alterum non includat*. Ratio est quod secus una pars bis repeteretur; ut si quis terrestrem globum divideret in *Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam, et Italiam*.

Hinc logicæ divisionis membra aliquo modo sibi invicem opposita (25) esse debent; scilicet quæ de eodem subjecto simul affirmari non possint. Secus falso affirmares, inferiorum divisi aliud esse hoc, aliud illud. Ex hoc capite vitiosa foret divisio animalis in *rationale, irrationale et quadrupes*.

4° *Divisio fiat primo in proxima et immediata membra; deinde, si opus fuerit, singula membra in suas partes subdividantur*. Membra proxima et immediata sunt, quæ immediate totum, non vero ipsius partem constituunt; quemadmodum quæ immediate partem, non totum constituunt, sunt totius membra mediata. Ratio regulæ est, quod secus agendo, non distinctio et ordo idearum, sed confusio oriretur. Sic ex. gr. bene dividis substantiam in *spiritualem et corpoream*, quia hæc species immediate subsunt generi substantiæ: inepta autem foret divisio substantiæ in *spiritualem, organicam et animatam*.

ARTICULUS XIII. DE DEFINITIONE.

60. Definitio, si spectetur prouti est in mente, idem est ac *notio objecti completa* (22, 3^o) : si consideretur prouti verbis effertur, est *oratio quæ rei notionem completam exprimit*.

Id quod definitione explicatur, *definitum* dicitur. Omne definitum duobus modis significari potest, videlicet per nomen illi significando attributum, et per definitionem. Nomen porro definiti se habet ad definitionem, ut idea confusa, vel etiam obscura ad completam.

Quanquam omnis definitio aliquo modo sit certæ rei explicatio, tamen logici res significatas a rebus significantibus (i. e. vocabulis) distinguentes, definitionem rei a definitione vocis distinguere solent. Est igitur duplex definitio; altera *nominalis*, altera *realis*.

61. Definitio nominalis est *oratio qua res per vocem significata determinatur*. Ejus finis est, ut vocabuli significatio, si quando anceps et obscura sit, explicetur. Determinatur autem res per vocabulum significata, quum ejus rei idea saltem clara excitatur.

Fit definitio nominalis vel adhibita voce alterius idiomatis cogniti, vel voce clariori in eodem idiomate, ut lexicographis in usu est; vel eruendo vocis significationem sive ex ejus origine, sive ex elementis quibus componitur; ut quum dicimus *consulem esse, qui reipublicæ consulit*, et *philosophiam esse sapientiæ amorem*; vel etiam rem ignoto vocabulo significatam, vocibus notis utcumque describendo, juxta quod audientis necessitas requirit.

62. Definitio nominalis explicare rem debet juxta usum intelligentiamque communem. Nihilominus licet quandoque interpretari vocem juxta usum intelligentiamque propriam, statuendo determinatam illam significationem, quam ejusmodi voci nos ipsi tribuimus. Id quod tunc potissimum fit, quum vocis significatio æquivoca est et controversa. Definitio autem quæ affertur, debet esse ejusmodi, ut ab adversario rejici nequeat. Quod si talis non fuerit, probanda erit argumentis idoneis.

63. Definitio realis est *oratio ejusmodi notarum complexionem exhibens, quæ par sit ad distinctam et comple-*

tam objecti ideam excitandam. In hoc differt a nominali definitione, quod illa solum determinat objectum voci respondens, objecti autem ipsius cognitionem non perficit; hæc autem vocis significationem supponit cognitam, ac solummodo objecti significati naturam explicat.

64. Triplex est definitio realis.

1° *Essentialis*, quæ vere ac proprie definitionis nomen meretur. Hæc rem explicat, distincte enumerando notas quæ rei essentiali constituent. Partes vero essentiali sunt vel physicæ vel metaphysicæ (54). Hinc definitio essentialis confici potest vel adhibendo notas quæ sint partes essentiali physicæ, ut si definias hominem : *compositum ex anima rationali et corpore organico*; vel notas quæ sint partes essentiali metaphysicæ, ut quum hominem definis : *animal rationale*.

2° *Descriptiva*, quæ fit ponendo primo genus rei, vel aliquid generis loco, ac deinde unam aut plures ex ejus proprietatibus, vel etiam collectionem aliquam accidentium, quæ illi solummodo rei conveniat. Hoc definiendi genus dicitur *descriptio*, quia rei naturam non scrutatur intimius, sed primis quasi lineamentis adumbrat. Ejus tamen usus frequentissimus est, atque adeo necessarius, quandoque ex objecti natura, quandoque ex nostra ignorantia. E. gr. transcendentalia (47), et summa rerum genera (19) descriptione definimus; quia eorum ideæ simplices sunt, et generica nota carentes. Rerum autem plurimarum species, et individua generis cujuscumque per externa accidentia describimus, quia intima eorum constitutiva ignoramus.

3° *Generica*: hæc conficitur explicando modum ac rationem, qua res gignitur. Hoc pacto definimus lunarem eclipsim : *defectum lucis, quem luna patitur ex interpositione telluris inter ipsam et solem*.

ARTICULUS XIV. PRÆCEPTA AD BENE DEFINIENDUM.

65. 1° *Omnis definitio sit definito clarior.* Definitionis quippe munus hoc est, ut confusam, vel etiam obscuram definiti notionem explicet et illustret. Igitur quum vocabulum definitur, notiora vocabula sunt adhibenda; quum

res adhibendæ sunt ideæ et voces quæ res definito notiores, repræsentent.

Adversus hoc præceptum peccat, qui vocabula adhibet obscura, æquivoca, vaga; aut metaphoris inopportunitur utitur, aut idem per idem explicat; ut si quis definiat diem: *tempus constans horis viginti quatuor*; horam autem: *vigesimam quartam diei partem*.

2^o *Nec latior sit, nec angustior definito*. Erit latior, si conveniat non solum definito, sed etiam aliis rebus a definito diversis, quemadmodum hæc vocis definitio: *signum internarum affectionum*. Erit angustior, si non conveniat omnibus et singulis, quæ sub definito continentur, ut hæc ideæ definitio: *repræsentatio distincta objecti*.

Hinc intelliges, quum ad definitionem essentialem adhibentur partes metaphysicæ, genus et differentia (64), assumendum esse *genus proximum* et differentiam ultimam (21, 2^o), aut saltem, si genus aliquod remotum assumitur, adjungendas illi esse omnes intermedias differentias usque ad ultimam.

3^o *Definitio non sit negativa*. Nam definitio mere negativa non declarat quid sit res, sed solum dicit quid non sit. Quare necessario latior est definito. Si v. gr. definires hominem: *quod est non brutum*, quam multa hac definitione complectereris!

Tamen quum definiri debent duo ita opposita, ut medium non habeant, si alterum positive definieris, poteris alterum per primi negationem definire. Sic definito composito: *quod partibus constat*, definire poteris simplex: *quod partibus non constat*.

66. Hæc insuper notare juverit.

1^o Nomen æquivocum definiendum non est, nisi prius secundum varias suas significationes distinguatur. Ratio est, quod nomen æquivocum non unam tantum essentiam, sed plures significat, quæ diversimode defini postulant.

2^o Substantiæ definiuntur per se, quæ per se coherent, quæ autem substantiæ insunt, definiuntur aliquo modo per substantiam, in qua coherent. Sic motus definitur: *translatio corporis de loco ad locum*.

3^o Habitus et potentiæ definiuntur per suos actus, aut per objecta, ad quæ actus terminantur. Sic logica definitur: *ars recte judicandi*; et vis visibilis: *facultas naturalis percipiendi colores*.



CAPUT II

DE JUDICIO EJUSQUE SIGNO

ARTICULUS I. JUDICII NOTIO.

67. Quum binas ideas inter se comparans intellectus (42, 6°, 7°) deprehendit, eas unam eandemque rem vel res diversas exprimere (28), novum ponit actum, quem *judicium* nuncupamus. Perceptam enim identitatem vel diversitatem ratam habens, eam nutu confirmat suo, affirmatione conjungens ideas quas in objecto convenire vidit, vel separans negatione quas vidit secundum objecta disjunctas. Est igitur *judicium*: *actus quo mens binas ideas aut affirmando componit, aut negando separat.*

Hinc *judicium affirmativum* et *negativum*: affirmativum quum ideas affirmatione jungimus, ut istud: *Deus est spiritus*; negativum, quum ideas negatione separamus, ut hoc: *Deus non est corpus.*

68. *Judicii* vocabulum est, ut vides, metaphoricum, sed huic mentis operationi significandæ in primis aptum. Quemadmodum enim iudex de re sibi subjecta pro auctoritate fert sententiam, ita mens de objectiva idearum identitate vel diversitate decernit. Appellatur quoque *judicium compositio* et *divisio*, ratione idearum quæ sunt *judicii materia*, quæque per judicandi actum junguntur vel separantur. Dicitur etiam *affirmatio* et *negatio*, respectu identitatis vel diversitatis idearum, quæ proximum *judicii objectum* est. Ac demum dicitur *adhæsiō*, sive *assensus* mentis, respectu habito *motivi*, quo mens natura sua trahitur ad affirmandum, quod est veritas apprehensa.

69. Nunc aliquid de quibusdam aliis *judicii* divisionibus.

1° Si modum spectes, quo objectiva idearum identitas vel differentia fit menti manifesta, *judicia* alia *a priori* vocantur, alia *a posteriori*.

Vocantur *a priori* quum *sola idearum consideratio nos docet, eas unum idemque objectum repræsentare, vel non.* Id quod contingit, quum unam ideam in propriis alterius

notis necessario includi contuemur. Hoc iudicium v. gr. *totum est majus sua parte*, est a priori, nam considerantes ideam *totius*, deprehendimus ideam *excedentis partem* in illa necessario contineri. Hujusmodi iudicia dicuntur etiam *necessaria, metaphysica, pura, analytica*.

Vocantur iudicia a posteriori, *quum experientia sola nos docet, unum idemque objectum binis ideis repræsentari, vel secus*. Quum v. gr. manum admovens nivì, sentiensque ex contactu frigus, judicas: *nix est frigida*, iudicium a posteriori effers. Iudicia hæc vocari quoque solent *contingentia, physica, experimentalia, synthetica*.

Hinc vides, duplicem esse cognitionum nostrarum ordinem; quorum alter omnino necessarius ab idearum intrinseca cognatione, alter vero, qui contingens est, ab experientia ortum habet.

70. 2^o Iudicium, sive a priori sive a posteriori, dicitur *immediatum*, quando, facta binarum idearum comparatione, illico patet earum identitas, vel discrepantia: *mediatum*, quando hæc non cognoscitur nisi ope ratiocinii.

74. 5^o Si æquitatem ac rectitudinem assensus spectes, iudicium potest esse *prudens* et *temerarium*. Prudens est, quum sufficientia motiva objectivam idearum identitatem, vel diversitatem suadent; temerarium, quum vel iudicandi motiva insufficientia sunt, vel iudicium fertur antequam motiva expendantur.

Reliquæ iudicii divisiones, postquam de iudicii signo dixerimus, opportunius exponentur.

ARTICULUS II. DE JUDICII SIGNO.

72. Iudicii signum vocale est *enuntiatio*, seu *propositio*; quæ definitur: *oratio quæ aliquid de aliquo affirmat aut negat*, ut: *homo est mortalis. Deus non est mendax*.

Tria sunt elementa, quibus quævis propositio constat.

4^o *Subjectum*, i. e. terminus significans id de quo aliquid enuntiatur.

2^o *Prædicatum*, quod et *attributum*. Est terminus significans id quod de aliquo enuntiatur.

5^o *Copula*, nempe verbum affirmans aut negans, quod grammatici *indicativum* nominant.

Subjectum et prædicatum exprimunt binas ideas, quæ

per judicandi actum componuntur vel separantur; copula vero ipsum componendi seu separandi actum, nempe affirmationem identitatis vel ejus negationem exprimit; atque ideo copula dicitur propositionis forma.

75. Verbum porro affirmationem exprimens, est proprie verbum substantivum, et quidem presenti tempore.

Dixi 1^o verbum substantivum: nam id quod per copulam affirmatur, est identitas objectiva inter subjectum et prædicatum. Identitas autem objectiva in hoc jacet, quod res quam exprimit una idea, est ea res quam exprimit altera.

Neque dicas, alia quoque verba plurima præter verbum substantivum, copulæ munere fungi posse; ut in his propositionibus: *Petrus loquitur; Paulus currit*, aliisque id genus. Etenim verba omnia substantivum verbum includunt; neque ab eo differunt nisi in hoc, quod una cum identitatis affirmatione, prædicatum includunt quod de subjecto affirmatur. Quid enim aliud significatur iis verbis: *loquitur, currit*, nisi: *est loquens, est currens*?

Dixi 2^o verbum affirmationem exprimens, esse verbum substantivum presenti tempore. Omnis enim propositio, quamvis identitatem præteritam vel futuram affirmare possit, affirmationem tamen semper significat præsentem. Itaque relatio quævis ad præteritum vel futurum, tanquam prædicati pars habenda est. Hæc propositio ex. gr. *Justi erunt felices*, hoc pacto resolvenda est: *Justi sunt felices futuri*. Et hæc alia: *Martyres fuerunt invicti*, resolvi non aliter potest, quam ita: *Martyres sunt aliqui qui fuerunt invicti*.

Tripliciter ratione propositiones dividi possunt; spectata nimirum earum *forma, materia, extensione*. Singulas divisiones percurramus.

ARTICULUS III. DIVISIO PROPOSITIONUM RATIONE FORMÆ.

74. Forma propositionum est copula (72); quæ affirmativa esse potest, vel negativa. Hinc propositiones ratione formæ dispescuntur in *affirmativas* et *negativas*. Propositio est affirmativa, quum copula continetur verbo *est*, vel explicito, vel implicito (73); negativa, quum copula constat verbo et particula negante, *non*, ipsi præposita.

Quod si particula negans verbum sequatur, propositio dicitur *infiniti prædicati*; ut hæc: *Socrates est non dives*; quæ, ut vides, ad propositionem negativam facile reduci-
tur.

75. De propositione affirmativa hæc duo diligenter animadvertenda.

1^o *In propositione affirmativa prædicatum tribuitur subjecto juxta omnes et singulas notas comprehensionis suæ* (41). Ratio est, quia quum asseris, prædicatum identicum esse cum subjecto, hoc ipso asseris, subjectum habere omnes et singulas notas, quæ constituunt ideam prædicato prolatam. Ex. gr. quum dicis *aerem esse corpus*, jam dicis aerem esse substantiam, esse aliquid extensum, compositum, impenetrabile, ponderosum, etc.; quia hæc omnia simul idea corporis comprehendit.

2^o *In propositione affirmativa prædicatum generatim habet suppositionem disjunctivam, vel disjunctam*; (43, 5^o) adeoque est terminus *particularis*. Etenim quum affirmamus prædicatum subjecto convenire, nolumus sane affirmare, subjectum esse omne id cui convenit prædicatum, sed solum esse unum aut alterum ex iis, quibus convenit. Sic quum dico: *Cæsar est homo*, non dico Cæsarem esse omnem hominem, sed aliquem.

Excipe ab hac regula ea prædicata, quæ sunt termini singulares, vel singularibus æquivalentes (43); ut sunt in his propositionibus: *Christus est unigenitus Dei. Hæc urbs est Roma*.

76. De propositione quoque negativa duo sunt pronuntiata.

1^o *In propositione negativa prædicatum removetur a subjecto juxta totam prædicati comprehensionem collective sumptam, non vero secundum singulas ejus notas*. Etenim, ut unum non sit aliud, necesse non est, ut nullam omnino notam cum illo communem habeat, sed satis est, si non habeat omnia quæ illud constituunt. Sic, ut *lapis non sit animal*, non est necesse, ut nihil habeat eorum quæ habet animal, sed tantum ut non habeat collectionem illam notarum, ex quibus animalis essentia constat.

2^o *In propositione negativa prædicatum ordinarie suppositionem habet distributivam* (43, 5^o); adeoque est terminus *universalis* (43). Ratio est, quia in propositione

negativa statuimus, subjectum esse rem diversam a prædicato; adeoque non esse neque hoc, neque illud, neque aliud quidquam, quod talis prædicati extensione contineatur. Si enim v. gr. *spiritus* esset aliquod corpus, jam non posset amplius hæc propositio statui: *spiritus non est corpus*.

Ab hac quoque regula excipienda sunt prædicata singularia vel singularibus æquivalentia, quæ distributive supponi non possunt.

ARTICULUS IV. DIVISIO PROPOSITIONUM RATIONE EXTENSIONIS.

77. *Extensio* seu quantitas propositionis determinatur ab extensione, quam in ipsa propositione subjectum obtinet. Quoniam igitur subjectum, considerata ejus extensione, potest esse vel terminus singularis, ad quem reducit collectivus, vel particularis vel universalis vel indefinitus (45), totidem quoque propositionum species habentur: *singulares*, ut: *Luna est corpus opacum*. *Omnia sacramenta sunt septem*; particularis ut: *Quidam philosophi scientia abutuntur*; universalis, ut: *Omnis homo est mortalis*; indefinita, ut: *Homo est beatitudinis capax*.

78. Duò tantum animadvertemus; alterum de propositione universali, alterum de indefinita.

Quoad propositionem universalem notandum est, tres esse distinguendos universalitatis gradus.

1^o Est universalitas *metaphysica et perfecta*, quæ locum habet, quum prædicatum omnibus et singulis subjecti inferioribus necessitate absoluta convenit, ita ut nulla sit unquam possibilis exceptio. Hæc universalitas reperitur in propositionibus a priori (69).

2^o Est *physica*; quando nempe prædicatum singulis subjecti inferioribus convenit ex ordinario naturæ cursu; ita ut non sit absolute impossibilis exceptio: ut in his propositionibus: *Nullus homo potest ambulare super aquas*. *Nullus mortuus redit ad vitam*.

3^o Est *moralis*, sive imperfecta, quæ habetur, quum prædicatum ut plurimum, convenit subjecti inferioribus; ita tamen ut multæ occurrant exceptiones. Exempla: *Omnis juvenis est inconstans*. *Omnis senex est querulus*.

79. Propositiones indefinitæ, quando subjecti suppositio est personalis (45, 40), ut universales habentur; nisi ex contextu sermonis ad aliquod particulare aut singulare subjectum referendæ sint. Hinc propositio ista: *Sinensis est christianus*, falsa putatur, quia prædicatum ne morali quidem universalitate subjecto convenit.

ARTICULUS V. DIVISIO PROPOSITIONUM RATIONE MATERIÆ.

80. Materia ex qua propositiones coalescunt, sunt termini ipsius, i. e. prædicatum et subjectum. Igitur propositionum divisio ratione materiæ ex unitate vel pluralitate subjecti ac prædicati derivatur. Quæ propositio unum habet subjectum unumque prædicatum, dicitur *simplex*, ut hæc: *Homo constans est impavidus*. Quæ plura subjecta vel prædicata continet, seu, quod idem est, quæ plura enuntiabilia simplicia aliqua ratione simul connectit, dicitur *composita*.

Propositionum porro compositarum aliæ sunt *aperte*, aliæ *occulte* compositæ. Aperte compositarum species sunt *copulativa*, *adversativa*, *relativa*, *causalis*, et omnes *hypotheticæ*.

81. Propositio *copulativa* ea est, quæ plura subjecta vel prædicata connectit particulis conjunctivis, *et*, *nec* et similibus. En exempla: *Homo probus est simplex ac prudens*. *Petrus et Paulus Romæ mortui sunt*. *Nec voluptates nec honores mortem arcent animique ægritudines*.

82. Ad copulativam revocatur *adversativa*, seu *discretiva*, quæ plura subjecta vel prædicata conjungit particulis adversantibus, *sed*, *tamen*, *non*, etc. Ut: *Vos mundi estis, sed non omnes*.

83. *Relativa* propositio est ea, quæ partes suas connectit particulis relativis, *ubi ibi*, *quum tunc*, *tantum quantum*, et aliis hujusmodi. Quia nempe partes ejus ita sunt ad invicem comparatæ, ut altera ab altera determinationem aliquam recipiat. Ut quum dicimus: *Qualis est vita, talis est mors*.

Relativa propositio negativa est, quum relationis veritas negatur; ut in hac: *Non tanti homo vult, quantum habet*.

84. Propositio *causalis* est quæ duas propositiones

continet simul eonnexas partieulis causalibus, *quia*, *nam*, etc. Ex quo vides, propositionem hanc duo affirmare, atque insuper alterum ex his tanquam alterius causam statuere. En exemplum. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Causalis, qua talis, negativa est, si causalitatis nexus negetur; ut in hoc exemplo: *Non ideo beatus est homo, quia dives est.*

85. Propositiones, quæ prædicatum subiecto tribuunt vel negant, *categoricæ* dicuntur; quæ vero nihil absolute affirmant aut negant, sed solum *exprimunt unius affirmationis vel negationis ab altera dependentiam*, nuncupantur *hypotheticæ*. Unde ad earum veritatem non partium veritas, sed dependentiæ quæ inter partes asseritur, veritas requiritur. Tres sunt earum species: *conditionalis*, *disjunctiva* et *conjunctiva*.

86. Propositio *conditionalis* duabus constat partibus, seu categoricis enuntiabilibus, quorum prius ponitur tanquam *conditio*, ex qua alterum pendet. Conditio porro logica, de qua hic sermo, est omnis propositio, qua posita, altera ponatur neesse est. Exemplum: *Si bene egisti, præmium recipies*. Facile dignoscitur conditionalis propositio ex particula, *si*, primæ parti præfixa. Prima vero pars dicitur *conditio*, vel etiam *antecedens*, altera *conditionatum*, vel *consequens*.

Nota 1^o conditionalem negativam [esse, quum nexus conditionem inter et conditionatum negatur; ut in hoc exemplo: *Non si anima est simplex, est immortalis*; seu: *Etiamsi anima sit simplex, non tamen est immortalis*.

Nota 2^o conditionalem affirmantem veram esse, si adsit consecutionis nexus inter unam partem et alteram, etiamsi utraque pars ex se falsa sit; ut in hac: *si mundus est increatus, est æternus*.

87. Propositio *disjunctiva* est, quæ plures terminos, vel etiam enuntiationes connectit particula disjunctiva, *vel*, et similibus; ut hæc: *Corpus aut movetur aut quiescit*.

Disjunctiva porro alia est *proprie* disjunctiva, alia *improprie*.

In ea quæ proprie disjunctiva est, partes ita sibi ad-

versantur, ut si altera vera sit, alteram falsam esse oporteat; ut in allato exemplo perspicitur.

In ea vero quæ impropria est, subintelligitur particula *saltem*, ita ut sensus sit: sin minus omnes ejus partes, at certe unam ex iis veram esse. Hujusmodi est hæc disjunctiva: *Vel Paulus, vel Petrus Romæ occubuit.*

88. *Propositio conjunctiva* est, quæ negat duas enuntiationes posse simul esse veras; ut hæc: *Corpus non movetur simul et quiescit.*

89. Vocantur *occulte compositæ* propositiones illæ, quarum compositio est prope latens, et expositione indiget. Præcipuæ sunt:

1^o *Exclusiva*. Est ea propositio, cujus subjectum vel prædicatum afficitur aliqua exclusiva particula, *solum, tantum*, etc. En exempla: *Solus Deus est æternus. Angelus est solummodo spiritus.*

In prima, quæ dicitur *exclusi subjecti*, duo affirmas: et Deum æternum esse, et omne id quod Deus non est, æternum non esse.

In altera, quæ dicitur *exclusi prædicati*, affirmas pariter duo: et angelum esse spiritum, et eundem non esse corpoream substantiam.

2^o *Exceptiva*; quæ dignoscitur ex particula *præter*, aut alia simili; ut: *Quidquid est, initium habuit, præter Deum.* Distinguitur hæc ab exclusiva solo fere formæ discrimine.

3^o *Comparativa*. Hæc non solum assertit vel negat prædicatum convenire subjecto, sed etiam *æque, aut magis, aut minus convenire*, quam alteri; ut quum dicimus: *Mens est corpore præstantior.*

4^o *Reduplicativa*. Est ea, quæ subjectum replicat per particulas geminantes, *quatenus, secundum quod* et similes; ut: *Homo, quatenus intelligens, est liber.* Nempe: Homo est liber; et ratio propter quam est liber, hæc est, quia est intelligens.

ARTICULUS VI. DE PROPOSITIONIBUS COMPLEXIS.

90. Ad compositas propositiones aliquatenus accedunt complexæ. Complexio autem tum in propositionis materiam cadere potest, tum in ejus formam. Complexæ

secundum materiam, proprio nomine *complexæ* vocantur ; complexæ vero secundum formam, *modales*.

91. Propositio complexa secundum materiam est *propositio simplex*, *cujus subjectum vel prædicatum est terminus complexus* (59, 5^o), in quo incidens aliqua propositio continetur ; ut in his : *Deus omnipotens omnia creavit. Plato est philosophus sublimis* : quæ sic resolvuntur : *Deus, qui est omnipotens, omnia creavit. Plato est philosophus, qui est sublimis*.

Duæ sunt igitur partes in propositione complexa ; nimirum propositio *principalis*, et propositio *incidens*. V. gr. *Deus omnia creavit*, est propositio principalis : *qui est omnipotens*, est propositio incidens.

Non opus est ut moneamus, propositiones incidentes alias esse *explicativas*, alias *restrictivas*, quod ex alibi dictis manifestum est (40).

92. De his propositionibus duo hæc animadvertere sufficiet.

1^o Eas esse simplices, ut quæ uno constant subjecto, unoque prædicato. Id quod vel ex eo manifestum est, quod propositio incidens possit semper in adjectivum nomen converti.

2^o Propositiones incidentes quæ subjectum afficiunt, influere in principalis veritatem ; secus, si explicativæ sint.

93. Propositio modalis est, quæ non solum enuntiat prædicatum inesse vel non inesse subjecto, sed etiam *modum quo inest vel non inest*. Ex. gr. hæc propositio : *Deus est justus*, est absoluta propositio ; hæc vero : *Deus necessario est justus*, vel : *Deum justum esse necessarium est*, modalis. In hac altera forma modalis propositionis, absoluta propositio locum tenet subjecti, copula ipsius in infinitivum conversa, et vocatur *dictum* propositionis modalis : modus autem locum tenet prædicati.

94. Quatuor sunt modi, secundum quos unum potest esse alteri identicum vel diversum ; videlicet *necessarium*, *contingens*, *possibile*, et *impossibile*.

Necessarium est : *quod non potest non esse*.

Contingens est : *quod potest non esse*.

Possibile : *quod potest esse*.

Impossibile : *quod non potest esse*.

Hinc quatuor sunt modalium genera ; quæ dicuntur mo-

dales *ex necessario, ex contingenti, ex possibili, ex impossibili*. Sunt autem affirmativæ vel negativæ modales, prouti modus de dicto (93) affirmatur vel negatur; ac veræ vel falsæ, prouti cum veritate vel falsitate modus de dicto affirmatur aut negatur.

ARTICULUS VII. DE PROPOSITIONUM OPPOSITIONE.

95. Oppositio, quod ad propositiones spectat, est : *duarum propositionum mutua repugnantia, quæ ex eisdem de eodem affirmatione et negatione procedit*. Unde sequitur character oppositionis proprius, quod videlicet *binæ propositiones oppositæ simul veræ esse non possint* : idem enim nequit simul esse et non esse.

Conditiones vero, quæ ad propositionum oppositionem requiruntur, ex definitione immediate colliges. Videlicet, ut binæ propositiones oppositæ sint, necesse est 1^o ut habeant idem subjectum; 2^o idem prædicatum; 3^o ut una negando destruat, quod altera ponit affirmando.

96. Oppositio in propositionibus duplex est : *contradictoria et contraria*.

Contradictoriæ ita sunt comparatæ, ut una simpliciter removeat alteram; *tantum videlicet affirmando vel negando, quantum sufficit, ut altera falsa fiat*.

Contrariæ vero in extremis consistunt; ita ut *altera tantum neget de eo quod altera affirmat, vel tantum affirmet de eo quod altera negat, quantum negari vel affirmari potest*.

Sit ex. gr. hæc propositio universalis : *Omnis anima est substantia*. Ut hæc falsa fiat, sufficit, ut aliqua anima non sit substantia. Universalis igitur affirmantis contradictoria erit particularis negans : *Aliqua anima non est substantia*. Quod si illi opponas universalem negantem : *Nulla anima est substantia*, negatione hac in altero consistis extremo. Universalis igitur negans et universalis affirmans contrariæ sunt.

Ecce tibi schema oppositionis contradictoriæ et contrariæ

Contradictoriæ

Omnis anima est substantia. Aliqua anima non est substantia.
Nulla anima est substantia. Aliqua anima est substantia.

Contrariæ

Omnis anima est substantia. Nulla anima est substantia.

Animadvertite porro, 4^o contrarias dici quoque solere laxiori sensu propositiones quascumque, *quarum altera plus neget vel affirmet, quam ad alterius falsitatem requiratur*. Quo pacto illi propositioni : *Omnis anima est substantia*, contraria erit v. gr. hæc : *Decem animæ non sunt substantiæ*; et aliæ propositiones hujusmodi sexcentæ, quæ potius disparate oppositæ dici merentur.

2^o Contradictorias æque ac contrarias simul esse veras non posse; sunt enim oppositæ (95): contradictorias præterea non posse simul esse falsas; contrarias posse. Patet ex dictis.

97. Ut datæ propositionis opposita fiat, hæ duæ statuuntur regulæ :

1^a *Negatione subjecto datæ propositionis præfixa, habebis ejus contradictoriam.*

V. gr. si detur universalis affirmans :

Omne corpus est grave;

præposita negatione, habebis :

Non omne corpus est grave;

quæ æquipollet illi :

Aliquod corpus non est grave.

2^a *Negatione subjecto enuntiationis universalis postposita, ejus contraria prodibit.*

Ita ex hac :

Nullum corpus est grave,

elicies hanc :

Nullum corpus non est grave;

seu

Omne corpus est grave.

98. Notanda. 4^o Propositiones particulares licet altera affirmans sit, altera negans, ut binæ istæ : *Aliquis homo est miser; Aliquis homo non est miser*, non sunt invicem oppositæ. Etenim earum quidem subjectum vocibus iisdem constat; at res per illud significata non necessario est in utraque propositione eadem: quia res hæc est individuum

indeterminatum : atque hinc utraque simul propositio vera esse potest.

2° Propositionis singularis contradictoria fit mutando illius qualitatem, ut :

*Antonius est justus ;
Antonius non est justus.*

3° Generalis regula ad efficiendam contradictoriam propositionis cujuslibet compositæ, hæc est, ut toti propositioni particula negans præfigatur ; ut in hoc exemplo :

Si anima est simplex, est immortalis ;

contradictoria erit :

Non si anima est simplex, est immortalis (86, 4°).

CAPUT III

DE RATIOCINIO EJUSQUE EXPRESSIONE

ARTICULUS I. RATIOCINII NOTIO.

99. Quum binas ideas inter se comparamus, sæpe mens hæret, anceps de objectiva earundem convenientia vel discrepantia. A qua suspensione et cunctatione ut se liberet, non alia illi suppetit via, nisi ut mediatam inter eas comparisonem instituat, ope tertiæ cujuscumque ideæ, quam vel quærendo nanciscatur, vel ultro sibi oblatam arripiat. In hac autem binarum idearum comparisonem cum tertiâ, si qua relatio inter eas deprehenditur, tria hæc contingere possunt.

1° Ut una et altera idea, de quarum relatione inquiritur, a tertiâ objective differat. Quo in casu, nec utrum convenientiam inter se priores illæ, nec utrum discrepent, deprehendi poterit. Licet enim a tertiâ utraque differat, possunt tamen convenire inter se, possunt et differre ; sed neutrum exinde colligitur.

2° At si fiat, ut idea tertiâ se prodat hinc identicam cum una ex prioribus, inde identicam cum altera, tunc enim vero mens intelligit, priores ideas identitatem habere inter

se, iudiciumque ponit affirmativum. Sit v. gr. mens dubia, utrum *mundus sit necne effectus causæ intelligentis*. Binæ ideæ, de quarum relatione quæritur; sunt istæ: *mundus*, et *effectus causæ intelligentis*. Accedat tertiæ ideæ loco hæc: *opus ordinatum*. Apprehendet mens ex una parte: *mundum esse opus ordinatum*; ex altera: *omne opus ordinatum esse effectum causæ intelligentis*. Quare deprehendet quoque, id quod quærebat: *mundum esse effectum causæ intelligentis*.

Hoc autem deprehendit vi principii quod dicunt identitatis: *Duo quæ sunt identica cum uno tertio, sunt identica inter se*. Cujus axiomatis, quum sermo est de identitate idearum objectiva, sensus est iste: Datis tribus ideis; si res quam exprimit 5^a, invenitur eadem et cum re quam exprimit 4^a, et cum re quam exprimit 2^a, sane res quam exprimit 4^a, eadem est ac res quam exprimit 2^a.

3^o Demum potest contingere, ut idea tertia appareat quidem identica cum una ex ideis propositis, sed discrepans ab altera. Tunc autem mens intelligit, propositas ideas discrepare inter se, iudiciumque ponit negativum. Fac te quærere, utrum *homo potens sit independens*. Occurrit tertia idea: *Deo subjectus*. Statim vides, hinc quidem *hominem* vel *potentem* esse *Deo subjectum*; inde vero, *omnem qui Deo subjectus sit, independentem non esse*. Unde clare intelligis, *hominem potentem non esse independentem*.

Hoc perspicitur ope principii quod dicunt *discrepantiæ*, videlicet: *Si ex duobus unum sit identicum cum tertio, alterum non sit, illa duo non sunt identica inter se*. Nimirum, respectu idearum: si res de qua est 3^a idea, invenitur eadem cum re quam exprimit 4^a, non autem cum ea quam exprimit 2^a; sane res quam exprimit 4^a, non est illa quam exprimit 2^a.

400. Operatio mentis hucusque descripta dicitur *rationatio*. Quæ, si dicta resumatur, ita se habet. Quum menti affulget tertia idea, oritur in illa *apprehensio comparativa composita*, nimirum apprehensio relationis, sive identitatis sive discrepantiæ, inter tertiam ideam, et primam ex una parte secundam ex altera. In hac duplici relatione tertiæ ideæ cum reliquis duabus, mens percipit inclusam, et ex ea quasi erumpentem relationem inter ideas

propositas, quam quærebat. Unde fit, ut si priores illas relationes judicando ratas habeat, eam quoque quæ illis implicata est, ratam habere debeat. Ex his manifestum est, ratiocinium sic definiri posse : *Ea mentis operatio, per quam, instituta duarum idearum comparatione cum tertia, illarum inter se identitatem, vel discrepantiam cognoscit.*

401. Notanda. 1^o Identitas vel discrepantia inter binas ideas propositas, quatenus includitur in earumdem relationibus cum idea tertia, ab iisque, mente inspectante, descendit, dicitur ratiocinii *consequentia*.

2^o Tribus judiciis ratiocinium absolvitur. Quorum duo apprehensionem comparativam compositam consequuntur; tertium a consequentiæ apprehensione determinatur : hoc dicitur *judicium mediatum, deductum, consequens*, seu *conclusio*.

3^o Si bina judicia, quæ conclusionem antecedunt, sint analytica (69), ratiocinium vocatur *purum*; si sint synthetica, dicitur *empiricum*; si vero alterum illorum sit analyticum, alterum syntheticum, ratiocinium *mixtum* nuncupatur.

ARTICULUS II. DE RATIOCINII EXPRESSIONE.

402. Ratiocinii expressio dicitur *argumentatio*; ac potest definiri : *oratio quæ unam enuntiationem ex aliis deducit.* Enuntiatio quæ deducitur, dicitur *consequens* seu *conclusio*; illæ vero enuntiationes ex quibus conclusio deducitur, vocantur collective *antecedens*.

Argumentatio simplex et completa, quæ videlicet ratiocinationem unam integre exprimit, appellatur *sylogismus*; qui definitur : *argumentatio quæ tribus constat enuntiationibus, ita inter se connexis, ut duabus positis, tertiam ponere necesse sit.* Patet definitio ex instituta superius ratiocinii analysi; ex qua pariter habes exempla.

Si omnes syllogismi propositiones sint categoricæ (85), syllogismus dicitur *categoricus*, et *simplex*; si qua ex illis sit hypothetica, syllogismus quoque appellatur *hypotheticus*, et *compositus*. Nunc de simplici primum.

403. In syllogismo simplici locum habent tres propositiones, quæ ex tribus terminis bis repetitis conflantur.

Duo illi termini qui in conclusione junguntur vel separantur, dicuntur *duo extrema* : subjectum quidem conclusionis *extremum minus*, prædicatum autem *extremum majus*.

Terminus quo tertia illa idea significatur cum qua extrema comparantur (99), dicitur *terminus medius* : qui si fuerit singularis, syllogismus vocari solet *expositorius*.

Binæ propositiones quibus constat syllogismi antecedens, vocantur syllogismi *præmissæ*. Illa in qua medius terminus comparatur cum majori extremo, appellatur *major* ; illa in qua comparatur cum extremo minori, dicitur *minor*.

Consequentia, ut ex dictis (401, 40) liquet, est : *nexus consecutionis conclusionem inter et præmissas*. Exprimitur ope particulæ illativæ, *ergo*, quæ conclusioni præponitur.

404. Ex varia medii termini cum extremis collocatione in præmissis, variæ syllogismi *figuræ* oriuntur. Est enim syllogismi figura : *medii termini cum extremis apta ad concludendum dispositio*.

Ex varia autem trium syllogismi propositionum quantitate et qualitate, varii uniuscujusque figuræ modi existunt. Definitur autem syllogismi modus : *præmissarum ad conclusionem colligendam apta secundum quantitatem et qualitatem complicatio*.

Conditiones porro ad recte concludendum necessariæ, generalibus syllogismi regulis continentur ; de quibus mox.

ARTICULUS III. DE CONCLUSIONIS RECTITUDINE ET VERITATE.

405. *Rectitudo* conclusionis consequentia continetur : recta enim est conclusio, si ex præmissis consequatur. *Veritas* autem ipsi convenit, quatenus in se spectatur, et independenter a præmissis ; si nempe subjecto tribuat vel neget prædicatum, quod illi tribuendum vel negandum rei natura postulat.

406. Potest autem fieri, ut conclusio recta sit ac simul falsa ; et vicissim vitiosa ac vera.

In hoc syllogismo :

*Omne vitium est probrosum ;
Patientia est vitium ;
Ergo patientia est probrosa ;*

habetur rectitudo conclusionis, sed abest veritas.

In hoc altero :

*Omnis virtus est bona ;
Sanitas est virtus ;
Ergo sanitas est bona,*

habetur veritas conclusionis, sed absque consequentia. In hoc postremo casu conclusio dicitur vera per accidens.

Potest etiam conclusio varios habere sensus, ita ut altero sensu accepta sit vera, altero falsa. Hinc potest conclusio distingui, et ex parte concedi, ex parte negari : at consequentia nunquam distinguitur ; sed respectu illius sensus secundum quem fluit a concessis, conceditur ; secundum alterum negatur quia ex concessis non fluit.

407. Quando in ratiocinio habetur consequentia, quod attinet ad propositionum, quibus constat, veritatem, quædam exstant logicorum pronuntiata, quorum præcipua sunt hæc.

1^o *Ex vero antecedente non potest unquam colligi falsum consequens.* Nam si verum est antecedens syllogismi, v. gr. affirmativi, verum est duo extrema convenire cum tertio ; hoc enim in præmissis affirmatur : ergo non potest esse falsum illa duo extrema convenire inter se ; quod affirmatur in conclusione. Simili modo concludes de syllogismo negativo.

2^o *Si consequens sit falsum, præmissarum saltem unam falsam esse oportet.* Nam secus, falsum sequeretur ex antecedente undequaque vero (1^o).

3^o *Ex falso antecedente tum falsum, tum verum consequens erui potest.* Etenim si falsum est, v. gr. binas ideas cum tertia habere identitatem, potest esse falsum binas illas ideas esse inter se identicas ; et potest esse aliunde verum. In hoc postremo casu, id quod dicitur in antecedente, non erit profecto ratio cur vera sit conclusio : erit tamen ejusmodi, ut, si verum esset, rationis locum obtinere posset. En utriusque exemplum.

*Omne animal est sensu præditum ;
 Arbor est animal ;
 Ergo arbor est sensu prædita.*

Ex antecedente falso habes conclusionem falsam.

*Omne animal est organis instructum ;
 Arbor est animal ;
 Ergo arbor est organis instructa.*

Ex antecedente falso conclusio vera sequitur.

4^o Igitur si consequens verum sit, non idcirco sequitur esse quoque verum antecedens. Potest enim esse verum, quia ex vero sequitur verum (1^o) ; et potest esse falsum, quia verum etiam ex falso consequi potest (5^o).

ARTICULUS IV. SYLLOGISMI SIMPLICIS LEGES.

408. Hæ leges ex ipsa syllogismi natura ortum habent. Octo sunt : et ex his, quatuor syllogismi terminos respiciunt, reliquæ propositiones. Omnes hisce versiculis memoriæ iuvandæ causa consignatæ sunt.

- I. Tum re, tum sensu, triplex modo terminus esto.
 - II. Æque ac præmissæ extendat conclusio voces.
 - III. Nunquam contineat medium conclusio oportet.
 - IV. Aut semel, aut iterum medius generaliter esto.
 - V. Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.
 - VI. Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.
 - VII. Pejorem sequitur semper conclusio partem.
 - VIII. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
- Aliquid breviter de singulis.

409. 4^a regula, post ea quæ diximus (400, 405), nulla eget declaratione. Si termini sunt plures quam tres, vel fiet comparatio duorum extremorum cum tertio, vel non erit in conclusione id quod ex ejusmodi comparatione deduci debuit.

Possunt autem in syllogismo esse plures termini quam tres, tum aperte, tum latenter.

Aperte, ut in hoc :

*Linea A est perpendicularis lineæ B ;
 Linea B est perpendicularis lineæ C ;
 Ergo linea A est perpendicularis lineæ C.*

Etenim *perpendicularis lineæ B*, et *linea B* sunt duo termini inter se diversi.

Latenter hoc vitium irrepere potest pluribus modis. Sit iste syllogismus in exemplum :

Genus humanum est idea universalis,
Adam fuit parens generis humani ;
Ergo Adam fuit parens ideæ universalis.

In quo idem terminus *genus humanum* prius habet suppositionem logicam, deinde realem (43, 2^o).

410. 2^a regula vetat, ne extrema sibi vindicent in conclusione extensionem majorem ea quam in præmissis habuerint; quod accidit, quum terminus qui in præmissis non fuit distributive acceptus (43 5^o), distributive accipitur in conclusione. Ratio regulæ hæc est; si in præmissis unum extremorum particulare est, una tantum pars extensionis ejus eum medio termino inventa est identica; ergo concludas oportet, non secundum totam extensionem, sed secundum unam partem, extremum hoc cum altero identicum esse: secus conclusio plus continebit, quam ex præmissis consequatur. En exemplum :

Animal est substantia (75, 2^o);
Lapis non est animal;
Ergo lapis non est substantia (76, 2^o).

411. 5^a per se patet. In conclusione affirmari debet identitas, vel discrepantia extremorum inter se, non autem medii termini eum uno alterove extremo: hoc enim fit in præmissis. Non potest igitur in conclusione medius terminus habere locum.

412. 4^a præcipit, ut medius terminus in præmissis sit saltem semel universalis, nempe distributive supponatur, et quidem distributione completa (43, 6^o); nimirum pro omni re pro qua accipi potest. Secus esset terminus ille æquivalenter duplex: posset enim duas easque diversas extensionis suæ partes exhibere; quod si contingeret, jam extrema eum uno eodemque tertio non compararentur. In hoc exemplo :

Omne animal terrestre fuit conditum die sexto;
Sed canis meus est animal terrestre;
Ergo fuit conditus die sexto,

medius terminus, *animal terrestre*, distributive sumitur in majori, sed non complete.

113. 5^a et 6^a ex dictis (99; 2^o, 4^o) sunt plane evidentes. Si ambæ præmissæ sunt affirmantes, bina extrema cum medio termino identica sunt; ergo in conclusione non diversitas extremorum inter se, sed identitas est affirmanda.

Si vero utraque præmissa fuerit negans, nec affirmativa, nec negativa conclusio potest inde deduci: licet enim duo extrema a tertio discrepent, possunt inter se identica esse, possunt esse diversa, sed neutrum exinde probatur.

114. 7^a Pars peior, seu debilior, in syllogismo vocatur a logicis præmissa negativa respectu affirmativæ, et particularis respectu universalis. Duo itaque hæc lex præcepit.

1^o Si altera præmissa fuerit affirmativa, altera negativa, conclusio negativa erit: cujus præcepti necessitas nemini ambigua esse potest. Si enim altera præmissa affirmans est, altera negans, unum extremorum cum medio termino identicum est, alterum non. Ergo in conclusione extremorum inter se identitas neganda est (99, 5^o).

2^o Si altera præmissa fuerit particularis, altera universalis, conclusio particularis existet. Si enim conclusio universalis esset, unum ex his duobus consequeretur, vel quod medius terminus bis particulariter acciperetur contra legem quartam (112); vel quod alterum extremorum latius in conclusione quam in præmissis pateret; id quod secunda lex vetat (110). Res exemplis facile intelligitur. In hoc syllogismo v. gr.

Omnis virtus est secundum rationem;

Sed aliqua parcimonia non est secundum rationem;

Ergo omnis parcimonia non est virtus,

subjectum conclusionis latius patet quam in præmissis. Quod si quis diceret:

Omnis virtus est secundum rationem;

Aliqua parcimonia est secundum rationem;

Ergo omnis parcimonia est virtus,

non minus inepte concluderet, quia medium terminum bis usurparet particulariter.

115. 8^a Si ambæ præmissæ fuerint particulares, consequentia nulla erit. Si enim utraque præmissa sit affirmans,

medius terminus in præmissis bis particulariter adhibebitur; ut in hoc exemplo:

*Quædam virtutes sunt gratæ hominibus;
Quædam grata hominibus displicent Deo;
Ergo quædam virtutes displicent Deo.*

Si vero altera præmissa sit affirmans, altera negans, vel medius terminus bis erit particularis, vel extremorum alterum in conclusione latius accipietur quam in præmissis; ut inepta hæc ratiocinatio ostendit:

*Aliquis homo est audax;
Aliquis miles non est audax;
Ergo aliquis miles non est homo.*

ARTICULUS V. DE SYLLOGISMO HYPOTHETICO.

446. Syllogismus hypotheticus est ille, *qui ex præmissa hypothetica conclusionem categoricam deducit* (85). In hujusmodi syllogismo partes hypotheticæ propositionis ita distribuuntur, ut una, vel plures assumantur loco minoris, et quæ remanent, in conclusione deducantur, affirmative vel negative. Unde ea pars quæ minoris loco ponitur, medii termini munus obtinet. Hoc porro concludendi artificium ex ipsa hypotheticæ enuntiationis natura sponte promanat, et ex illa jam intelligitur; sed in particularibus melius intelligetur.

Quoniam tres sunt species hypotheticæ propositionis, triplex quoque est syllogismus hypotheticus, videlicet *conditionalis, disjunctivus, conjunctivus*.

447. Syllogismus *conditionalis* est *syllogismus hypotheticus, qui ex propositione conditionali conclusionem categoricam infert*.

Duplex ejus figura est:

1^a quæ a veritate conditionis arguit ad veritatem conditionati, ut:

*Si Deus est justus, punietur impius;
Sed Deus est justus;
Ergo punietur impius.*

2^a quæ a falsitate conditionati ad falsitatem arguit conditionis, ut:

*Si Ecclesia errat, Deus mentitur,
Sed Deus non mentitur,
Ergo Ecclesia non errat.*

Hæ concludendi rationes evidentè legitimæ sunt, posita veritate conditionalis propositionis (86, 2^o).

118. Quemadmodum autem in hoc syllogismo duæ sunt legitimæ figuræ, ita duæ sunt fallaces et sophisticæ.

1^a quum a veritate conditionati infertur veritas conditionis, ut:

*Si Pompeius occidit Cæsarem, Cæsar mortuus est ;
Sed Cæsar mortuus est ;
Ergo Pompeius occidit Cæsarem.*

2^a quum a falsitate conditionis infertur falsitas conditionati, ut :

*Si Cæsar loquitur, vivus est ;
Atqui non loquitur ;
Ergo vivus non est.*

Ratio cur utraque concludendi ratio sit fallax, una est: quia videlicet dari possunt aliæ conditiones, quibus positis, idem conditionatum verificetur.

Hinc, quando conditio quæ enuntiatur, est unica sub qua conditionatum verificari possit, licet utraque hac figura uti.

119. Syllogismus *disjunctivus* dicitur, qui ex *disjunctiva propositione* arguit.

Duplex est ejus figura, quando disjunctiva propria est (87), et partes habet duas.

1^a quæ negat unam partem in minori, ut alteram in conclusione affirmet. Ex. gr.

*Aut Christus fallitur, aut mundus errat ;
Sed Christus non fallitur ;
Ergo mundus errat.*

2^a quæ affirmat unam partem in minori, ut alteram in conclusione neget. Ex. gr.

*Aut movetur terra, aut movetur sol ;
Sed terra movetur ;
Ergo non movetur sol.*

120. Harum argumentationum rectitudo a veritate dis-

junctionis propositionis dependet (87). Itaque, ut tam uno quam altero modo argui possit, tres conditiones requiruntur: 1^a ut nihil aliud ea in re de qua agitur, affirmandum in disjunctiva supersit; 2^a ut bina disjunctivæ membra non possint simul vera esse; 3^a ut eadem non possint simul esse falsa. Ex hujus tertiæ conditionis defectu ineptissima est v. gr. hæc ratiocinatio:

*Spiritus, aut est pars corporis, aut motus corporis ;
Sed non est pars corporis ;
Ergo motus corporis est.*

421. Si disjunctivæ membra plura sint quam duo, tres erunt hujus argumentationis figuræ.

1^a negat unum membrum, ut cætera in conclusione disjunctive affirmet.

2^a negatis omnibus, præter unum, hoc in conclusione affirmat.

3^a affirmato uno, concludit negando cætera copulative. Quæ omnia ex disjunctivæ propositionis natura (120) satis manifesta sunt.

422. Syllogismus *conjunctivus* est qui ex *conjunctiva propositione* (88) arguit.

Una tantum est hujus syllogismi figura; videlicet quæ affirmat unum membrum, ut alterum negando concludat. En exemplum:

*Caius non poterat tali die esse Romæ et Neapoli ;
Sed tali die erat Romæ ;
Ergo non erat Neapoli.*

Argumentatio hæc ex ipsa conjunctivæ propositionis natura exoritur. In ea enim statuimus, duo non posse simul ut vera affirmari. Ex quo etiam patet, quare a falsitate unius partis alterius veritatem inferre e conjunctiva non possimus.

ARTICULUS VI. DE SYLLOGISMIS COMPLEXIS.

425. Syllogismi qui propositiones complexas (91) continent, quamvis sint syllogismi simplices, difficultatem tamen quandoque faciunt, duplici præsertim ex capite.

1^o Quum extremum complexum in præmissis dividitur.

ita ut una pars cum medio termino copuletur in majori, pars altera in minori; ut in hoc exemplo :

Christus est Deus;
Maria est mater Christi;
Ergo Maria est mater Dei.

Et vero apparens hæc anomalia tollatur, expositio aliqua aut integratio sufficit. Sic datus syllogismus ad consuetam formam facile reducitur :

Mater Christi est mater Dei;
Maria est mater Christi;
Ergo Maria est mater Dei.

2^o Quandoque ex eo oritur difficultas, quod in conclusione propositio quæ principalis videtur, sit revera incidens, et quæ videtur incidens, sit revera in ratiocinatione principalis.

Quum dico v. gr.

Evangelium præcipit, ut inimicos tuos diligas;
Sed Antonius est inimicus tuus;
Ergo evangelium præcipit, ut Antonium diligas;

argumentum quod propono, his revera propositionibus continetur :

Inimici tui sunt a te diligendi, ex evangelii præscripto;
Antonius est inimicus tuus;
Ergo Antonius est a te diligendus, ex evangelii præscripto;

qui syllogismus omnino ad regularem formam est exactus.

ARTICULUS VII. DE CÆTERIS ARGUMENTATIONIBUS QUÆ AD SYLLOGISMUM REDUCUNTUR.

424. Sunt quædam aliæ argumentationes, quæ quoad externam speciem a syllogismo differunt, at secundum intrinsecam suam formam ad eundem reducuntur. Præcipuæ sunt *enthymema*, *sorites*, *dilemma*.

Enthymema est *syllogismus mutilus*, cujus videlicet alterutra præmissa relicta: ut si dicam :

Pauperes sunt homines :
Ergo non sunt contemnendi.

Frequens est ejus usus, præsertim quum id quod deest, per se intelligitur, et facile potest ab audientibus suppleri.

Utra præmissarum in enthymemate reticeatur, facile deprehenditur, si notetur utrum extremorum in enthymematis antecedente reperiatur. Hoc pacto deteges, in allato exemplo deesse majorem. Quod si neutrum extremorum in antecedente reperiri contingat, syllogismus integer erit hypotheticus, ut iste :

*Sol quiescit ;
Ergo terra movetur.*

125. Sorites est series propositionum ita connexarum, ut prædicatum primæ fiat subjectum secundæ, prædicatum secundæ fiat subjectum tertiæ, et sic deinceps, donec tandem conclusio fiat, jungendo subjectum primæ propositionis cum ultimæ prædicato. En exemplum :

*Qui cupiditates suas non coercet, multa desiderat ;
Qui multa desiderat multis eget ;
Qui multis eget, inquietus vivit ;
Qui inquietus vivit, est miser ;
Ergo qui cupiditates suas non coercet, est miser.*

Hæc autem argumentandi ratio evidenter concludit : quum enim alterum alteri tribuitur tanquam subjecto, quot sunt ea quæ de attributo dicuntur, totidem etiam de subjecto dici possunt (75, 4^o).

126. Facile intelligis soritem esse reipsa syllogismorum acervum, propositionibus quibusdam detractis. Revera potest sorites resolvi in tot syllogismos, quot sunt præmissæ, una dempta. En tibi resolutionis formulam :

Sorites	Resolutio
1. A est B ;	B est C ; A est B ;
2. B est C ;	Ergo A est C.
3. C est D ;	C est D ; A est C ; Ergo A est D.

4. D est X :	D est X ;
	A est D ;
Ergo A est X.	Ergo A est X.

427. Ut sorites recte concludat, duo hæc sunt potissimum cavenda.

1^o Ne inter propositiones affirmantes negans ulla subrepat. Multo magis cavendum, ne omnes præmissæ negantes existant. Nihilominus præmissa illa quæ proxime conclusionem antecedit, negativa esse potest; dummodo ipsa quoque conclusio sit negans. Horum ratio patebit, si consulas resolutionis formulam.

2^o Nulla propositio sit particularis, nisi forte prima. Quod si prima fuerit particularis, etiam conclusio particularis esse debet. Hoc quoque liquet ex resolutionis formula.

428. *Dilemma est argumentatio composita, in qua duabus disjunctive adversario propositis, ostenditur ex unoquoque membro aliquid contra ipsum concludi; unde inferitur hoc ipsum absolute concludendum esse.* Sic ex. gr. arguere licet contra scepticos, qui negant veritatem ullam ab humana mente cognosci posse.

Aut vestra ista propositio vera est, aut falsa.

Si vera est, jam falsum est veritatem cognosci ab homine non posse; quia aliqua veritas est a vobis cognita.

Si falsa est, iterum falsum est veritatem cognosci non posse; quia propositio quæ hoc affirmat, fatentibus vobis, est falsa.

Ergo quidquid dicatis, falsum est veritatem cognosci ab homine nunquam posse.

In hoc exemplo perspicis, integrum dilemma quatuor constare enuntiationibus, quamvis non semper omnes exprimi necesse sit.

Prima *disjunctiva* est; secunda et tertia sunt *conditionatæ-causales*; quarta est conclusio *categorica*.

Hæc autem argumentatio dilemma vocatur, quia ejus disjunctiva duobus, ut plurimum, membris constat.

129. Tribus modis dilemma vitiosum esse potest.

1^o Si divisio quæ fit in disjunctiva, non sit completa. Tunc enim adversarius habebit effugium.

2^o Si quod inferitur ex unoquoque membro, vitiose inferatur, aut solum eum probabilitate; in utroque enim

casu elabatur adversarius, vel negando consequentiam, vel deducendo oppositum probabile.

3^o Si possit retorqueri. Fit autem retorsio dilemmatis, quum arrepta eadem disjunctiva, inferitur e singulis membris conclusio opposita arguentis conclusioni.

Exempla sunt vulgatissima.

CAPUT IV

DE METHODO

ARTICULUS I. QUID SIT METHODUS ET QUOTUPLEX.

150. Methodus est *via seu ratio aliquid faciendi*; nimirum: *ordo servandus in operationum nostrarum serie disponenda, ut finem nobis præstitutum assequamur.* Pertinet ad logicam, ut agat de methodo quæ servari debet, ut et ipsi veritatem assequi, et eam cum claritate ac soliditate cæteris communicare possimus. Profecto si in omnibus quæ aliquantulum complexa sunt, necessaria methodus est, multo magis quum de veritate ac scientia agitur. Pauca enim sunt, quæ immediato obtutu, vel una eaque obvia ratiocinatione in re scientifica deprehendimus; multo sunt plura, quæ longam observationum, comparationum, ac ratiocinationum seriem expostulant. In his autem, quæ mentis nostræ infirmitas est, facile contingit, ut a recto tramite deflectamus, nisi suo quæque loco disponere, et opportune ad finem dirigere noverimus.

151. Primo de ipsa methodi varietate dicemus, generatim tamen; minuta enim illa documenta, quibus ars sive discendi sive docendi constat, melius pro re nata, et ubi opportunitas se offert, traduntur, et exercitatione ipsa addiscuntur.

Cognitionum nostrarum objecta uno mentis obtutu distincte et complete comprehendere non possumus; sed hausta per primum obtutum cognitione objecti confusa, necesse est ut repetitis actibus ad singulas partes accedamus, quibus successive consideratis, cognitionem dis-

tinctam assequimur. Hinc sequitur, in dati objecti consideratione alterutra nobis insistendum esse via.

152. Primo enim incipere possumus a totius, sive actualis sive logici (53, 56) consideratione, prouti illud confusa cognitione primo attingitur, ut deinde per gradus ipsum resolvamus, donec ad ultima ac simplicissima elementa deveniatur.

Secundo, incipere possumus a simplicissimis objecti elementis, gradum successive facientes ad elementa magis composita, donec totum complectamur.

Duplex igitur est cognitionis methodus; prior *analytica*, posterior *synthetica* nuncupatur. Illa a compositis ad magis simplicia, et a minus universalibus ad magis universalia progreditur; hæc a simplicibus ad composita, et a magis universalibus ad minus universalia vel singularia descendit. Illa vocari quoque solet methodus *inventionis*, quia ea via graditur mens quum veritatem invenit; hæc methodus *doctrinæ*, quia ad docendum est, ut plurimum, opportunior.

153. Quum agitur de alicujus propositionis veritate expendenda, propositionis ejusdem subjectum est objectum quod considerandum suscipimus; prædicatum vero est hujus objecti nota seu elementum. Subjectum igitur propositionis est totum actuale, cujus pars metaphysica (54) est prædicatum; est item unum ex inferioribus prædicati, quia continetur in illius extensione (15).

Hinc si in propositionis veritate expendenda a *subjecti* consideratione exordimur, ut ad prædicatum ratiocinando deveniamus, a toto, a minus universali gradimur ad partem et ad magis universale, adeoque methodo utimur *analytica*: quod si a consideratione *prædicati* initium ducimus, ut prædicatum reducamus ad subjectum, ordine inverso procedimus, ac methodum amplectimur *syntheticam*.

154. Quando iter quo ad conclusionem fit gradus, non unico ratiocinio, sed plurium serie ratiociniorum continetur, utriusque methodi discrimen fit plane manifestum. Soritis v. gr. quem supra descripsimus (123), processus est evidenter analyticus. In eo enim subjectum conclusionis (*qui cupiditates suas non coercet*) suppeditat nobis medium (*multa desiderat*), per quod tandem aliquando devenimus ad conclusionis prædicatum (*miser*).

Quod si processu synthetico eandem conclusionem colligere velles, incipiendum tibi esset a prædicato (*miser*), sub quo invento medio (*qui inquietus vivit*), devenires tandem ad conclusionis subjectum (*qui cupiditates suas non coercet*) Unde sorites prodiret hujusmodi :

Qui inquietus vivit, miser est ;
Qui multis eget, inquietus vivit ;
Qui multa desiderat, multis eget ;
Qui cupiditates suas non coercet, multa desiderat ;
Ergo qui cupiditates suas non coercet, miser est :

qui sorites, ut vides, est omnino præcedentis inversio, atque ideo vocatur *regressivus*.

ARTICULUS II. DE ARGUMENTATIONE DEMONSTRATIVA.

455. Attento fine quem argumentatio spectare potest, dividitur hæc in *demonstrativam*, *probabilem*, et *sophisticam*. De unaquaque breviter.

Argumentatio demonstrativa, seu demonstratio, est *argumentatio legitima, quæ ex evidentibus præmissis veritatem aliquam evidentem facit*. Per hoc itaque a cæteris legitimis argumentationibus differt, quod præmissas certas et evidentes habet. Sunt autem præmissæ evidentes vel immediate quum per se patent, vel mediate quum per immediate evidentes jam demonstratæ sunt.

Demonstratio dicitur *simplex*, quando unico ratiocinio continetur; *composita*, quando per plurium seriem ratiociniorum ad conclusionem devenit.

456. Ex definitione facile intelliges 1^o præmissas demonstrationis esse *causas*, quæ veram ac certam cognitionem conclusionis gignunt.

2^o Eas esse *priores* conclusionem, quatenus veræ cognosci debent, antequam conclusionis veritas cognoscatur.

3^o Esse denique *notiores* conclusionem, quatenus menti se suadent promptius ac facilius quam conclusio.

4^o Intelliges quid sit scientia, quæ demonstrationis effectus est. Est videlicet: *certa rei evidentis cognitio per propriam illius causam*.

457. Duplici modo procedere potest demonstratio,

directo nempe et indirecto; unde demonstratio *directa* et *indirecta*.

Demonstratio directa est, quum ostendimus, prædicatum quæstionis convenire subjecto vel secus, per aliquas notas, quæ sive subjecto sive prædicato certo insunt. Sic demonstro, *Deum non esse dependentem ab alio*, per hanc notam: *causa prima*, quæ est de ratione subjecti: nam causa prima dependens ab alio esse non potest.

Demonstratio indirecta est, quum ex contradictoria propositionis probandæ conclusionem directe deducimus evidenter absurdam: qua re ostendimus contradictoriam assumptam esse falsam (107, 2^o); adeoque propositionem a nobis probandam esse veram (96, 2^o). Sic v. gr. negantem *Deum esse æternum*, ita aggredior:

Quod non est æternum, ab aliqua causa productum est;

Sed per te Deus non est æternus;

Ergo Deus ab aliqua causa productus est; nempe.

Causa prima producta est ab alia causa priore; quod est absurdum.

158. Si medium species quo demonstratio directa utitur, ea dispescitur in duas, quarum altera dicitur *a priori*, altera *a posteriori*. Animadvertite hoc loco, *prius* et *posteriorius* non ad ordinem logicum, videlicet ad cognitionum nostrarum ordinem, sed ad ordinem, ut aiunt, *ontologicum*, seu ad ordinem rerum earumque objectivam dependentiam referri. Nam in omni quidem demonstratione conclusio secundum ordinem logicum posterior est præmissis, ab iisque dependet (156, 2^o); at non semper in ordine ontologico veritas quæ in conclusione enuntiatur, ab eorum quæ in præmissis continentur, veritate dependet.

Igitur quando veritas quæ est in conclusione, dependet secundum ontologicum ordinem a veritate eorum quæ sunt in præmissis, demonstratio dicitur *a priori*.

Quando autem in eodem ordine ontologico, veritas quæ est in præmissis, dependet a veritate quæ est in conclusione, demonstratio dicitur *a posteriori*.

159. Adverte porro, duplici modo in ontologico ordine posse esse aliquid altero prius: nempe *physice*, quæ prioritas est causæ respectu suorum effectuum, et *metaphy-*

sice, quæ prioritas est essentiæ respectu attributorum entis; quia attributa ab essentia quasi dimanare concipiuntur.

440. Omnis propositio quæ in syllogismo demonstrativo fundamenti loco ad demonstrandum assumitur, demonstrationis *principium* dicitur; quia ab ipsa, veluti ex fonte, conclusionis scientia promanat. Horum autem principiorum alia sunt immediata, alia mediata ac demonstrata per alia principia; alia item a priori seu analytica, alia a posteriori seu synthetica (69). Principia analytica absolutam naturam suam universalitatem habent (69, 78, 40); synthetica vero universalitatem ex inductione hauriunt; de qua mox.

441. Aliquando ad demonstrandum principia adhibemus dubia vel etiam falsa, quæ tamen ab adversario ut vera recipiuntur. Hæc demonstratio dicitur *argumentatio ad hominem*, si ex adversarii principiis propriam quis conclusionem inferat; et *retorsio argumenti*, si ex principiis quibus adversarius contra nos pugnat vel ex ejus conclusione, aliquid quod ipsi non arrideat, deducimus.


ARTICULUS III. DE INDUCTIONE.

442. Inductio, qua synthetica principia formantur, est *argumentatio per quam concludimus de subjecto universali id quod de inferioribus ejus singillatim affirmavimus vel negavimus, experientia docente.*

Est duplex: *completa et incompleta.*

Completa est, quum de toto universali concludimus id quod de omnibus inferioribus ejus singillatim affirmavimus vel negavimus; ut si enumeratis erroribus, quorum singuli sensus occasionem nobis præbent, omnem sensum erroris occasionem ab ipso esse, vix non videt, inductionem completam, supposita singularium omnium assertionum veritate, argumentationem vicinam esse et per se evidentem.

443. Inductio incompleta fit, quum concludimus de universali subjecto id quod de multis inferioribus ejus singillatim affirmandum vel negandum esse cognovimus. Hoc argumentum v. gr. discimus, *omne corpus sibi gravitatem deorsum agi*, et plurimas alias físicas veritates. Inductio incompleta fundatur in experimentis habitis circa plura individua.



quorum ope deprehendimus, variatis licet omnibus adjunctis, eandem illis proprietatem, actionem, passionem, aut aliquid hujusmodi constanter et uniformiter convenire. Si hoc noverimus, ratiocinando concludimus, non fortuito, nec vi adjunctorum, constantem hunc et uniformem effectum haberi, sed a causa quæ in omnibus individuis observatis eadem viget, et constanter atque uniformiter operatur. Quæ causa cum alia esse nequeat, nisi ipsa individuorum natura, iterum concludimus, factum a nobis observatum ab ipsa individuorum illorum natura prodire, Et exinde dimanat conclusio universalis: id enim quod a quarumdam rerum natura procedit, omnibus universim quæ eandem naturam participant, debet esse commune.

444. Notanda. 1^o Ut inductio incompleta certam conclusionem suppeditet, certum esse debet, factum in pluribus notatum, constans fuisse et uniforme; tum etiam, non aliunde quam a natura provenire posse.

2^o Quum agitur de actionibus liberis, quæ non a natura hominis determinantur ad unum, sed ab ipsius electione pendent, hanc unam conclusionem inductio suppeditare poterit: homines in quibusdam adjunctis hoc modo potius quam alio, *ut plurimum*, agere solere.

3^o Id quod propositio universalis per inductionem experimentalem formata exprimit, vocari solet *lex physica*, si ad entia irrationalia pertineat; *lex moralis* si ad rationalia.

445. Quæri hoc loco potest, num quemadmodum per inductionis argumentum a partibus totius logici ad totum ipsum logicum ascendimus, ita quoque a partibus totius actualis (55) ad totum actuale argumentando assurgere possimus.

Respondendum, non semper colligi posse, prædicatum aliquod toti convenire collectioni, eo quod partibus distributive conveniat; sed pro prædicati natura aliquando id legitime colligi, aliquando non. Nam:

1^o Sunt quædam prædicata, quæ unicuique parti collectionis conveniunt, quatenus pars est, et a cæterarum partium sejuncta consortio. Ethæc desingulis affirmari possunt, non vero de omnibus simul. Ideo ex. gr. pessima est hæc consecutio: *omnis pars est quid incompletum: ergo omnes simul partes sunt quid incompletum.*

2^o Quædam attributa conveniunt singulis partibus ex ipsarum natura, sine illo respectu ad partis rationem. Et hæc tum de singulis, tum de omnibus simul affirmantur. Quare legitima est hæc consecutio: *singuli homines uno die tantum itineris conficiunt; ergo et omnes simul.*

3^o Sunt demum prædicata quædam, quæ collectionis unice propria sunt, quia a partium multitudine pendent. Hæc solum de collectione, non vero de partibus distributive dici possunt. Ex quo fit, ut non possis ita concludere: *centum anni sunt sæculum: ergo singuli anni sunt sæculum,*

Ex his colligitur, quandoam a suppositione distributiva ad collectivam (45, 5^o), vel vice versa a collectiva ad distributivam valeat illatio.

ARTICULUS IV. DE ARGUMENTATIONE PROBABILI.

446. Argumentatio probabilis est ea, *quæ ex utraque, vel alterutra præmissa probabili concludit.* Est autem propositio probabilis ea quæ, quamvis certa non sit, momenta tamen pro se habet minime spernenda; ac propterea viri prudentis assensum sibi potest demereri. Argumentatio probabilis a demonstrativa in hoc differt, quod cum demonstrativa evidentem conclusionem faciat, probabilis conclusionem facit solummodo probabilem.

Omnis probabilis argumentatio vel ad *analogiam* vel ad *hypothesim* revocatur, quarum prior a priori procedit, altera a posteriori (138). De utraque aliquid.

447. Analogia, quæ vox idem hic valet ac proportio, est *identitas rationum*, seu habitudinum, quas duo habent ad alia duo (58). Nos autem hic loquimur de argumentatione quæ ex analogia ducitur; quæque sic definiri potest: *argumentatio, per quam ab una proportionem nobis comperta, aliam proportionem non compertam inferimus.* V. gr. video brutum cum homine quoad plura convenire in actibus ac motibus, ad quorundam objectorum præsentiam; concludo, bruta convenire nobiscum etiam quoad sensationes, ab ejusmodi objectis excitatas. Hoc argumentandi genere passim utimur, ejusque ope cognitiones adipiscimur sane plurimas.

Inititur porro analogiæ argumentum principiis quibus-

dam, quæ per se probabilia omnibus videntur; cujusmodi sunt hæc : *Res similes effectus similes producent. — Similibus similia conveniunt; dissimilibus dissimilia; aliaque id genus.*

148. Vix porro est cur moneamus, analogiæ argumentum, de quo modo est sermo, a proportionibus arithmeti-
corum et geometrarum longe differre. Hi enim vel simpli-
citer notant proportionem duorum ad alia duo, quæ per se
evidens sit, vel demonstrant eam haberi; argumentatio
vero hæc a proportione eognita aliam ex probabilibus
principiis infert.

Ex hoc intelliges, quandonam proportiones, seu argu-
menta *a majori ad minus, a minori ad majus, a pari, a
contrario* certas conclusiones præbeant, aut probabiles
tantum.

149. In analogiæ usu hæc maxime vitia cavenda :

1^o Contemptus, quò vitio laborant homines angustæ
mentis, qui naturæ harmoniam, et proportionum conve-
nientiam non sentiunt.

2^o Æstimatio nimia, qua quis analogiæ vim ac pondus
pluris faciat, quam par est; ac contrarias demonstrationes
illi posthabeat.

3^o Nimia coarctatio, ut si quis animam sentientem
brutis denegaret, quia cum homine non undequaque
conveniunt.

4^o Nimia extensio, ut si quis e converso brutis intelli-
gendi vim tribueret, vel Deo humanum corpus humanasve
passiones.

150. *Hypothesis*, seu suppositio, est *propositio cujus
veritas nondum demonstrata est, quæ tamen assumitur
tanquam vera; quia aliqua facta commode explicat.*
Sic v. gr. physici existentiam ætheris subtilissimi quaqu-
versus diffusi, ejusque motus undulatorios, assumunt
tanquam hypothesim, ad lucis phænomena explicanda.

Patet autem, hypothesim omnem ex se intra probabili-
tatis fines contineri. Ex eo enim quod aliqua suppositio sit
idonea ad quædam facta explicanda, non idcirco sequitur
certam ejus veritatem esse (148, 4^o), sed solum eam esse
possibilem, atque adeo probabilem, si plurimum simul facto-
rum congruam explicationem suppeditet.

Si tamen hypotheses omnes possibles collegeris, ac

demonstres, esse omnes excludendas, præter unam; tunc profecto certa erit suppositionis veritas; et hypothesis in thesim mutabitur.

151. Ut hypothesis probabilis evadat, hæ conditiones necessario requiruntur.

1^o *Ut sit possibilis*; videlicet ut nec intrinsecam conceptuum repugnantiam includat, nec exploratis legibus physicis aut moralibus opponatur.

2^o *Ut et hypothesis, et quæcumque ex ipsa deducuntur, nulli sive observationi, sive experimento certo repugnent.* Ratio in promptu est.

3^o *Ut omnia facta ad quæ explicanda assumitur, commode explicet, aut saltem ut plura ex iis explicet, ac cæteris, sive per se sive per aliud, aliquando explicandis, inepta existimari non possit.*

ARTICULUS V. DE ARGUMENTATIONE SOPHISTICA.

152. Non quæcumque argumentatio quæ recta non sit, aut falso concludat, sophisma dicitur, sed *ea solum, quæ veri quamdam speciem habet, ac sub veri specie ad falsum et absurdum adducit.* Sophisma nomen a sophistis traxit; originem a litigii libidine, a deceptione, atque adeo a pravo erroris propinandi proposito perpetuo trahit.

Ex his fallaciis eas tantum quæ præcipuæ sunt, attingemus. Hæ sunt: *æquivocatio et ambiguitas; compositio et divisio; fallacia accidentis; dicti simpliciter et secundum quid; ignorationis elenchi; petitionis principii; non causæ ut causæ.*

153. *Æquivocatio* est fallacia ex eo proveniens, quod unum nomen plura significat (56); id quod ansam præhet, ut ab una significatione fiat transitus ad alteram.

Ambiguitas est deceptio inde orta, quod una eademque oratio diversas significat sententias (57); ista ista: *Hæc volumen est Virgilii*, qua significari potest tam habitudo effectus ad causam, quam habitudo rei possessæ ad dominum.

154. Sophismata *sensus compositi et divisi* locum habent potissimum: 1^o in enuntiationibus modalibus (95); 2^o in iis enuntiationibus in quibus aliquis terminus plu-

ribus constat partibus quæ conjunctionibus, *et, vel*, aliisque hujusmodi connectuntur.

V. gr. hæc propositio: *impossibile est sedentem ambulare*, est vera in sensu composito, nempe: *quod quis, dum sedet, ambulare nequit*; et falsa in diviso, nempe *quod qui sedet, quum amplius non sedebit, ambulare non poterit*.

Itemque hæc; *quinque sunt duo et tria*, vera est in hoc sensu composito: *quinque sunt duo additis tribus*; et falsa in hoc sensu diviso: *quinque sunt duo, et quinque sunt tria*.

Quum itaque sensui diviso vero subrogatur sensus compositus falsus, habetur fallacia sensus compositi; et vice versa fallacia sensus divisi, quum sensui composito vero subrogatur divisus falsus.

455 Fallacia *accidentis* incurritur, quum quis tribuit rei aut negat id, quod non ipsi rei ex propria natura, sed solum iis quæ rem circumstant vel afficiunt, convenit aut non convenit; et vice versa. Ita decipiuntur qui detrimenta et incommoda ex rerum abusu provenientia, rebus ipsis imputant, atque ex hoc eas damnant.

456. Dictum *simpliciter* est id omne, quod dicitur sine ullo addito coarctante aut minuente, ut: *Petrus est bonus*; dictum *secundum quid* est id, quod cum hujusmodi addito, effertur, ut: *Petrus est bonus poeta*. Admittitur sophisma, quum a dicto simpliciter colligitur dictum secundum quid, vel vice versa.

457. *Ignorantia elenchi* est sophisma, in quod impingere possunt qui alterius sententiam refutant; si nempe pro conclusione quam contra adversarium probare deberent, ad propositionem aliquo modo diversam probandam deflectant. Ita v. gr. aberrant protestantes, quum catholicos idololatriæ accusant, eo quod sanctorum imagines venerantur. Hoc autem fallaciæ genus quandoque venit ex vera ignorantia status quæstionis, quandoque autem ex astu aut dolo malo disputantis. Utraque culpa, atque hæc posterior potissimum, omni studio cavenda.

458. *Principium petere* dicitur, qui idipsum quod probandum est, aliis verbis proponens, id sibi concedi postulat; ut si quis aliquod doctrinæ systema probaturus,

assumeret tanquam concessum aliquid, quod, solum eo systemate recepto, concedi posset.

159. Huc pertinet *circulus vitiosus*, in quem incidit, qui duo quæ probanda illi sunt, ita demonstrat, ut primum demonstret assumpto secundo, et secundum assumpto primo. Ut si quis dicat: *Tellus non movetur. Cur? Quia movetur sol.* Cur autem sol movetur? *Quia non movetur tellus.*

Utrumque hoc vitium non infrequenter incurritur; præsertim ubi non stricta argumentatione, sed deducta oratione res agitur.

160. Fallacia *non causæ ut causæ* decipit in hoc, quod factum quodpiam alicui, sive rei sive personæ, adscribitur tanquam causæ, quæ revera ejus causa non est, et hoc supposito, varia exinde deducuntur. Ut si quis imperii romani ruinam christianæ tribuat religioni, eo quod imperium romanum eversum est, postquam fuerat christianum effectum.

Maximopere cavendum, ne assumatur tanquam rei causa id quod tantummodo rem præcedit vel comitatur, aut id quod est mera rei occasio vel conditio, aut aliqua causa commentitia, aut vox aliqua quæ nihil explicat, ut sunt illæ, *fatum, fortuna, casus.*

ARTICULUS VI. DE METHODO DISPUTANDI

161. Dicendum postremo de disputatione. Disputatio est: *argumentatio unius ad alterum, alicujus propositi ostendendi gratia.* Quadruplex est ejus species.

1° *Apodictiva*, seu probans; cujus finis est, ut alicujus propositionis veritatem confirmet ac suadeat. Huc faciunt ea quæ de argumentatione demonstrativa ac probabili dicta sunt. Illud autem nunquam satis commendabitur, ut qui aliquid confirmare intendit, ante omnia id quod probandum est, et ipse distincte intelligat, et verbis apte declaret; ac si opus est, in partes dividat, quas singillatim probet.

2° *Elenctica*, seu confutans, quæ adversam propositionem impugnat, nimirum ostendendo ejus falsitatem, vel contradictoriæ veritatem. In quo agendo pariter curandum in primis est, ut sententia refutanda bene intelligatur et fideliter referatur. Argumenta ab adversario allata singillatim sunt subruenda; id quod efficitur vel ostendendo in

iis consequentiam desiderari, vel præmissas argumentorum refutando, vel earum sensum distinguendo, ac simul probando quinam verus earum sensus sit, quinam falsus, tum etiam ex vero adversarii propositum non effici.

3^o *Apologetica*, seu defendens, quæ propositionem impugnatam tuetur, refutationem allatam disjiciens. In quem finem adversarii argumenta ad trutinam revocat, eorumque pondus elevare conatur.

4^o *Sophistica*, seu litigiosa, quæ hunc tantum finem sibi proponit, ut fallacibus argumentationibus adhibitis, imperitis perturbet aut decipiat. Vide dicta in præcedente articulo.

462. Disputatio duorum, elenctica ex una parte, ex altera apologetica, *concertationem scientificam* constituit, quæ proprio nomine disputatio audit : hujus forma est triplex.

1^a *Communis*, quæ liberum sequitur disserendi modum, ut in communi sermocinatione fieri assolet.

2^a *Socratica*, quæ interrogationibus artificiose excogitatis, et apte sibi succedentibus, adversarium per gradus adducit ad opinionis quæ tuebatur, falsitatem, aut ad ejus quam respuebat, veritatem agnoscendam.

3^a *Syllogistica*, quæ argumentationem omnem severa syllogismi aut enthymematis forma perpetuo constringit. Hæc disputandi methodus etiam *scholastica* nuncupatur, quia et in veteri schola constanter adhibita est, et in scholis in quibus scientiæ traduntur, utilis est; atque adeo necessaria.

465. In hac disputandi ratione, qui thesim defendit, audito opponentis argumento, si in eo consequentia desideretur, omittat judicare de præmissis et consequentiam neget. Si vero argumenti recta sit forma, de singulis judicet propositionibus; *concedat* veram; falsam *neget*, ut ab adversario probetur; quæ ad rem non facit, *transmittat*, vel *permittat*, ut assumatur tanquam concessa; si qua demum propositio ambigua sit, eam *distinguat* (57), concedens sensum propositionis verum ac negans falsum. Quod si unum aut alterum distinctionis membrum aliquam adhuc offerat ambiguitatem, adhibeat *subdistinctionem*. Datam distinctionem, nisi clarissima sit, declarabit et confirmabit. Si vero in aliqua propositione, aliquid quod

ejus subjecto non convenit, aperte vel occulte assumatur tanquam illi conveniens, *suppositum* negabit.

164. Quoad distinctionem, notandum 1° ambiguitatem propositionis tum in medio termino, tum in extremorum altero latere posse. Si ambiguitas in medio latet termino, distinguenda erit major, et contra distinguenda minor; ita ut quæ pars in majori conceditur, negetur in minori, et vicissim quæ in majori negatur, in minori concedatur. Si vero ambiguitas hæret alteri extremorum, distincta præmissa in qua illud sedem habet, distinguenda erit eodem modo conclusio. Consequentia vero distinguenda non est, sed concedenda secundum eum conclusionis sensum qui conceditur, neganda secundum eum qui negatur.

Notandum 2° subdistinctionem modo cadere in illum ipsum terminum in quem cadit distinctio, modo in alium. Hoc postremum si contingat, distinctio prima erit applicanda ubi redit primus terminus, secunda ubi redit alter.

165. Qui thesim impugnat, probe apud se determinato quætionis statu, argumentum ita proponat, ut conclusio ejus sit propositæ theseos contradictoria; quanquam, si veritas id postulet, etiam contrariam opponere possit. Si defendens consequentiam aut aliquam propositionem neget, ea erit probanda; si vero distinctionem adhibeat, instaurandum erit argumentum; quod quidem fieri potest tripliciter.

1° Impugnando ipsam distinctionem, negando allatæ distinctioni locum esse, vel quod nulla sit sensus ambiguitas. vel quod conclusio sequatur, quocumque sensu accipiatur propositio distincta.

2° Impugnando distinctionis applicationem; videlicet ostendendo partem negatam esse veram.

3° Probando consequentiam; id quod fit ostendendo conclusionem fluere ex ea parte quam adversarius concessit.

Et de dialectica hactenus.

LIBER SECUNDUS

CRITICA

466. In hac altera logicæ parte sermo est de extrinsecis rationis normis quæ ab objectis exsurgunt (6). Rectitudo autem mentis comparate ad objecta *veritas* dicitur. Itaque primo dicendum de veritate ac de ejus assecutione : tum de mediis quæ ad veritatem assequendam menti suppetunt; ac demum de criterio seu indicio, cujus ope veritas a falsitate distinguitur.

CAPUT I

DE VERITATE EJUSQUE ASSECUTIONE

467. Quod ad primum attinet, quærendum : 1° quid sit veritas, et ejus oppositum falsitas ; 2° per quam operationem mens falsitate inficiatur ; 3° de variis statibus mentis respectu veritatis ; 4° an assecutio veritatis sit possibilis ; 5° quæ sint veritates primitivæ.

ARTICULUS I. DE VERITATE AC FALSITATE

468. Veritas est *adæquatio intellectus et rei*. Descriptio hæc veritatis, qua nulla melior, omnem comprehendit veritatem, sive sit rerum, sive cognitionis sive sermonis. Veritas autem cognitionis, de qua modo agimus, *veritas* quoque *intellectus*, et *veritas logica* dici solet : in eoque sita est, quod intellectus rem cognitam adæquet, h. e. habeat conceptum objecto conformem. Hinc veritas logica in specie definitur : *conformitas mentis cum objecto*.

Veritatis oppositum est falsitas, seu *difformitas mentis ab objecto*. Adverte autem difformitatem hanc duplicem esse posse, *negativam* scilicet ac *positivam*. Ne-

gativa difformitas in eo est, quod intellectus totam rei intelligibilitatem conceptu suo non exhaurit, sed solum ex aliqua parte; ut quum de auro cogitas tanquam de metallo fulvi coloris. Positiva autem difformitas tunc datur, quum intellectus objecto non conformatur ex ea parte, secundum quam illud exprimit, nempe quum objecto detrahit id quod habet, vel tribuit quod non habet; ut si quis cogitaret, Deum esse corpus.

Difformitas igitur negativa est inadæquatio cognitionis cum objecto *materiali* in quod tendit cognitio; positiva est inadæquatio cognitionis cum objecto *formali* (40). Objectum autem formale est proprium cognitionis objectum. Itaque negativa difformitas cognitionem a proprio ejus objecto difformem non facit; adeoque non est dicenda falsitas, sed potius ignorantia quædam. Proinde *falsitas est solum in difformitate positiva*, per quam inter cognitionem et proprium ejus objectum discordia constituitur.

469. Veras dicimus ideas, vera judicia; sed non eodem modo ad utramque operationem veritas pertinet.

Ideæ veræ sunt, si proprium objectum ita exprimunt, ut hæc expressio sit illi conformis.

Judicium verum est, si res quam subjectum repræsentat, se habeat ut enuntiatur affirmative vel negative; falsum e contrario, si res quam subjectum repræsentat, non se habeat uti enuntiatur. Animadvertere enim debes, subjectum in judicio locum tenere rei, prouti est in se; prædicatum autem poni ut mentis conceptum, quo res illa exprimitur; unum autem reduci ad alterum per copulam, quæ est identitatis vel diversitatis signum. Unde fit, ut relatio inter prædicatum et subjectum exhibeat relationem inter intellectum et rem; adeoque si v. gr. in judicio affirmante prædicatum relatum ad subjectum, illique applicatum, est illi conforme, jam inter judicii terminos est relatio veritatis; si secus, relatio difformitatis seu falsitatis.

Igitur 1^o veritas vel falsitas est in judicio *objective* spectato, videlicet ut est *enuntiabile* aliquod, seu connexio prædicati cum aliquo subjecto. 2^o Veritas vel falsitas est in hac connexione, tanquam relatio inter prædicatum et subjectum.

170. *Judicium subjective spectatum*, prouti nempe est actus mentis affirmantis, dicitur *rectum*, si enuntiabile verum formet, quia per hoc ideam refert ac reducit ad proprium ejus objectum; *erroneum* autem, quum enuntiabile format falsum, quia sic ideam a proprio objecto detorquet, et alteri applicat objecto, cum quo hæc conformitatem non habet.

Hinc *erroris* definitio; videlicet: *mentis assensus, quo vel negamus conformitatem eorum quæ sunt conformia, vel affirmamus conformitatem eorum quæ sunt difformia.*

171. Quemadmodum porro in mentis operationibus, ita quoque in earum signis veritas vel falsitas logica invenitur; nisi quod veritas ac falsitas, quæ in mentis operationibus sunt vere ac proprie, ad earum signa per analogiam attributionis (58) transferuntur; ea enim veritatem vel falsitatem quæ in mente est, exprimunt ac manifestant.

Logica autem signorum vocalium veritas vel falsitas prorsus differt a *moralis* veritate vel falsitate, quæ ad ipsa signa per se pertinet; in iisque reperitur, prouti verbum externum verbo mentis conforme est vel difforme.

ARTICULUS II. PER QUEM ACTUM FALSITAS IN MENTEM SUBEAT

Propositio

172. *Falsitas in mentem induci nequit per apprehensionem, sed solummodo per judicium.*

Probatur 4^a pars.

Conceptus quem mens apprehendens format, a proprio apprehensionis objecto non potest esse difformis, si mens apprehendens nihil tribuit objecto quod non sit tribuendum, ac nihil detrahit quod non sit detrahendum (167). Atqui sic plane se res habet. Mens enim nihil omnino rei tribuit, nihil omnino detrahit, nisi ad judicandum pertranseat. Dum ergo mens apprehendit, nihil immutat de iis notis, per quas objectum fit ipsi cognoscibile, sed eas hauriens, ut ita dicam, ab objecto, per eas omnes, ac per eas solummodo objectum in se exprimit.

Hoc quod dicimus non in simplicem modo apprehen-

sionem quadrat, sed etiam in comparativam (12, 7^o). Quum enim binæ ideæ percipiuntur objective identicæ vel diversæ, hæc identitas vel diversitas aut ab ipsis præ se fertur ideis, aut a mente de suo ponitur. Sed ante iudicium mens de suo nihil addit objecto. Ergo ante iudicium non potest apprehendi inter ideas identitas vel diversitas, nisi eam ipsæ ideæ præ se ferant.

473. Probatur 2^a pars.

Quoniam falsitas per apprehensionem subire in mentem non potest, concludendum necessario est, quotiescumque falsitate irretimur, hoc per iudicium fieri.

Quod autem per iudicium subire in mentem falsitas possit, non est minus manifestum. Potest enim mens, quum iudicat, ideam aliquam, quæ comparata ad suum objectum vera est, ad aliud detorquere objectum, cum quo illa conformitatem non habeat. Quod si accidat, idea sic relata et applicata evadit falsa; plane ut imago vera Petri, si ut Pauli imago statuatur, falsa imago esse incipit.

474. Aliquando autem subit falsitas in mentem per iudicium *quod apprehensionem consequitur*; ut quum v. gr. mens rei a se perceptæ tribuit aliquam notam ultra eas quas percepit; quemadmodum si quis oblato sibi stamno, quod argenti colorem habet, argenti quoque naturam illi tribuat, dicens : hoc quod video est argentum.

Aliquando etiam *ex influxu antecedentis iudicii falsi* apprehensioni subsequenti falsitas communicatur. Sic cæcus ille qui iudicaverat colores esse sonos tenuissimos, quos ipse audire non posset, quotiescumque colores memorarentur, sonos ejusmodi cogitabat. Quum hoc pacto apprehensio falsitate inficitur, dicitur falsa *per accidens*.

475. Præcipua quæ adversus dicta objici solent, hæc fere sunt :

1^o Ideæ multæ hominum rudium, vel eorum qui vehementi aliqua cupiditate affecti sunt, a suis objectis sunt difformes.

2^o Sæpe objectum offertur nobis percipiendum aliter ac est, v. gr. sol se nobis ita exhibet, ac si esset circulus bipedalis diametri.

3^o Sæpe item contingit, ut loco rei objectæ alia percipiatur, ut quum v. gr. vitrum habetur ut adamas.

476. Ad hæc omnia facile respondebis ex dictis.

Resp. ad 1. *Distinguo*. Hæ ideæ sunt difformes a suis objectis difformitate negativa, *conc.* difformitate positiva, *subdist.* post iudicium, *conc.* ante iudicium, *nego*.

Ad 2. *Dist.* Sæpe nobis objectum offertur percipiendum aliter ac est; at semper percipitur ut apparet, *conc.*, quandoque non percipitur ut apparet, *nego*. Si autem objectum semper percipitur ut apparet, perceptio ex se falsitate mentem non inficit. Perceptionis enim proprium subjectum in his casibus est res ut apparet. Hinc qui solem percipit, ut sol ipsi apparet, recte eum percipit. Errabit autem, si conceptum proprium solis apparentis, ad solem ut in se est, iudicando transferat.

Ad 3. *Nego*. Hoc solum aliquando contingit, ut objecto quod percipimus, ideam rei alterius per iudicium applicemus (474).

ARTICULUS III. DE VARIIS MENTIS STATIBUS RESPECTU VERITATIS

477. *Status, in quibus versari potest mens respectu veritatis, sunt quinque, videlicet: ignorantia, dubium, suspicio, opinio, certitudo.*

Assequitur mens veritatem: 1^o quum acquirit ideas objectis conformes; 2^o quum inter rem et conceptum qui rei conformis est, apprehendit esse conformitatem, vel inter rem et conceptum ab ea difformem esse difformitatem; seu simplicius, quum apprehendit rem ita esse ut est, vel non esse ut non est. Jam ad hanc cognitionem magis minusve mens accedere potest: et ex hoc distinguuntur varii mentis status quoad veritatis assecutionem.

478. 1^o Itaque ignorantia est *status in quo est mens, quum objecti cognitione caret*. Sic ignoramus v. gr. an numerus stellarum sit par vel impar.

2^o Dubium est *suspensio inter utramque contradictionis partem*; quum videlicet intellectus inter binas propositiones oppositas constitutus, in neutram partem inclinari per assensum potest.

Dubium dicitur *positivum*, quum ex utraque parte adsunt rationes quæ rem aliquo modo suadere videntur, *negativum*, quum ex neutra parte rationes ad iudicandum

occurrunt, vel solum levissimæ atque attentione minime dignæ.

3° Suspicio est *propensio quædam ad judicandum, consequens motivorum apprehensionem et aliquam attentionem ad illa*. Excitari potest suspicio, sive quia motivum aliquam vim habet suadendi; sive quia voluntas disposita est ac prona ad imperandum iudicium.

4° Opinio est *assensus intellectus in alteram contradictionis partem, cum formidine tamen de alterius veritate*. Est itaque opinio iudicium, sed infirmum et vacillans et aliquatenus dubio permixtum: ad hoc autem iudicium non trahitur mens vi motivorum, sed voluntatis imperio.

5° Certitudo est *firmitas iudicii, seu firmitas adhesionis convenientiæ vel discrepantiæ idearum perceptæ*. Hanc mens assequitur, quum motiva iudicandi ejusmodi sunt ut omnem de oppositæ partis veritate formidinem excludant.

479. Quod ad opinionem attinet, notanda tria.

1° Ut opinio prudens sit, hæc requiruntur.

a) Ut præcedat consideratio motivorum quæ utramque partem suadent.

b) Ut pars quam amplectimur, gravi motivo innitatur. Est autem grave motivum illud, quod, etiamsi omne errandi periculum non excludat, tamen et in se vim habet sufficientem ad rem confirmandam et oppositas rationes apte solvit.

c) Ut assensus non sit firmior quam motiva patiantur.

2° Opinio prudens potest esse erronea, et opinio imprudens cum veritate conjungi. Opinio erronea, sed prudens, dicitur error *materialis*; opinio autem falsa et imprudens error *formalis*.

3° Motiva quæ opinionem gignere possunt quatenus menti innotescunt, sententiæ *probabilitatem* constituunt. Ex comparata autem sententiarum probabilitate, alia dicitur *probabilior* sententia, alia *minus probabilis*, alia *probabilissima*, alia *vix probabilis*. Quæ sententia gravi destituitur motivo, et contra se habet probabilitatem omnino maximam, dicitur *improbabilis*. Ceterum sententiarum probabilitas, quanquam non omnino, magna tamen ex parte *relativa* est, adeoque mutabilis.

480. De certitudine vero notanda quinque.

1^o Certitudo proprie *subjectiva* est; tribuitur tamen translate etiam enuntiabili, de quo mens certitudinem habet vel habere potest; et hæc est certitudo *objectiva*. Quæ quidem non est solummodo enuntiabilium veritas sed veritas suis quasi stipata motivis, ac motivis ejusmodi, quæ ostendant rem aliter esse non posse. Quare *objectiva* certitudo nihil est aliud quam *enuntiabilium necessitas*. Quumque hæc necessitas menti innotescit, propositio sit *evidens*.

Hæc porro necessitas in quibusdam propositionibus *absoluta* est, in quibusdam *hypothetica*. Absolute necessaria est ea propositio, cujus subjectum ante omnem hypotheseosim, et quæcumque facta hypotheseos, aliter ac enuntiatur se habere nequit; ut hæc : *qui currit movetur*. Illa vero est hypothetice solum necessaria, cujus subjectum, supposito aliquo facto contingenti, aliter se habere nequit, quamvis eo non supposito, habere se aliter possit; ut hæc : *Petrus currit*.

2^o Certitudo præsertim *objectiva* pro diversitate fontis unde dimanet, dividitur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*.

Certa *metaphysice* est ea propositio, cujus opposita terminis constat sibi invicem contradicentibus.

Certa *physice* est ea propositio, cujus opposita naturæ legibus (444, 3^o) contraria est, quæque proinde his positis, vera esse nequit.

Certa *moraliter* est ea propositio, cujus opposita universalibus atque constantibus hominum moribus (444; 2^o, 3^o) adversatur, adeoque impossibilis est, posita morum humanorum firmitate.

V. gr. ex his enuntiationibus : *Quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se. Lapis in aqua demergitur. Matres suos natos diligunt*; prima est *metaphysice* certa, altera *physice*, tertia *moraliter*.

Ex dictis patet, certitudinem *physicam* et *moralem* esse *hypotheticam*. Certitudo autem *metaphysica* tum *absoluta*, tum *hypothetica* esse potest.

3^o Certitudinis *metaphysicæ* necessitas est maxima, ut quæ exceptionem nullam pati potest : minor est necessitas certitudinis *physicæ*; leges enim naturæ, quibus ipsa nititur, virtute creatoris interveniente suspendi quandoque possunt : minor adhuc est necessitas certitudinis *moralis*,

cum leges morales ab hominis libertate in singulis casibus dependeant. Omnis tamen certitudo, quæcumque sit ejus species, omnem de oppositi veritate formidinem arcet. Secus certitudo non esset.

4^o Leges sive physicae sive morales exceptionibus quibusdam obnoxiae sunt (78; 2^o, 5^o); illæ per Dei potentiam, istæ ex hominum libertate. Hinc quum de singularibus agitur, ipsa physica vel moralis certitudo hypothetica est: nempe certa res est physice vel moraliter, dummodo lex, sive physica sive moralis, in eo casu exceptionem non patiatur.

5^o Aliquando certitudinis moralis appellatio probabilitati omnino maximæ tribuitur. Improprie tamen hæc maxima probabilitas certitudo appellatur, cum non excludat oppositi possibilitatem, sed solum probabilitatem. Dicitur autem moralis, non quia a moribus hominum pendeat, sed quia mores hominum eorumque agendi modum dirigit.

ARTICULUS IV. DE SCEPTICISMO

181. Inter veteres philosophos, negarunt *academici* veritatis assecutionem homini esse possibilem; *sceptici* vero professi sunt ignorare se, utrum veritatis assecutio possibilis esset: nec defuerunt inter recentiores, qui in hanc absurdam sententiam concederent. Hi omnes, quos jam scepticorum nomine comprehendimus, docent, certitudinem in qua vulgares conquiescunt, si a sapiente expendatur, omnino evanescere, ut quæ nullo fundamento innixa detegitur aut plane infirmo; sapienti proinde dubitandum esse de omnibus. Ast hac sapientia nihil falsum magis, nihil magis absurdum, prout sequentibus propositionibus constabit.

Propositio I

182. *Universalis dubitatio est physice impossibilis.*

4^o Quicumque mente ac ratione instructus est, naturali necessitate cogitur ad certitudinem; ac de plurimis rebus dubitare vel ad momentum nequit, nisi rationem ac naturam exuat. Naturam autem exuere nemo potest, etiamsi

velit. Quemadmodum igitur fieri nequit, ut qui sensu pollet, frigus et calorem suis temporibus non sentiat, ut qui oculos habet et aures, non videat aliquando aut non audiat, ita nemo assequi potest, ut homo cum sit, certitudinem omnem abjiciat.

2^o Id quod perpetua pugna inter doctrinam scepticorum, ipsorumque agendi rationem luculenter semper ostendit. Hi enim in omni vitæ ordine et consuetudine eodem plane modo gerere se solebant, ac reliquum mortalium vulgus. Propterea eos vere de omnibus dubitasse minime putandum est.

Propositio II

183. *Universalis dubitatio intrinsecam contradictionem includit.*

1^o Scepticus docet rationem in omnibus esse fallacem, adeoque de omnibus mentis cognitionibus dubitat. At quo pacto in hanc persuasionem devenit? Sane rationis usu, rationis argumentis, rationis iudicio. Ergo in eo ipso quod rationi fidem negandum esse decernit, rationi suæ fidem adhibet.

2^o Negat scepticus posse a nobis veritatem ullo modo cognosci; saltem utrum cognosci possit, ignorare se dicit. Hanc ergo propositionem ipse ratam habet, ac veram putat: *non potest a me cognosci veritas*; aut hanc: *nescio an aliquid scire possim*. At si alterutra ex hisce propositionibus vera est, ac vera ab ipso censetur, jam aliqua est veritas, quæ ab ipso cognoscitur. Dum ergo negat veritatem a se cognosci, hoc ipso statuit, se veritatem aliquam compertam habere.

3^o Dubitare se dicit scepticus, eo quod veretur ne in errorem incidat, si assensum præbeat. Ergo dubium a certitudine, veritatem ab errore distinguit, ac certo noscit se posse errare, se timere, se dubitare, se esse, ac sibi dubitandum esse. Quicumque ergo dubitat, multa certa habet. Qui igitur dubitare se de omnibus dicit, pugnantia dicit.

Ex his colliges, scepticismum universalem metaphysice impossibilem esse.

184. Nihil frequentius sceptici nobis oggerunt, quam

illud : rationem fallibilem esse ; propterea nullam ipsi fidem esse adhibendam.

Respondendum, rationem esse quidem finitam, ac plurima ignorare quæ addiscenda illi sunt; at *per se* nullatenus esse fallibilem. Nam in ejus apprehensione falsitas esse nequit, ut supra dictum est (171, 172); judicia autem quæ sponte ratio ponit, errori obnoxia non sunt; nam, ut postea dicetur, ratio ex se non judicat, nisi ad judicandum determinetur ab evidentia; quæ quidem cum falsitate sociari non potest. Quum itaque veritas est evidens, ratio ex se est infallibilis. Quum autem veritas evidens non est, ratio ex se non judicat, sed potest a voluntate ad falsa judicia pertrahi : propterea est fallibilis *per accidens*.

Hoc itaque solum sequitur ex rationis fallibilitate; videlicet dubitandum esse, quum veritas evidens non est; id quod non gravate concedimus; non autem, dubitandum esse de omnibus.

ARTICULUS V. DE VERITATIBUS PRIMITIVIS.

Propositio I

185. *Veritates primitivæ necessario debent esse veritates non demonstratæ.*

Probatur. Veritates primitivæ sunt illæ, a quibus non modo humana cognitio, sed ipsa quoque philosophia exordium sumat necesse est. Cum enim ab universali dubio philosophia exordiri nequeat, profecto ab aliqua affirmatione, eaque certissima, incipiat oportet. Atqui prorsus impossibile est, primam affirmationem demonstrationis effectum esse.

Demonstratio enim est deductio quædam ex aliquibus principiis. Si hæc quoque principia demonstratione egeant, per alia principia demonstrari debent. Hæc autem demonstrabis per alia; hæc alia iterum per alia; et ita porro. Nemo non videt, vel esse necessario sistendum in aliquo principio per se evidenti, quod in seipso rationem suæ veritatis manifeste contineat, ac proinde per alia principia demonstrari non debeat, vel omnem demonstrationem omnemque philosophiam impossibilem esse dicendam.

Propositio II

186. *Veritates primitivæ sunt hæ tres : factum primum, quod est existentia propria ; principium primum, quod est contradictionis principium : idem non potest simul esse et non esse ; conditio prima, nempe rationis aptitudo ad veritatem assequendam.*

Veritates primitivæ sunt veritates quædam fundamentales, quibus omnis innitur scientia, quæque ante omnem philosophicam inquisitionem necessario supponendæ sunt. Atqui tres veritates supradictæ sunt omnis scientiæ fundamentum, et ante omnem philosophicam inquisitionem necessario supponendæ sunt. Est enim omnino necessarium, ut ante philosophiam philosophantis existentia, ante demonstrationes demonstrationum omnium principium, et ante scientiam scientiæ possibilitas in tuto sit posita. Ergo si quæ sunt veritates primitivæ, hæ profecto sunt tres supradictæ veritates.

Propositio III

187. *Tres primitivæ veritates absque ulla demonstratione a philosopho admitti ut certissimæ et possunt et debent.*

Si quæ veritates adeo sunt manifestæ, ut 1^o nulla egeant demonstratione ; ut 2^o omnem demonstrationem refugiant ; utque 3^o ipsa dubitatione vel negatione afferuntur, procul dubio hæ veritates absque demonstratione a philosopho admitti et possunt et debent. Atqui tres veritates primitivæ sunt ejusmodi.

188. 1^o *Nulla egent demonstratione.* Sunt enim humanæ menti immediate evidentes, atque in lucis similitudinem se ipsas per se demonstrant ; mutuatæ igitur lucis illustratione non egent. Quemadmodum autem se veras necessario cuique probant, ita quoque necessario assensum mentis ad se rapiunt, eumque adeo firmum, ut de illis dubitare mens nullatenus possit.

2^o *Demonstrationem omnem respuunt.* Quicumque enim veritates istas demonstrare aggreditur, necessario petit

principium, supponendo quod demonstrare vult (458). Nam

a) Factum existentiae propriae non aliter demonstrari posset, nisi aliquam animi propriae affectionem in praemissis affirmando: *Cogito; ergo sum*. Atqui in omni iudicio hujusmodi affirmatur propria existentia, et quidem diserte. *Cogito* enim idem est ac: *sum cogitans* (73, 4°).

b) Principium contradictionis in omni demonstratione supponitur. Omne enim principium, omne ratiocinium quidquid habent necessitatis, ab eo desunt. Si enim hoc principium nutaret, si idem posset simul esse et non esse, quodnam principium necessarium, quænam ratiocinatio legitima superesset?

c) Rationis aptitudinem ad veritatem assequendam si quis demonstrare velit, is profecto supponeret, posse demonstrationis ope particularem hanc agnosci veritatem. Demonstratio autem est rationis opus. Ergo supponeret posse a ratione veritatem cognosci.

5° Hæ veritates *ipsa negatione vel dubitatione affirmantur*.

a) Si enim falli times, jam te existere fateris.

b) Qui negat aliquid, id negat quia putat falsum esse et verum non esse: qui dubitat de aliquo, ideo dubitat, quia timet ne falsum pro vero amplectatur. Ergo quicumque negat vel dubitat, supponit falsum non posse verum esse. Certus est igitur de contradictionis principio.

c) Demum qui aliquid in dubium adducit vel negat, hoc saltem certo cognovit verum: esse dubitandum vel negandum (485, 2°). Fatetur igitur, aliquam veritatem competentem rationi esse posse.

Ex his omnibus manifestum fit quod proposuimus.

CAPUT II.

DE SENSU INTERNO ET EXTERNO, UT EST MEDIUM ASSEQUENDÆ VERITATIS

489. Sequitur ut consideremus media, quæ menti humanæ suppetunt ad veritatem assequendam. Quæ conside-

ratio eo spectat, ut et cognitionum nostrarum fundamenta, et errores qui in horum mediorum usu irreperere possunt, distincte notentur.

Medium ad veritatem assequendam dicitur omne id, ex quo intellectus tales objectorum cognitiones haurire potest, quæ objectis, ut sunt in se (176, ad 2), conformes existant, ad eaque per iudicium referri cum veritate possint. Hæc media revocare possumus ad tria. Primum est *sensus* sive internus, sive externus: alterum sunt *ideæ*, quas intellectus jam adquisivit, atque inter se comparare potest: tertium est *testimonium*, cui fidem adhibere possimus. De singulis ordine dicendum.

190. De primo occurrunt quærenda tria: 1^o quid sit *sensus* sive intimus sive externus, et utriusque objectum; 2^o de certitudine cognitionum *sensus* interni; 3^o de certitudine cognitionum *sensus* externi.

ARTICULUS I. NOTIONES PRÆVIÆ DE SENSU INTIMO ET EXTERNO

191. 1^o *Sensus* intimus est *nativa quædam animi dispositio, qua fit ut animus quod in seipso accidit, intime sibi præsens habeat, et experiatur ut suum*. Ejus itaque objectum sunt *facta interna*; videlicet præsentis affectiones, tum quæ sunt animæ solius propriæ, ut *ideæ*, iudicia, actus volendi, tum quæ ad totum humanum compositum pertinent, ut dolor, aut sitis. Non tamen omnes compositi affectiones *sensus* intimus distincte renuntiat, sed quasdam ex iis confuse tantummodo refert, cujusmodi sunt v. gr. affectiones perpetuæ et uniformes; ab assuetis enim non fit passio.

192. Humanus animus, cum præterea sit intelligens, id quod intime sentit, reflexo in se mentis obtutu apprehendere potest, ac de eo iudicare; ut quum homo capitis dolorem sentiens, de hoc suo dolore recogitat, ac dicit: *ego sum capite dolens*. Quum porro mens ad internas affectiones se convertit, animus fieri dicitur *sui conscius*. Est igitur conscientia: *cognitio intellectualis reflexa affectionum subjecti, quæ per sensum intimum fiunt animo præsentis*.

193. Ex his colliges, *sensum intimum esse medium*

assequendæ veritatis circa facta interna; conscientiam vero esse intellectum, quatenus hoc medio utitur, ac per illud veritatem assequitur.

194. 2^o Sensus externus, qui ab intimo dimanat, est *facultas qua animal percipit externum aliquod agens, per ejus impressionem in corpore receptam.*

Hujus facultatis actus dicitur *sensatio, perceptio sensitiva, intuitio vel repræsentatio sensibilis.* Eæ corporis partes, quæ ad varias externorum agentium impressiones excipiendas animali attributæ sunt, vocantur *organa sensus vel sensoria.*

Sensus externus in quinque peculiare sensus dividitur cuique notos, videlicet *tactum, gustum, odoratum, auditum, visum.*

195. 3^o Objecta sensuum externorum sunt *sensibiles corporum qualitates, eæ nempe proprietates seu vires corporum, quæ singulos sensus afficiunt.* Ex his porro objectis alia sunt cujusque sensus *propria*, alia sunt pluribus *communia*, alia sunt *sensibilia per accidens.*

Proprium visus objectum est *lux* cum suis diversis coloribus, auditus *soni*, gustus *sapores*, olfactus *odores*, tactus *resistentia, calor et frigus*, ac variæ aliæ qualitates, quas generatim *qualitates tactiles* appellamus.

Sensibilia communia sunt *figura, magnitudo, distantia, numerus, motus, quies.*

Cetera quæ ad corpora pertinent, sunt *sensibilia per accidens*, ut sunt v. gr. *essentiæ corporum.*

ARTICULUS II. DE CERTITUDINE SENSUS INTIMI

Propositio

196. *Sensus intimus, in iis quæ renuntiat, est medium veritatis assequendæ omnino infallibile.*

Notandum in primis, propositionem hanc proprie demonstrari non posse. Ut enim demonstratio quælibet me suadeat, quædam percipiam necesse est, nempe quæcumque demonstrationem constituunt, et certum mihi esse debet, me ea percepisse. At quo tandem modo hoc mihi certo constabit? Profecto non aliunde, quam ex intimi sensus

testimonio. Si igitur demonstrare velim intimi sensus veracitatem, aut omnia intimi sensus testimonia tanquam infallibile admittere deberem, nimirum supponere necessario deberem id quod in quæstionem adducitur.

Nec vero propositio hæc demonstratione eget; tanta enim fulget evidentiâ, ut plane impossibile cuique sit dubitare, utrum in se sint affectiones quas experitur.

497. Ceterum hujus propositionis evidentiâ per contradictionis principium distincte explicari potest. Si enim sensus intimus aliquando me fallere posset, ideo foret quia affectionem quam sensus intimus mihi renuntiat, eo ipso tempore quo eam sentio, possem non habere. Sed hoc apertam contradictionem implicat. Sentire enim aliquam affectionem et illam habere, identica plane sunt; subjectumque sentiens et objectum quod sentitur sola ratione distinguuntur, at revera sunt unum et idem. Non potest ergo affectio aliqua esse in sensu subjecti, quin hoc ipso sit in objecto quod sentitur.

498. Opponunt. 1^o Sensus intimus multa interna facta non renuntiat, v. gr. circulationem sanguinis. Ergo non suppeditat certitudinis motivum omnino indubium.

Resp. *Transeat ant. nego consequentiam.*

Falleret enim nos sensus intimus, si renuntiaret aliquid quod in subjecto non esset; si autem aliquid quod in illo est, non renuntiat, erit ad summum dicendus limitatus et deficiens, non falsus aut mendax. Igitur nulla ratio est, cur suspicemur de veritate eorum quæ ipse renuntiat.

Potest quoque impugnari quod asseritur in antecedente, distinctione desumpta ex dictis (194).

499. Opp. 2^o Sæpe dubitamus, utrum affectio habitâ fuerit ista vel illa, v. gr. an actus intellectus vel voluntatis; imo de ipsa affectionum existentia quandoque dubitamus.

Resp. *Dist.* Dubitamus de natura aut origine affectionis habitæ, vel de ejus existentia præterita, *conc.* de præsentî ejus existentia, *nego.*

Sensus intimus non docet nos, quæ sit affectionum nosstrarum seu natura seu causa; sed hæc sunt aliunde determinanda; rerum item præteritarum memoriam, cujusmodi illa viget in nobis, ipse testatur, ac proinde si dubia

illa est, dubiam renuntiat; atque inde est quod de præteritis affectionibus quandoque dubitamus.

200. Opp. 3^o Amentes multas sentiunt affectiones, quas non habent; somniantes multa sibi videntur agere et pati, quæ nec agunt, nec patiuntur.

Resp. *Dist.* Amentes non habent affectiones eas quas sentiunt, *nego*; non habent affectiones quas judicant aut dicunt se habere, *conc.* Judicant enim de seipsis non juxta intimum sensum, sed juxta perturbatæ imaginationis phantasmata.

Dist. item quod dicitur de somniantibus, nempe hi imaginantur se quædam agere vel pati, et sentiunt hæc in imaginatione expressa, *conc.* sentiunt hæc fieri a se realiter, *nego*. Etiam ipsi phantasmata quæ sentiunt, pro objectis realibus assumunt.

201. Opp. 4^o li, quibus brachium amputatum est, non infrequenter in brachio dolent. Ergo.

Resp. *Dist.* Hi sentiunt dolorem confusum in ea ramificatione nervorum, quæ antea protendebatur in brachium, et hunc dolorem judicant esse in brachio, vi habitudinis et phantasæ, *conc.* vere sentiunt dolorem in brachio quo carent; *nego*.

ARTICULUS III. DE CERTITUDINE SENSUUM EXTERNORUM

202. Sensatio relata ad intellectum considerari potest dupliciter: 1^o ut est subjecti affectio; 2^o ut est objecti externi representativa; ac secundum hosce duos respectus veram dici, sed diversimode. Nam prouti subjectiva est, vera dicitur quemadmodum dicitur verum aurum, vel verus amicus; quia nempe veram de se existimationem in intellectu gignere potest: falsaque diceretur, si falsam de se gigneret existimationem. Prouti vero sensatio representativa est, vera dicitur per analogiam cum idea, nempe propter conformitatem cum objecto; falsa, si ab illo difformis.

Propositio I

203. *In sensationibus, prouti subjecti affectiones sunt, nulla potest esse falsitas.*

Hujus propositionis evidentia ex dictis de sensu intimo (496, 497) immediate dimanat. Quidquid enim sint affec-

tiones istæ in se, et quomocunque in subjecto excitentur, non potest subjectum non habere affectionem quam sentit, nec diversam habere ab ea quam sentit. Sensus igitur affectionem quæ in subjecto non sit, aut aliter quam sit, offerre intellectui nequit.

201. Certe organa sensus, secundum variam dispositionem in qua sunt, ab iisdem objectis diversimode afficiuntur; unde actio eadem ex parte objecti, quæ in sani palato sensum grati saporis excitat, in palato ægroti vel nullum saporem vel ingratum ciet. Sed hoc ipsum confirmat quod asseruimus. Munus enim sensuum est, non ut objecti actionem utcumque, sed ut actionem hanc, prouti organa afficit, referant. Quare fides nuntii habendi sunt, si quum diversimode afficiuntur, diversimode se affectos renuntiant.

Propositio II

205. *Sensiles repræsentationes a falsitate sunt immunes, si sensus recte fuerint dispositi, et pro objectorum varietate convenienter adhibiti.*

Adverte in primis ad condiciones requisitas.

Necesse est 1^o ut sensus sint *apte dispositi*; nempe *sani*, et *sine impedimento*. Sani, ita ut nullo vitio organa sensoria laborent, sed naturalem statum ac temperationem servant. Aliter enim ab eodem objecto organum sanum, aliter organum vitiatum impressionem recipit, ut modo dictum est.

Sine impedimento. Nonnunquam enim quædam adjuncta, vel etiam sensationum præcedentium vestigia, receptas ab objectis impressiones in organo immutant aut hebetant: quemadmodum v. gr. manus nimis frigidæ palpandis tenuibus objectis sunt ineptæ.

206. Necesse est 2^o ut sensus sint *convenienter adhibiti* pro objectorum varietate.

Diversimode enim afficiuntur sensus, prouti objectum est magis vel minus tenue, pro varia objecti distantia, motu vel quiete, et pro medio quod inter objectum et organa interjacet, diversitate ac statu; ut obvia exempla declarant. Hæc itaque faciunt, ut quandoque sensus non possint ab objecto eas impressiones recipere, quæ ad recte de illo iudicandum necessariæ forent; quandoque vero exigunt, ut

ad hasce impressiones excipiendas multiplicentur observationes, atque adjuncta varientur.

207. Cautiones istæ, etiam quum agitur de propriis sensuum objectis (193) percipiendis, necessariæ sunt. Quum vero judicandum est de sensibilibus communibus, notandum, de corporum *figura, magnitudine et distantia* legitimos nuntios esse oculos tactui conjunctos, motu etiam accedente, si opus sit. De *motu* quoque objectorum non ex solo visu judicandum est; oculi enim non absolutum motum percipiunt sed relativum, i. e. mutationem successivam respectivæ positionis inter oculum et objectum. Quare ut de objecti motu ex sensuum relationibus judicare tuto possimus, internarum externarumque sensationum complexio ejusmodi requiritur, per quam certo nobis constet, nos non moveri.

208. Itaque si hæ conditiones impleantur, sensibiles repræsentationes non possunt a falsitate immunes non esse.

Etenim 4^o sentiendi facultas a naturæ auctore Deo hominibus tributa est, ut per eam cognoscèrent quidquid de exterioribus objectis scire ipsorum interest. Jam si sensus, utut rite dispositi recteque adhibiti, in erronea judicicia nos passim adducerent, profecto sentiendi facultas esset medium ad præstitutum sibi finem insufficiens. Repugnat autem sapientissimum ac maxime bonum naturæ auctorem media dedisse ad finem inepta. Ergo.

2^o Præterea si sensus perpetuo nos deciperent, ut sceptici calumniantur, jam nullam iis fidem homines adhiberent; quemadmodum fidem non adhibent ei quem pluries mendacem deprehenderit. Atqui e contrario homines nihil videntur habere certius, quam quod sensibus suis usurpaverint; validissima enim quæ afferri soleant, certitudinis argumenta sunt illa: *ego vidi, ego tetigi*. Ergo.

209. Opp. 4^o Sensus non percipiunt corpora ut in se sunt.

2^o Ipsæ sensibiles qualitates non sunt in corporibus, sed tantum in sentiente. Sensus autem eas exhibent ut in hærentes corporibus. Ergo falsa renuntiant.

3^o Hominum judicicia circa corporum qualitates sunt omnino diversa. Ergo idem objectum diversis hominibus diversimode apparet.

210. Resp. ad 4. *Dist.* Sensus non percipiunt essentiam intimamque naturam corporum, *conc.* non percipiunt eorum proprietates reales, *subd.* ut hæ sunt in illis absolute, *trans.* ut sunt in illis respectu nostri, *nego.*

Ad sensus non pertinet, ut intimam corporum constitutionem nos edoceant, nec quid sint in se qualitates sensibiles : non enim hic est eorum finis ; sed tantum ut nobis manifestent quam affectionem ex naturæ instituto corpora in nobis excitare valeant.

Ad 2. *Dist.* Sensibiles qualitates non sunt in corporibus secundum formalem ac subjectivam sensationem quam causant, *conc.* secundum id quod sensationem provocat, *nego* : et *contradist. min.* Quis enim dixerit, sensus exhibere caloris sensationem inhærentem igni, aut visionem inhærentem rebus quas videmus? Sensus exhibent ut objectivum id solummodo quod calorem ciet, et quod visionis objectum est; idemque dicito de ceteris sensationum causis.

Ad 5. *Dist.* Ea diversitas a diversitate inclinationum, præjudiciorum, assuetudinum repetenda est, *conc.* a diversitate sensationum, *subd.* a diversitate accidentali, *conc.* ab essentiali, *nego.*

Non sane disputant homines, utrum saxa sint dura vel mollia, aut utrum ignis sit calidus nec ne; sed tota iudiciorum de rebus sensibilibus diversitas huc redit, quod quædam sensationes huic gratæ accidant, illi ingratæ. Hæc autem diversitas ab indicatis causis ut plurimum provenit, vel etiam ex accidentali quadam organorum perfectione quæ in uno major sit quam in altero.

Cetera quæ sive a veteribus sive a recentioribus scepticis objici solent, ex iis quæ dicta sunt, facile dissolves.

CAPUT III

DE IDEIS

211. Post hæc perpendendum venit medium alterum, quod ad veritatem assequendam nobis suppetit, et in ideis

jam acquisitis situm est. De hoc medio ac de ejus usu quærenda sunt quinque : 1^o an constet de idearum objectiva realitate ; 2^o quodnam sit idearum universalium objectum ; 3^o an aliquæ veritates sive immediata idearum comparatione sive mediata (99) colligantur ; 4^o quæ sit earum certitudo ; 5^o an memoria, quæ ideas suggerit simul comparandas, possit nos in errorem adducere.

ARTICULUS I. DE IDEARUM OBJECTIVA REALITATE

Propositio

242. *Objectivus idearum valor 1^o demonstrari nequit ; 2^o demonstratione non eget ; 3^o ipsa negatione vel dubitatione affirmatur.*

Nota in primis quum de objectiva idearum realitate quæritur, hoc in quæstionem adduci, utrum eæ notæ quæ in ideis præsertim primitivis continentur expressæ, sint extra mentem in iis rebus ad quas hujusmodi ideæ referendæ sunt, an vero sint solum modi quidam subjectivi secundum quos intellectus noster format ac fingit objecta. Propterea hæc propositio : *ideis respondet objectiva realitas*, congruit prorsus cum illa : *mens est apta assequendæ veritati*, quæ est una ex primitivis veritatibus. Nam si humanæ mentis ideæ sunt formæ quædam subjectivæ, ac modi quidam cogitandi ex ipsa mentis natura definiti, quique objectivas rerum rationes nullatenus repræsentent, certe humana mens nunquam esse poterit objectis conformis ; ac propterea ad veritatem assequendam erit inepta. Itaque assertio hæc : *ideis objectivam realitatem exhiberi*, primitivæ veritatis loco habenda est ; nil proinde mirum, si omnes primitivarum veritatum dotes (487) sibi vindicat.

243. Probatur nihilominus 1^a pars.

Quodcumque medium assumas ad hanc veritatem demonstrandam, hoc erit aliqua idea. Vel ergo huic ideæ objectivum valorem tribuis, vel detrahis. Si primum, supponis quod probare contendis ; si alterum, nihil profecto concludes.

214. Probatur 2^a pars.

~ Tota hæc quæstio reducitur ad realitatem primæ ideæ, quæ idea *entis* est. Nam ex idea entis formantur prima principia : ex primis autem principiis, accedente experientia, idearum quæ deinde seu adquiruntur seu effoimantur, objectiva realitas vel immediate consequitur, vel saltem demonstrari potest.

Hoc posito, assertio hæc : *ideæ exhibent objectivam realitatem*, redit ad hanc : *idea entis exhibet objectivam realitatem*. Nempe aliis verbis : *res quæ est mentis objectum, est aliquod ens*. An hæc propositio demonstratione eget?

215. Probatur 3^a pars.

Objectivus idearum valor affirmatur *negatione*. Qui enim negat idearum naturam hanc esse, ut sint representativæ objectorum, is affirmat, hanc ideam quam habet de idea, ut nimirum sit mera forma subjectiva et non repræsentativa objecti, ipsi ideæ esse conformem.

Affirmatur *dubitatione*. Qui enim sic dubitat, supponit saltem idcis *ideæ, objecti, conformitatis, diversitatis, dubitationis, subjecti dubitantis* respondere reale objectum. Quæ nisi supponat, de quo tandem dubitat?

216. Hinc 4^o liquet, dubium universale de objectivo idearum valore non physice modo, sed etiam metaphysice esse impossibile.

2^o Corruit totum kantii systema. Totum enim hoc systema huc redit : primitivas humani intellectus ideas (18) non reales objectivasquo rationes exprimere, sed esse subjectivas quasdam mentis formas, secundum quas de objectis cogitare propria sibi lege mens adstringitur.

ARTICULUS II. DE IDEARUM UNIVERSALIUM OBJECTO

217. Quodnam est idearum universalium objectum? Quæstio hæc ab antiquissimis usque temporibus copiosam philosophis disputandi materiam semper præbuit. Omissis platoniorum et pantheistarum commentis, tres sunt celebriores in hac controversia sententiæ.

1^a est *nominalium*, qui opinati sunt universalialia nec esse nec concipi, sed esse mera vocabula, quæ aliquam individuorum collectionem indefinite et confuse significarent.

2^a est *realium exaggerantium* qui consuerunt, universale esse extra mentem uti a mente concipitur; esse nempe in rebus ejusdem speciei essentiam realiter unam, ac realiter pluribus communem.

3^a est *realium moderatorum*, qui docent esse quidem in rebus naturam, quæ in idea universali concipitur, sed non eodem modo ac concipitur.

Propositio I

218. *Habet humana mens ideas universales.*

Etenim si nullæ essent ideæ universales, termini communes nullas significarent ideas. Sed hoc est contra conscientie testimonium. Ergo.

Prob. *major*. Termini communes non significant unum aut alterum individuum, ut patet. Sed neque ideam collectionis, seu plurium simul individuorum expriment. Nam nomina quæ ideam collectionis significant, v. gr. *familia*, *populus*, *mille*, et de singulis dici non possunt, et de pluribus copulativim dicuntur. At nomina communia, ut *homo*, *animal*, *planta*, dicuntur e contrario de singulis, non vero de pluribus copulativim (47).

Restat ergo ut termini communes expriment conceptum, exhibentem aliquid quod in pluribus individuis æque inveniatur, videlicet conceptum universalem (15). Si hunc non expriment, nulla plane est idea quam significare possint.

Prob. *minor*. Intimo teste sensu, terminus communis, quum voce fertur, plane ut quivis alius terminus, duos in mente excitat conceptus, quorum alter est soni materialis, alter est significationis illi subjectæ, rei nimirum a loquente cogitatæ. Ergo terminus communis, intimo teste sensu, aliquam ideam significat, et ad aliquam ideam significandam profertur.

219. Adverte porro omnia fere vocabula, quibus homines utuntur, si nomina individuorum propria excipias, vocabula esse communia. Si ergo nullæ essent ideæ universales, omnia fere vocabula nullam ideam exprimerent, essentque soni inanes, omni prorsus significatione destituti.

Qua re quid magis incredibile aut absonum dici possit, equidem non video.

Propositio II

220. *Nihil est extra intellectum in rebus, ex se et ante omnem intellectus operationem, universale.*

Sane si qua natura ex se universalis esset, nullo modo posset fieri singularis. Si qua enim res est, cui per se unum ex duobus oppositis conveniat, huic alterum oppositorum convenire non potest. Universale autem et singulare opposita sunt, quemadmodum opposita sunt unum et plura, indeterminatum et determinatum, immultiplicabile et multiplicabile. Jam natura v. gr. humana in Socrate aut Platone certe singularis est. Ergo nequit huic naturæ secundum se convenire ut sit universalis.

Propositio III

221. *Universalitas omnis constituitur per intellectum cum fundamento in re.*

Ut enim universale constituatur, duo necessaria sunt: 1^o ut quod universale dicitur, sit aliquid *unum*; 2^o ut sit pluribus *communicabile*; videlicet ut in pluribus individuis realiter multiplicetur, et ita multiplicatum numerari possit, sicut ipsa illa individua numerantur. His duobus universalium definitio continetur (15). Huc igitur redit quæstio tota de universalium realitate; quomodo scilicet cum veritate cognosci ac dici possit e-se in rebus aliquid unum et multis communicabile. Jam hæc duo quæ, ut modo ostendimus, non sunt in ulla natura ut est in se et ante omnem intellectus operationem, hæc duo, inquam, rerum naturis conveniunt, prouti hæc intellectus operationi subsunt.

222. Operatio autem intellectus quo hoc perficitur, est cognitio individuorum *præcisiva* et *comparativa*.

Quum enim objectum individuum per sensationem intellectui offertur, intellectus essentielles individui notas apprehendit, conceptumque format quo individui essentia

exhibetur a conditionibus omnibus individuantibus præcisa et abstracta. Hæc est cognitio præcisiva : essentia vero cognitione tali concepta, dicitur *universale directum* ac *ratio specifica*.

Essentia autem ita apprehensa, quanquam ex se nec singularitatem dicat nec universalitatem, tamen revera universalitatem jam induit, ut quæ nil retinet jam quo ad unum potius quam ad alterum individuum determinetur ; potestque tam de illo a quo abstracta est, quam de aliis similibus prædicari : sed nihilominus non cognoscitur adhuc ejus universalitas, nisi accedat comparatio. At si intellectus ex plurium individuorum cognitione conceptus præcisivos haurit, eosque inter se comparans deprehendit eos in omnibus notis identicos esse, deprehendit quoque eos non plures esse conceptus, sed vere unum.

Sic igitur 1^o erumpit ex individuis menti oblatis naturæ unitas, non quidem realis, sed *logica*, nempe unitas naturæ per abstractionem conceptæ ; 2^o hæc natura, una cum sit, potest tamen in multis deprehendi, multisque uniformiter attribui. Natura autem sic cognita est id quod dicitur *universale reflexum*, et *species* vel *genus*.

Hoc igitur pacto ex individuis per mentis operationem naturæ universalitas constituitur.

223. Hinc patet : 1^o universales conceptus habere in rebus fundamentum. Fundamentum hoc sunt individua omnia, quorum essentiæ abstractæ unico conceptu exhibentur.

2^o Individua hæc merito dici *universale fundamentale* ; eademque esse *materiam* universalium conceptuum, secundum naturam quam habent. Hanc vero naturam per cognitionem præcisivam et comparativam *formam* universalitatis accipere, ac fieri *universale formale*.

3^o Hinc universalium idearum objectum esse reale, spectata earum materia, non vero forma.

4^o Diverso modo universale esse in ordine reali et in ordine ideali.

Per hæc principia objectiones omnes, tum nominalium, tum realium exaggerantium, non difficulter diluuntur.

ARTICULUS III. DE COGNITIONIBUS QUÆ IDEARUM
COMPARATIONE COLLIGUNTUR

Propositio I

224. *Ex immediata idearum comparatione veritates analyticæ immediatæ eliciuntur.*

Has colligit intellectus, quum, facta essentia resolutione in eas notas quas ratione sui continet, statim harum cum illa identitatem objectivam apprehendit. Sic ideam totius considerans, hæc immediate judicia efformo: *totum est æquale omnibus suis partibus; est majus una quavis parte; est divisibile in partes*, etc. Omnia principia a priori, quæ per se nota sunt, hoc pacto colliguntur.

Ex quo liquet, immediatam idearum comparationem omnis rationalis operationis radicem esse atque principium. Omnis enim ratiocinatio principiis per se notis innitur.

Propositio II

225. *Mediata idearum comparatio, seu ratiocinium, plurimurum cognitionum est nobis fons.*

Ut miram ratiocinii fecunditatem uno veluti obtutu comprehendamus, hæc duo animadvertere sufficiet.

1^o Si veritates per ratiocinium deductas paulisper seponas, tota cognitionum nostrarum supellex hisce ad summum capitibus contineretur: nimirum judiciis illis singularibus, quæ in obviis sensuum relationibus immediate fundantur; judiciis conscientia immediatis; immediatis principiis a priori. Jam vero quis est inter homines tam rudis atque hebes, cui tam curta sit cognitionum supellex? Atqui quidquid præter illa novimus, id omne ratiocinio debemus.

2^o Recole cognitionum divitias, quæ scientiis omnibus continentur. Thesaurus iste propemodum infinitus, quique in dies adeo excrescit, ratiocinii fructus est. Non enim immediato intuitu scientia comparantur, sed deductione ex veritatibus primitivis, quæ quasi in semine omnia continent, quæcumque naturaliter cognoscere possumus.

226. Objici solet: eum qui ratiocinium instituit, conclusionem jam cognoscere oportere. Quod enim ignotum

est, quæri non potest: qui autem ratiocinatur, conclusionem quærit. Igitur per ratiocinium nihil novi cognoscit.

Resp. *Dist. ant.* Qui ratiocinium instituit, jam conclusionem cognoscit, antequam actum ratiocinandi ponat, *nego*; quum actu ratiocinatur, *subd.* cognoscit conclusionem vi ratiocinii ipsius, *conc.* independenter ab eo, *nego*.

Antequam medium terminum inveniamus (105), conclusionem profecto non cognoscimus; quum autem medium terminum nacti sumus, ejusque relationes cum extremis intuemur, tunc jam actu ratiocinamur, et simul conclusionem cognoscimus.

227. Ad rationem additam. *Dist. maj.* Quod est ignotum quæri non potest, si neque explicitè, neque implicitè sit notum, *conc.* si saltem implicitè sit notum, *nego*.

Dist. min. Qui ratiocinatur conclusionem quærit semper, *nego*; sæpe, *subd.* quum quærit ratiocinari, *conc.* quum actu ratiocinatur, *nego*. Nam quum actu ratiocinatur, conclusionem jam tenet.

Consequenti applicetur distinctio majoris.

228. Nota in primis conclusionem non semper quæri; nam multæ veritates inveniuntur non quæsitæ, quemadmodum quum ex equi vestigiis equi transitum cognoscimus.

Nota deinde ante ratiocinii actum, quum ratiocinari quærimus, semper elementa conclusionis *explicitè* prænosci, subjectum nempe actu, prædicatum autem actu vel saltem habitu; ipsam denique conclusionem cognosci *implicitè* in principiis, quorum veritas est nobis comperta, saltem habitu. Hanc vero conclusionem quærimus exprimere ac facere explicitam per ratiocinii actum. Sed quomodo? Quærendo hæc ipsa principia, quæ conjuncta conclusionem suppeditabunt; hæc autem quærimus, medium quærendo terminum (100).

ARTICULUS IV. DE CERTITUDINE HUIUSMODI COGNITIONUM

Propositio I

229. *Veritates analyticæ immediatæ metaphysica atque absoluta certitudine gaudent.*

In his enim, ut dictum est (224), prædicatum de ratione subjecti est. Hinc quotiescumque hoc subjectum cogito, cogito aliquid quod tale prædicatum habet. Non possum

igitur a tali subjecto tale prædicatum ullo in casu removere. Si enim aliquando possem, vera esset in eo casu hæc propositio : *Hoc subjectum, nempe aliquid quod habet tale prædicatum, non habet tale prædicatum.* Quo iudicio contradictionis principium recta impetitur, ac disertè negatur.

Propositio II

250. *Cognitiones per ratiocinium comparatæ, falsæ esse non possunt, si tamen ratiocinium et præmissis constet veris, et ad legitimam formam sit exactum.*

Theorema hoc, quoad primam partem, est veritas indemonstrabilis. Demonstraretur enim per ratiocinium, adeoque cum petitione principii. Sed demonstratione non eget, cum sit immediate evidens, plane ut principia illa, quibus innititur syllogismi artificium (99). Si enim ratiocinium sit formaliter rectum, conclusio in illis continetur. Si ergo præmissæ sunt veræ, etiam conclusio vera sit oportet.

Hæc conclusionis identitas cum præmissis est ineluctabile illud motivum, quod mentem cogit, ut si veras iudicat præmissas, assentiri conclusioni necessario debeat. Sibi enim contradiceret, si postquam conclusionem in præmissis implicite affirmavit, affirmare explicitè detrectaret, quum illa e præmissis enucleata prodit.

251. Ut autem mens hanc experiatur necessitatem, duo, ut patet, certo tenere debet : 1^o præmissas esse veras ; quod quidem ex aliis veritatis fontibus innotescit : 2^o ratiocinii deductionem esse legitimam ; id quod attentio ad ratiocinii formam adhibita manifestat. Quod si unum aut alterum dubium sit, id ipsum attentio diligens manifestabit. Nec potest nos ratiocinium in errorem inducere, nisi una aut altera conditio desit.

ARTICULUS V. DE MEMORIA

Propositio

252. *Memoria, quamvis debilitaria ut etiam deficere possit, nunquam tamen per se sanam rationem in errorem adducit.*

Facultatis hujus fidelitatem, quam proprie demonstrari non posse facile intelliges, clare perspicias in ipsa hujus facultatis natura.

Memoria enim intellectiva, de qua loquimur, est *vis reproducendi conceptus olim habitos, eosque recognoscendi*. Jamvero nec in reproductione, nec in recognitione falsitas esse potest.

Non in reproductione, ut patet. Nam reproductio ideæ non potest aliam habere falsitatem, quam quæ omnibus ideis per se conveniat. Sed ideis per se nulla falsitas convenit (174). Ergo.

Non in recognitione. Recognitio enim est mera apprehensio comparativa, qua percipimus identitatem præsentis ideæ cum ea quæ reproducta est. Apprehensio autem comparativa falsitatem inducere per se non potest (172).

233. Nihilominus memoria fallax dici solet. At nequit profecto dici fallax, quia aliquando ideam nunquam habitam tanquam habitam recognoscat, sed solum quia reproducendi vis vel ex toto vel ex parte circa aliquid deficere solet. Unde de quibusdam omnino silet memoria, quædam alia refert ex parte, nonnullis rei notis vel adjunctis obliteratis, quædam denique obscure aut confuse restaurat. Hi vero memoriæ defectus, attentione aliqua adhibita, facile advertuntur; quod si fiat, in errorem per se inducere non possunt. Hinc memoria nunquam erit erroris occasio, si affirmetur idipsum ac solum quod recognoscit, eoque modo quo recognoscit.

CAPUT IV

DE TESTIMONIO

234. Disserendum denique est de postremo veritatis assequendæ medio, quod est testimonium.

De quo occurrunt quærenda sex: 1^o quid sit et quotuplex; 2^o quanta sit ejus utilitas ac necessitas; 3^o an testimonium dogmaticum certam fidem faciat; 4^o an certam fidem faciat testimonium historicum; 5^o an idipsum possint traditio oralis, documenta, et monumenta; 6^o utrum testimonii auctoritas sit unicum certitudinis motivum.

ARTICULUS I. QUID SIT ET QUOTUPLEX TESTIMONIUM

235. 1^o Qui propriam cognitionem alteri, sive affirmando sive negando significat, *testis* dicitur; ipsa autem cognitionis significatio, *testimonium*.

236. 2^o Testimonium, si personam spectes testantis, aliud est *divinum*, aliud *humanum*.

Si vero materiam consideres, circa quam testimonium versari potest, aliud est *dogmaticum*, aliud *historicum*.

Testimonii dogmatici materia est *doctrina*, i. e. cognitio, quæ idearum comparatione ab homine acquiritur. Historici vero *factum*, i. e. aliquid quod testis sensu cognovit.

237. Testes qui factorum notitiam communicant, si propriis ipsi sensibus facti experientiam ceperunt, testes *immediati* sive *oculati* dicuntur, si vero ex aliorum testimonio, *mediati* sive *auriti*. *Coævi* nominantur, si eodem tempore vixere quo factum contigit; *suppares*, si proximo; *remoti*, si tardiori.

Si factum verbis significetur, testimonium appellatur *narratio*. Si illud plures testes iique mediati sermone celebrent, incerto tamen teste immediato, hoc testimonium *fama* dicitur seu *rumor*.

238. Narratio vel etiam fama transmissa ad posteros, factorum præteritorum notitiam iis communicat. Transmittitur autem *orali traditione*, *documentis* et *monumentis*.

Oralis traditio est facti narratio per testimonium continuatam seriem ad nos usque voce transmissa.

Documentum est facti testimonium scripto consignatum. Ad documenta pertinet *historia*, quæ est facti memoria scripto consignata.

Monumentum est facti testimonium aliquo artis opere, ex materia quæ longius duratura sit, significatum et expressum.

239. 3^o Assensus quem alterius testimonio præstamus, appellatur *fides*: qui testanti fidem adhibet, *credere* illi dicitur.

Differt fides a *scientia*; non enim fides nos docet cur res sit (137, 4^o). Differt quoque ab *experientia*: nam experientia ipsam rem quam cognoscit, attingit; fides autem

non ita, sed solummodo extrinsecam rei indicium accipit, quod est testimonium.

240. Id quod testi fidem conciliat, testis *auctoritas* nuncupatur. Habet vero testis auctoritatem exinde, quod dignus esse cognoscitur, cui fides habeatur. Dignus est autem cui fides habeatur, qui jus habet ut et veritatem assecutus esse, et vera loqui existimetur. Igitur et *scientia* et *veracitas* testis *cognita* auctoritatem illius constituunt. Si hæc duo certa nobis sint, auctoritas sufficiens est, et certitudinem gignere potest. Si alterutrum probabile tantum sit aut ignotum, insufficientis per se est auctoritas ad assensus firmitatem obtinendam.

Ars critica docet, quæ sint indicia, quæ testium seu scientiam seu veracitatem certam, aut saltem probabilem faciunt.

ARTICULUS II. DE TESTIMONII NECESSITATE ET UTILITATE

Propositio I

241. *Veritates, quæ humanæ rationis captum superant, cognosci aliter non possunt, quam per divinum testimonium.*

Hujusmodi enim veritates neque sensuum experientia, neque idearum comparatione cognosci possunt, neque ex aliorum hominum testimonio primitus accipi. Igitur ad eas ediscendas divinum testimonium est humano generi absolute necessarium.

Propositio II

242. *Utile est humano generi, ut veritates quoque naturalis ordinis, quæ ad cognitionem sive Dei sive moralium officiorum pertinent, fide divina accipiat.*

Nam, ut experientia docet, harum rerum cognitio valde difficilis est; æque a paucissimis addisci cognitione scientifica possunt ac præterea philosophi, qui naturali investigatione hæc perscrutati sunt, in multis erraverunt, et contraria docuerunt; nec sufficienti auctoritate in docendo instructi esse poterant.

Propositio III

243. *Utile est omnibus, imo plane necessarium, ut testimonio humano, sive dogmatico sive historico, fidem in pluribus adhibeant.*

Et primo quidem hoc quod dicimus, perspicuum est in primis rationalis vitæ initiis. Plura enim quæ in prima illa ætate necessaria scitu sunt, quæque nec experientia nec ratiocinio tunc assequi datur, non aliter quam majorum auctoritate confisi, addiscere possumus.

Nec in infantia solum, at in omni deinceps ætate utilis est omnibus ac necessaria fides.

Multæ enim sunt veritates scitu utiles et necessariæ ad vitæ tum physicæ tum moralis usus, quarum scientificam cognitionem maxima hominum pars sibi comparare nulatenus potest, sive ob ingenii limitationem, sive ex mediorum defectu, sive quia aliis occupationibus distinetur. Atque illi ipsi qui docti dicuntur, multis in rebus rudes sunt et indocti, et in pluribus aliis prudenter timent ne in errorem inciderint. His igitur omnibus testimonium dogmaticum necessarium est, aut saltem utile.

De testimonio historico idem dicendum. Cum enim hominis cujusque præsentia ad certa quædam temporum locorumque spatia determinata sit, quæcumque extra breves hosce limites contingunt, experientia ipsi nostra attingere non possumus. Ea igitur ignota semper nobis forent, nisi aliæ experientiæ subsidiis uti possemus.

ARTICULUS III. DE TESTIMONII DOGMATICI AUCTORITATE

Propositio I

244. *Quæcumque docentis Dei testimonio nituntur, infinitam habent auctoritatem.*

Deus enim ex essentia sua absolute infallibilis est, et ipsa veritas. Repugnat ergo quam quod maxime ut decipi possit vel decipere. Quæcumque igitur Deus revelet, sive hæc dogmata sint sive facta, metaphysicam habent certitudinem (480. 2°).

Propositio II

245. *Humanum testimonium dogmaticum certitudinem proprie dictam ex se gignere non valet. Judicia tamen quæ dicuntur sensus communis, ejusmodi sunt, ut iis falsitas subesse nequeat.*

Probatur 1^a pars.

Non raro quidem constare poterit de docentium veracitate, præsertim quando plures sunt, qui in eadem sententiam conspirant. At si docentium solummodo personæ spectentur, nunquam constare certo poterit ipsos non errare. Certum est enim homines in rebus præsertim scientificis esse fallibiles; certum quoque est communia quædam doctorum placita, atque adeo judicia quædam humano generi aliquo tempore communia, falsa fuisse. Itaque nisi aliqua rei de qua agitur notitia ostendat, ea in re plurium errorem possibilem non esse, fatendum est testimonium hominum dogmaticum, *in se* spectatum, nihil præ se ferre quo certam fidem facere valeat.

246. Notandum nihilominus 1^o quo plures sunt auctores qui aliquam sententiam docent, et quo majori sapientiæ æstimatione gaudent, eo probabiliorum esse eorum sententiam.

2^o Si qua est sententia, in quam doctores omnes uniformiter consentiant, ejus probabilitatem omnino maximam esse; nec ab ea esse recedendum, nisi evidens ratio aut experientia contrarium demonstret; aut saltem ostendat, cognitiones ad rem de qua agitur definiendam necessarias, iis defuisse.

247. Probatur 2^a pars.

Si qua sint communia judicia, eaque constantia atque perpetua, ut ostendi possit, non aliunde illa quam a puro rationis fonte defluxisse, neque ullam vel causam vel occasionem, ex iis quæ rectam de rebus æstimationem perturbare solent, locum in iis progignendis habuisse; sane judicia illa in certissimarum numero veritatum habenda erunt. Secus dicendum foret, rationem humanam necessitate quadam sibi congenita ad errorem ferri; quod pror-

sus absurdum est. In his igitur adjunctis, communis persuasio est certissimum veritatis argumentum.

Atqui sunt revera persuasiones hujusmodi : illæ videlicet, quæ vel prima et immediata principia, vel immediatas ac faciles eorum consecutiones pro objecto habent. Harum autem complexio sententiarum *sensus communis* dicitur. Ergo.

248. Ceterum minime egemus communis testimonii magisterio ut veritates istas addiscamus, neque ejus auctoritate ut ratas illas certasque habeamus. Sunt enim unicuique certissimæ propter eam, qua omnibus affulgent, evidentiæ. Tamen communis persuasio in his ad duo juvat : 1^o ad hoc ut veritates adeo necessariæ facilius ac promptius addiscantur, ac menti validius inhæreant : 2^o ut protervis earum impugnatoribus pudor injiciatur.

ARTICULUS IV. DE AUCTORITATE HISTORICI TESTIMONII

Propositio

249. *Testimonium historicum, certis quibusdam adjunctis communitum, plenam jure fidem sibi vindicat.*

Si enim certo constare potest, testibus nec facti scientiam nec veracitatem deesse, eorum auctoritas ad certitudinem gignendam sufficit (240). Atqui per adjuncta tum facti tum testium, de utroque constare nobis certo potest. Ergo.

250. Potest nobis certo constare, 1^o testibus facti cognitionem non deesse.

Ut enim hoc constet, certi esse debemus, testium sensus in facto percipiendo recte fuisse dispositos, et convenienter adhibitos (205).

Jamvero quum multi sunt testes, aut quum factum ejusmodi est ut sensibus etiam aliquo vitio laborantibus percipi potuerit, quis dubitet de idonea sensuum dispositione ?

Sensus autem fuisse convenienter adhibitos certo constabit, quum v. gr. factum sine ulla diligentia et sine ullo errandi periculo percipi poterat; aut quum fuit publicum et illustre, ita ut omnium attentionem ad se converterit;

aut quum testes peculiaribus motivis ad rem diligenter inquirendam permovebantur.

254. 2° Potest nobis certo constare de testium veracitate; idque ex quibusdam legibus moralibus (144, 3°), una cum testium factique adjunctis.

Leges morales hac in re præ oculis habendæ, binæ sunt.

1^a Homines ex se amant et quærunt veracitatis laudem, nisi quid obstet, et nihil magis ægre ferunt quam mendaces haberi.

2^a Homo potest quidem verax esse, etsi veritas nullum ipsi emolumentum, imo vero etsi damnum afferat; at non mentitur, nisi bonum aliquod se per mendacium assequi posse speret, quod in ejus æstimatione, difficultatis quam mentiendo experitur, sit compensatio sufficiens. Hinc adagium: *nemo gratis mendax*.

252. Adjuncta quæ, his legibus positæ, certam faciunt testium veracitatem, sunt hæc.

1° Quum testes multi sunt, iique ætate, natione, studiis, moribus diversi, et tamen in re testanda consentiunt.

In hac enim diversitate, primo ipsa in mentiando uniformitas est moraliter impossibilis. Deinde testandi concordia in iis adjunctis nullam aliam causam habere potest, quam facti veritatem omnibus exploratam. Secus existimandum foret, omnes alicujus boni cupiditate adductos fuisse ad mentiendum (254). In ea autem adjunctorum diversitate diversæ sunt, imo et contrariæ, singulorum utilitates et necessitates, propensiones et cupiditates, quarum aliis mendacium utile esset, aliis inutile, aliis omnino noxium. Ergo non potuerunt omnes in commune mendacium convenire alicujus boni illecti cupiditate. Ergo sola veritas fecit illos concordēs.

2° Etiam si testes pauci sint, si tamen rem enarrant coram iis, qui ex tali facto aliquid sibi sperent vel timeant, quiquæ mendacium et deprehendere et redarguere facile possint, certa omnino est testium veracitas. Nam in his adjunctis in primis nemo quantumvis malus mentitur. Hi enim testes certi sunt se non posse quemquam decipere, ac probe norunt se non posse tuto mentiri, sed mendacii notam atque infamiam certo incururos, si mentiantur.

Præterea in iisdem adjunctis veritas diu latere non potest. Illi enim quorum facti veritas interest, si norunt

falsum esse quod dicitur, mentienti contradicent, ac ditorum falsitatem demonstrabunt : si autem veritatem ignorant, eam investigabunt, ac mendacium in lucem extrahent.

5° Pone factum quod quidam testantur, contrarium esse opinionibus quibus ipsi imbuti sunt, vel parti aut sectæ cui sunt addicti, insuper testimonium quod reddunt, nulum bonum ipsis afferre, sed infamiam, bonorum jacturam, cruciatus, mortem. Poteritne quisquam suspicari, num forte hujusmodi testes cupiditate aliqua ad mentiendum adducantur?

253. Ex dictis deduces certitudinem hominum testimonio partam esse moralem (180, 2°), ut quæ in universalibus et constantibus hominum moribus nititur. Repugnat enim, posita morum humanorum firmitate (251), testes in quibusdam adjunctis fuisse mendaces.

254. Objicies testium quoque collectionem quamcumque certum veritatis argumentum non videri. Nam 1° Singuli errare poterant ; 2° singuli liberi fuerunt ad mentiendum. Ergo etiam omnes simul errare potuerunt vel mentiri.

Resp. ad 1. *Dist.* Singuli errare poterant, si eam attentionem quam res postulabat, non adhibuerunt, *conc.* si adhibuerunt, *nego.*

Ad 2. *Dist.* Singuli liberi fuerunt ad mentiendum, et tamen aliunde constare potest eos non esse mentitos, *conc.* hoc constare non potest, *nego.* Unde constet, jam expositum est.

Hinc *dist. cons.* quoad 1 partem, ut ad 1. Quoad 2, omnes simul mentiri potuerunt possibilitate absoluta vel physica, *conc.* possibilitate morali, *subd.* sub quibusdam positi conditionibus, *conc.* sub quibusdam aliis, *nego* (251).

ARTICULUS V. DE TRADITIONE, DOCUMENTIS ET MONUMENTIS

255. 1° *Traditio*, ut certam gignere possit fidem, debet esse 1. *perpetua*, i. e. talis ut traditionalis seriei annulos relegendo, ipsius caput ac principium in testibus immediatis factoque coævis reperiamus ; 2. *ampla*, nimirum ut

singulæ traditionalis seriei lineæ plures testes contineant; 3. versari debet circa *factum publicum et illustre*, quodque a multis cognosci debuerit.

Si traditio his ornetur dotibus, non poterit illi falsitas subesse. Id colliges ex dictis in præcedenti articulo (252, 1º, 2º).

256. 2º Ad *historica documenta* quod attinet, alia requiruntur, ut hæc idonea sint ad probandum, alia ut certam factorum fidem faciant.

Ut idonea sint ad probandum, ostendi debent 1. *authentica*, i. e. ad eum scriptorem eamque ætatem pertinentia, cui adscribuntur; si secus sit, dicuntur *supposita ac spuria*; 2. *integra*, ita ut nec mutilata, nec depravata, nec mendis corrupta fuerint; 3. *non interpolata*, videlicet ut nihil illis additum aut insertum sit, quod auctor non posuerit.

257. Ut vero certam factorum fidem faciant, constare debet scriptores et ea recte cognovisse quæ narrant, et veraciter narrare.

Primum constabit, si factum fuerit sensibile, publicum, illustre; scriptor autem vel testis cœvus et domesticus, vel traditionis legitimæ organum, vel qui ex publicis ac certis documentis aut monumentis facti notitiam depromserit.

Veracitas autem certa fiet, si documenta historica sint plura et concordia, licet historicorum diversa natio, secta, studia fuerint. Unici quoque historici veracitas certa erit, si hic in iis sit versatus adjunctis, quæ in articulo præcedenti descripsimus, secundo loco (252, 2º).

258. 3º *Monumenta* plenam habebunt auctoritatem, si fuerint 1. *authentica*; 2. *factis contemporanea*; 3. traditioni legitimæ ac certis documentis *minime opposita*.

ARTICULUS VI. UTRUM AUCTORITAS SIT UNICUM CERTITUDINIS MOTIVUM

259. Exstiterunt nonnulli, qui omnibus humanæ certitudinis motivis despectis, suadere conati sunt, individualem rationem sola auctoritate suffultam e dubitatione emergere posse et aliquid certi tenere. Lamennaisius communi humani generis sensui hunc honorem detulit. Huetius aliique

divinæ revelationi. Sed utriusque doctrinam falsam esse facile constabit.

Propositio I

260. *Humana auctoritas non est unicum certitudinis motivum.*

Etenim 1^o falsum est fundamentum cui opinio hæc innititur, nimirum omnia cognitionum nostrarum media esse per se fallacia. Vide superius dicta de singulis.

2^o Eadem opinio communi sensui quem adeo deprædicat, est prorsus opposita. Homines enim universi existimant, rationem individualem certissimas per ea media cognitiones acquirere posse; neque alias frequentius reddunt assertionum suarum rationes, quam illas: *ego vidi, ego sentio, est per se evidens, clara est consequentia.*

3^o Demum, ut alia omittam, systema hoc, dum auctoritatem adeo extollit, ipsa fundamenta quibus auctoritas innititur, funditus evertit. Etenim antequam testibus, quicumque illi sint, fidem adhibere possimus, hæc duo explorata esse debent: 1. testes aliquid dicere; 2. eos sibi fidem mereri.

Jam ut cognoscamus testes aliquid dicere, sciendum est, et quidem certo, esse alios homines, eos quædam verba proferre, hisque verbis hæc potius quam aliam sententiam ab iis supponi, etc.

Ut vero cognoscamus homines sibi fidem mereri, certum nobis esse debet, eos nec deceptos esse, dum id quod edocent, didicerunt, nec velle decipere, dum id quod didicisse se dicunt, edocent.

Sed hæc omnia cognitione assequi non possumus, nisi conscientia, sensibus, ratiocinio, memoria pluries utamur. Quamobrem, si cognitiones ex his fontibus haustæ erroneæ sunt vel incertæ, nulla fides est amplius possibilis.

Propositio II

261. *Divina auctoritas non est unicum certitudinis motivum, neque ut motivum ordine primum haberi potest.*

Sane antequam Deo revelanti fidem quis adhibeat, certum illi sit oportet: 1^o Deum esse; 2^o Deo revelanti esse

credendum; 5° Deum aliquid credendum proponere. Jam hæc omnia certa esse nequeunt, nisi per rationem individualement, sensu intimo, sensibus externis, idearum comparatione ac memoria utentem. Ergo.

CAPUT V

DE VERITATIS CRITERIO

262. Superest ut de criterio seu indicio quo veritas a falsitate distinguitur, et mentis certitudo gignitur, disputemus. Et quoniam criterium hoc in evidentia situm est, videbimus 1° quid sit evidentia, et quotuplex sit; 2° an evidentia reipsa sit veritatis criterium; 3° an veritates omnes possint humanæ rationi evidentes esse.

ARTICULUS I. EVIDENTIÆ NOTIO

263. 1° Evidentia, si primitivam vocis vim attendas, est objecti *perspicuitas*, nempe prominens quædam visibilitas, qua objectum quasi ultro se porrigat intuendum; verbo *necessaria objecti visibilitas*. Hæc porro necessaria visibilitas ex tribus consurgit: 1. ex objecti realitate; 2. ex opportuna lucis copia quæ objectum illustret; 3. ex eo quod objectum luce sua vim visivam actu percipiat. Quare evidentia in objecto est et intuentem afficit, et a visione distinguitur ut causa ab effectu. Atque hæc est evidentia *sensibilis*.

264. Sed objectis quoque intellectus, ac veritati maxime enuntiabilium evidentia tribuitur significatione translata, et recte omnino. Ut enim inter sensus intuitionem et intellectus cognitionem magna est similitudo, ita quoque inter ea quæ utramque determinant, affinitas manifesta intercedit. Quare sicut evidentia sensibilis est necessaria objecti visibilitas, ita evidentia *intelligibilis* definienda erit: *necessaria veritatis intelligibilitas*. Cujus quidem elementa sunt: 1. *veritas*, quæ realitati respondet; 2. *motiva veritatem manifestantia*, quæ respondent luci;

5. *manifestatio motivorum*, quæ respondet actioni præsentis lucis in visus organum.

265. At quandonam veritas est necessario intelligibilis? Tunc sane, quum tantum non fit menti manifestum rem certo quodam modo se habere, sed etiam aliter se habere non posse; seu quod in idem recidit, quum non modo nulla ratio occurrit dubitandi de opposito, sed insuper elucet *rem necessario ita esse*, necessitate sive absoluta sive hypothetica (180, 4^o). Tunc enim nulla manet suspicio de oppositi possibilitate. Quare poterit tandem evidentia definiiri, ut in primo capite (180, 4^o) subindicavimus, *enunciabilem necessitas menti innotescens*.

266. 2^o Evidentia, pro ratione seu motivi partialis ex quo consurgit, seu modi quo menti affulget, multiplex est ac multiformis.

1. Alia *immediata* est, alia *mediata*. Immediate evidentes sunt illæ propositiones, quarum veritas et necessitas per se ipsa innotescit. Mediate vero illæ, quæ ex evidentibus principiis evidenti consequentia deducuntur. Plane ut in corporibus, quorum quædam visibilia sunt quia per se lucent, quædam quia ab aliis illuminantur.

2. Evidentia, ut et certitudo, dividitur in *absolutam* et *hypotheticam*; in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*.

3. Notanda est divisio evidentie in *intrinsecam* et *extrinsecam*.

Evidentia intrinseca habetur, quum necessarius nexûs subjectum inter et prædicatum per ipsam rei manifestationem aperitur: nempe quum res ipsa suum attributum, aut aliquid ex quo attributum infertur, intuenti manifestat.

Evidentia autem extrinseca non prodit ex manifestatione objecti de quo fit enunciatio sed a manifestatione signi quod ipsi objecto extraneum est, et nihilominus cum propositionis veritate necessario connexum. Hujusmodi est evidentia iudiciorum quæ in auctoritate sive divina sive humana fundantur. In quibus, si solum species auctoritatis motivum, nulla de ipsa propositionis veritate evidentia habetur, sed ejus loco de his duobus: 1. de testimonii existentia; 2. de testimonii connexionem cum propositionis veritate (240). Quare propositiones quæ extrinsecam hanc evidentiam præ se ferunt, revera non possunt evidentes dici, sed solum *evidenter credibiles*.

ARTICULUS II. AN EVIDENTIA SIT VERITATIS CRITERIUM

267. Veritatis criterium duplici modo intelligi potest. Aliud enim est criterium *per quod* veræ cognitiones hauriuntur, aliud est criterium *secundum quod* veritas a falsitate distinguitur. Illud est medium assequendæ veritatis, estque multiplex, pro varietate fontium ex quibus veræ rerum notiones dimanant, de quibus supra actum est. Hoc autem est indicium veritatis, et complectitur motiva omnia quæ cognitionum veritatem suadent ac certitudinem gignunt; quæ motiva, uti mox ostendemus, ad evidentiam reducuntur.

268. De indicio hoc secundum quod veritatem a falsitate distinguiamus, duplex potest institui quæstio: 1^a an datur; 2^a si datur, quodnam sit. Jam prima quæstio absurda est; qui enim eam proponit, is in dubio collocat, utrum mens humana apta sit cognoscendæ veritati. Non enim potest mens veritatem cognoscere, nisi criterium ipsi suppetat, quo illam discernat. Igitur quæstio solummodo altera de veritatis criterio fieri potest.

Propositio

269. *Evidentia est criterium secundum quod veritatem a falsitate distinguiamus, ac propterea est ultimum certitudinis motivum.*

Etenim 1^o si quis inquireat quid nos verum existimemus, quid falsum, deprehendet profecto nos verum tenere quidquid per cognitionum nostrarum media legitime adhibita apprehendimus; falsum autem quidquid his opponitur. Sed si inquiras ulterius, cur verum æstimemus id quod per hujusmodi media apprehendimus, quid tandem reperies? Reperies proculdubio nos ita æstimare, quia media illa manifestum nobis faciunt, rem, saltem in iis adjunctis, aliter esse non posse. Ergo quæcumque enunciabilia vera putamus, ideo vera putamus quia necessaria se nobis manifestant; videlicet quia sunt evidentia.

2^o Idipsum ex certitudinis natura sponte consequitur. Certitudo enim ex eo gignitur, quod formido omnis errandi sit penitus exclusa. Atqui formido errandi non ces-

sat, donec suspicio aliqua maneat, num forte res aliter se habere queat ac apparet. Ut autem hæc suspicio arceatur, necesse est ut manifestum fiat rem aliter esse non posse, saltem pro ea temporis differentia in qua apprehenditur. Ergo ut inducatur in animum certitudo, propositionis necessitas, quatenus se manifestat, generale certitudinis motivum est.

270. Ex dictis hæc colliguntur.

1^o Dubitatio omnis de evidentie infallibilitate est prorsus absurda. Si enim indicium illud quo veritatem a falsitate mens discernit, fallibile sit, jam mens assequendæ veritati est inepta.

2^o Hinc nulla propositio evidens falsa esse, et vicissim nulla propositio falsa evidens esse potest. Qui de hoc dubitat, is scepticismo det victas manus necesse est.

3^o Proinde nullus error est physice necessarius. Intellectus enim physica necessitate ad iudicium non determinatur, nisi ab evidentia. Evidentia autem cum falsitate sociari nequit.

4^o Propterea omnis error a libera voluntatis motione originem habet. Intellectus enim vel ab evidentia veritatis ad assensum determinatur, vel a voluntate: ipse enim se determinare non potest. Ad assensum autem erroneum profecto non determinatur a veritatis evidentia. Determinatur igitur a voluntate.

5^o Denique tota certitudinis theoria hoc principio continetur: *quod est evidens, verum est*. Hoc vocatur evidentie principium; nec recipsa differt a primitiva illa veritate: *ratio potest veritatem cognoscere*, quam conditionem primam appellavimus (186).

271. Obj. 1^o Si criterium veritatis in evidentia situm est, huc illud redit: *res ita est, quia sic mihi videtur*: quod quidem absurde et ridicule dicitur.

2^o Inde quoque inferri oporteret, omne id quod nobis certum est, evidens esse: hoc vero est falsum; nam v. gr. revelata mysteria certa sunt, sed non evidentia.

272. Resp. ad 1. *Dist.* Criterium veritatis huc redit: *res ita est in se, quia sic mihi videtur, nego*; affirmatur a me ita esse, quia sic mihi videtur, *subd.* nempe quia sic mihi arridet, vel quia sic utcumque rem apprehendo, *nego*; quia rem ita esse, et aliter esse non posse, necessario mihi est intelligibile, *conc. et contradist. min.*

Ad 2. *Dist.* Omne id quod certum nobis est, evidens est, vel evidētia intrinseca veritatis, vel evidētia extrinseca credibilitatis, *trans.* semper evidētia intrinseca veritatis, *nego*; et *contradist. min.*

De revelatis autem mysteriis animadvertē, supernaturalem fidei certitudinem, quanquam et ipsa evidētiā aliquam credibilitatis, tanquam conditionem, supponat, non esse tamen hujus evidētiæ necessarium effectum; sed præterea requirere divinæ gratiæ adjutorium, et pium voluntatis motum qui intellectum ad assensum inclinet. Qua de re theologi.

273. Obj. 3^o Multi errarunt et errant, et nihilominus evidētiā jactant. Ergo.

Resp. *Dist.* Evidētiā jactant mala fide, vel inconsiderate, *conc.* jure et veraciter, *subd.* circa idipsum quod affirmant, *nego*; circa aliquid aliud ipsi affine, *conc.*

Primo igitur suat qui evidētiā jactant, probe sentientes se ad affirmandum quod affirmant, evidētia non moveri. Et hi quidam sibi aliisque mentiuntur. Sed multo facilius contingit, ut quidam, dum ex affectu judicant, et præcipitanter aliquid affirmant, per exaggerationem quamdam evidens dicant esse quod asserunt, cum id solummodo probabile sit, nec se necessarium ullo modo manifestet.

Aliquando tamen qui errant, aliquid perceperunt omnino evidens, et nihilominus errant, quia non affirmant illud ipsum enunciabile quod evidens ipsis factum est. Hoc autem his præsertim modis accidit.

1. Quia subjectum aut prædicatum in aliud commutant quam judicant;

2. Quia judicium extendunt ultra eos limites, intra quos objectivam propositionis necessitatem perspexere;

3. Quia absolute judicant verum id quod in aliqua solummodo suppositione verum foret;

4. Quia quandoque evidētia consequentiæ quæ vere adest, ita accipitur, ac si esset evidētia consequentis, qua hoc nihilominus caret.

274. Obj. 4^o Falsitas quandoque proponi potest intellectui ut evidens veritas, ac proinde error potest esse necessarius. Id autem contingit ex invincibili ignorantia.

Nam a) quædam propositiones evidentes sunt veræ sub

quadam conditione, et falsæ sine illa. Atqui potest fieri, ut invincibiliter ignoremus sublatam esse conditionem. In hoc ergo casu iudicium nobis evidens erit falsum.

b) Ita vulgus errat circa solis motum. Invincibiliter enim ignorat terram moveri.

275. Resp. *Nego* invincibilem ignorantiam posse falsitati evidentiam veritatis tribuere.

Ad 1. *Dist. maj.* Propositiones ejusmodi sunt evidentes, inclusa et attenda conditione illa, *conc.* sunt evidentes, ea conditione non inclusa aut non attenda, *nego* : et *concessa min. dist. cons.* Iudicium erit falsum, si in iudicio adhuc includatur conditio, *nego* ; si non includatur, *conc.* Errabimus nempe, quia confundemus conditionalem propositionem evidentem cum categorica et non evidenti. Quando autem ignorantia est invincibilis, conditio sub qua iudicium verum est, in iudicio semper includitur.

Ad 2. Solem moveri evidens est hypothetice non absolute ; videlicet si terra non movetur. Vulgus autem ignorat quidem terram moveri ; non tamen evidens ipsi est eam non moveri. Igitur quum iudicant non moveri terram, ac per consequens moveri solem, affirmant quæ evidentia non sunt. Concedi tamen debet errorem hunc *moraliter* necessarium esse.

276. Concludamus. Ab omni errore immunes erimus, si nil aliud tanquam certum amplectamur, nisi illud ipsum ac solum quod nobis evidens est, et id solum tanquam certo falsum respuamus, quod evidentiæ perceptæ evidenter opponitur. Verum quidem est evidentiam non posse semper ad nutum haberi : obstat enim et rerum cognoscendarum difficultas et hominis infirmitas. At tunc quoque quum evidentia abest, error, saltem formalis (179, 2^o), vitari ab eo poterit, qui dubitare non timeat, et in opinionibus amplectendis non ultra excurrat assensu, quam et motivorum vis et prudentiæ regula permittant.

ARTICULUS III. DE EVIDENTIÆ LIMITIBUS

277. Præsens articulus est adversus eos qui rationalistæ dicuntur. Hos si audias, existimandum esset nullos humano intellectui esse præfinitos limites, sed quantum intelligibilem patet ambitus, tantum intelligentiæ nostræ virtu-

tem atque perfectibilitatem extendi : hinc nullam veritatem humanæ rationi per se et absolute inaccessibilem esse, nullam ad quam indefinito provectora progressu pertingere ipsa aliquando non debeat. Hæc si vera forent, veritates omnes possent aliquando nostro intellectui intrinsece evidentes esse. At nihil minus vere, nihil magis audacter dictum.

Propositio

278. *Fatendum est veritates quasdam esse quæ absolute et per se humanæ rationis captum excedunt.*

Etenim, ut cetera omittam, multæ certe veritates quæ ad divinam naturam pertinent, humani intellectus vires exsuperant. Nam si quis alicujus rei essentiam non cognoscit cognitione experimentalis, aut cognitione argumentativa quæ experimentalis æquivalet, is multa quæ ad eam rem pertinent, ignorat necesse est. Ut si quis ideam colorum experimentalem non haberet, is non alia posset de coloribus cognoscere, nisi quæ ex ideis indeterminatis entis, qualitatis et aliis hujusmodi, atque ex proportionibus quibusdam cum aliis sensationibus deducere licet; si tamen cognosceret ex aliorum dicto colores esse.

Jam Dei essentiam humana mens naturalibus viribus nec intuetur, nec intueri potest. Neque potest ex ideis rerum ceterarum ideam essentiæ divinæ acquirere intuitivæ æquivalentem. Res enim finitæ quas cognoscimus, infinite ab infinito distant, nec genere cum illo communi continentur. Ex his itaque cognoscere Deum possumus, solummodo ut est prima omnium causa; nempe quod ipse est, quod non est ab alio, et quod perfectiones quæ in rebus finitis elucent, supereminenter continet. Et hæc quidem cognitiones rationis humanæ vires non superant; sed Deum ut est in se, et quæcumque divinæ essentiæ intima sunt, ab humana mente cognosci æque repugnat, ac cognitionem colorum quam visio suppeditat, ab eo haberi qui cæcus sit natus.

279. Obj. 4^o Plurimæ veritates quæ prius humano ingenio putabantur imperviæ, postea cognitæ sunt, atque adeo vulgares effectæ, ut v. gr. physicæ scientiæ progressus testantur. Hinc inferre licet plurimas alias veritates cognitum

iri, si difficultates quæ earum cognitionem præpediunt, tollerentur.

Resp. Hujusmodi veritates quæ cognitæ sunt aut quæ cognosci possent, humanæ rationis captum superant, non per se sed *per accidens*; atque has a ratione cognosci sublati difficultatibus, nullatenus repugnat. Ast ex hoc non sequitur, nullas esse veritates, quibus assequendis mentis humanæ vires ex sese sint impares.

280. Obj. 2° Si quid supra rationem foret, hoc ipso contra rationem esset: quod enim supra rationem est, non est rationi conforme. At quod contra rationem est, veritas non est. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Quod supra rationem est, non est rationi conforme *negative*, quatenus non iis continetur, quorum veritatem ratio per naturalia media cognoscit, *conc. positive*, i. e. quatenus iis contineatur quorum falsitatem ratio cognoscit, *nego*.

Supra rationem est ea propositio, inter cujus terminos nec convenientiam nec discrepantiam ratio suis relicta viribusprehendere sufficit. Atque hæ quidem propositiones non sunt secundum rationem negative, quia quemadmodum ratione cognosci nequeunt, ita cum principiis quibus ratio regitur, aut cum iis quæ per media naturalia ratio cognoscit, connexionem necessariam nobis non manifestant. Contra rationem vero est ea propositio quæ evidenti veritati opponitur, quæ nempe in terminis quibus constat, vel absolute vel hypothetice, vel immediate vel mediate contradictionem aliquam rationi obijcit. Atque hæ propositiones non sunt secundum rationem positive. Quemadmodum igitur differunt inter se *non posse cognosci* et *contradictionem includere*, ita differunt esse supra rationem, et esse contra rationem.

281. Ex dictis inferes;

1° Objectiones omnes contra revelatum quodcumque mysterium satis confutari, si ostendatur nullam in ipso contradictionem evidentem iis demonstrari.

2° Imprudentissime agere et absurde eum qui veritatibus quas a Deo revelatas esse constat, rationem propriam subijcere detrectet. Hic enim finitam rationem, atque in iis ipsis quæ ejus vires non superant adeo infirmam, intelligentiæ infinitæ iudicem constituit.

5° Philosophiam fidei christianæ disciplinam esse, ab ejusque mysteriis non minus quam a primis rationis principiis regi ac manuduci oportere.

Nullò sane opportuniore monitu recte judicandi disciplina concludi poterat.



METAPHYSICA

1. Metaphysica, si ex etymo vocis quæras significacionem, idem sonat ac *post physica*, vel *ultra physica*. Hinc ex vi nominis metaphysica est: *scientia quæ physicæ succedit*, vel *scientia quæ naturam sensibilem transgreditur*. Prima interpretatio ad hujus scientiæ historiam pertinet; altera definitionem realem continet. Cum enim omnes scientiæ philosophicæ de rerum rationibus diversimode ultimis agant (Pr. 3.), hæc illas sibi eligit contemplandas, quæ immateriales sunt, i. e. ab omni materia vel re vel mentis consideratione abstractæ, et a sensuum experientia maxime remotæ, quæque propterea sunt revera inter omnes altissimæ ac nobilissimæ.

2. Quamobrem scientia hæc inter ipsas phylosophicas disciplinas fundamentalis est et præcipua. Ipsa enim est quæ notiones et principia, quibus scientiæ omnes indigent ac passim utuntur, illustrat, quæ veritates in omni cognitionum ordine fundamentales constituit, quæ ipsa cognoscendi instrumenta scrutatur et explicat. Proinde dignitate et utilitate humanarum scientiarum princeps jure merito existimatur.

3. Metaphysica in *generalem* et *specialem* dividitur. Generalis, quæ *Ontologia* appellari solet, expendit rerum rationes ultimas quæ mentis consideratione a rebus abstractuntur. Specialis vero in tres partes distribuitur. Prima est *Cosmologia*: hæc quæ de mundo corporeo generaliora sunt et maxime abstracta, complectitur. Altera est *Psychologia*, quæ de animæ humanæ natura et facultatibus agit. Tertia est *Theologia*, quæ de Deo O. M. disserit.

LIBER PRIMUS

ONTOLOGIA

4. Ontologia est *scientia rerum, prouti notionibus maxime abstractis exhibentur*. Objectum igitur Ontologiæ sunt ideæ primæ, elementares omnibusque communes,

nempe tum quæ omnia rerum determinatarum genera transcendunt, tum quæ ex his transcendentibus emergunt (L. 17). Hæ tamen idæ in hac scientia non considerantur subjective, prouti videlicet sunt mentis actus, sed *objective*, i. e. in iis rationibus quas repræsentant et continent expressas.

Quoniam vero hæ omnes abstractissimæ notiones ad notionem *entis* reducuntur, idcirco hæc scientia *Ontologia*, nimirum *entis scientia* nuncupata est.

5. Triplex autem consideratio totam hujus scientiæ materiam complectitur: 1^a est de ente ipso et de communibus ejus affectionibus: 2^a de entium generibus supremis, seu categoriis; 3^a de entium-realitate ac varia perfectione.

CAPUT I

DE ENTE EJUSQUE AFFECTIONIBUS

6. Quod ad ipsum ens attinet, de his quatuor disserendum est: 1^o de entis notione; 2^o de entis essentia; 3^o de entis vario statu; 4^o de communibus entis proprietatibus, et de proprietatibus oppositis.

ARTICULUS I. DE ENTIS NOTIONE

Propositio I

7. *Entis notio proprie definiri non potest, nec definitione eget: at potest declarari quid entis nomine veniat.*

Prima pars liquet ex eo quod notio hæc est omnium clarissima, omnium simplicissima, et omnibus nostris conceptibus immixta. Quemadmodum autem quædam veritates a philosopho recipi sine demonstratione debent (L. 183); ita quoque quidam conceptus absque definitione ab eo supponendi sunt.

8. Quid vero entis nomine veniat, declarari potest hoc

pacto. Ens est quod habet esse. Esse autem dupliciter dicitur, *absolute* et *relative*: absolute, ut quum v. gr. dicimus: *Deus est*; relative, ut quum dicimus: *Deus est bonus*. In prima autem acceptione verbum *est* significat ipsum existentiae actum; in secunda actum essentiae, videlicet entitatem aliquam seu realitatem determinatam.

Ens itaque duo significat: 1° *id quod existit*; 2° *id quod aliquam realitatem habet*; et hoc sensu est idem ac *res*. In hac altera potissimum acceptione, quæ et existentia et possibilis omnia complectitur, Ontologia ens considerat.

Propositio II

9. *Non-ens intelligi nullo modo potest per se, sed duntaxat per respectum ad ens.*

Etenim non-ens est negatio entis. Solum autem ens per se intelligitur: proinde non-ens intelligitur duntaxat ut entis remotio.

Hinc non-ens, quemadmodum ens, et absolute accipi potest et relative. Absolute negationem existentiae; relative negationem certæ cujuscumque realitatis significat.

Negatio porro entis, si totalis est, *nihil* conceptum efficit. Est ergo nihilum vel negatio omnis existentiae, vel negatio omnis realitatis. Si primo modo accipiatur, dicitur nihilum *positivum* vel *privativum*; si altero, nihilum *negativum*.

Propositio III

10. *Intellectus noster de ipso non-ente ad modum entis cogitare potest.*

Exinde *ens rationis*, quod ratio concipit ac fingit, quum cogitat ut ens id quod in se entitatem non habet. Quum v. gr. intellectus concipit aerem luce non illuminari, nihil concipit per modum entis; sed quum de tenebris cogitat tanquam de quadam aeris affectione, tunc puram negationem respicit tanquam ens, cui ad modum entium realium, subjecti vel prædicati partes in propositione attribuit, ut fit v. gr. quum dicimus: *tenebræ erant*.

Propositio IV

44. *Ab entis notione immediate dimanant principia, quæ dicuntur identitatis, contradictionis, et exclusi medii.*

a) Quum intellectus ens considerat, actum essendi quem in illo contuetur, per iudicium exprimens, dicit: *ens est*, seu *quod est est*. Hoc dicitur principium identitatis; quod formam quoque assumit negativam: *quod non est, non est: nihilum non est*.

b) Si intellectus comparet ens cum non-ente, statim agnoscit alterum alterius exclusionem esse: hinc iudicium: *esse excludit non esse*, et vice versa. Cujus exclusionis necessitate perspecta, iudicium in modale transformatur, videlicet in hoc: *impossibile est esse et non esse se invicem non excludere*, seu: *idem non potest simul esse et non esse*. Hoc dicitur principium contradictionis.

c) Demum ex immediata oppositione entis cum ejus negatione tertium dimanat principium: *quælibet res aut est aut non est*; quod dicitur principium exclusi medii.

ARTICULUS II. DE ESSENTIA

42. *Essentia est id quo res est id quod est.*

In qualibet re sunt quædam notæ, quarum una vel altera sublata, rei conceptus constare amplius non potest. Quædam aliæ vero sunt, quibus cogitatione præcisis, vel etiam re ipsa deficientibus, adhuc tamen intelligitur quid res sit. Illæ igitur notæ, non istæ, rei essentiam constituunt. Sic, ut exemplo utar, parum refert an circulus sit majoris vel minoris magnitudinis, sit ex lapide aut papyro, etc.; quocumque enim modo hæc se habeant, circuli ratio non mutatur. Circuli enim propria ratio in eo sita est, quod omnia peripheriæ puncta a centro æquidistant. Idcirco si ab hac essentiali nota præscindas, circulum amplius non concipis.

43. *Essentia a veteribus vocabatur etiam rei quidditas: interroganti enim quid res sit, respondemus subjiciendo illius essentiam, significatam vel per nomen rei proprium,*

quod respondet conceptui essentiæ confuso, vel per definitionem, quæ distinctum essentiæ conceptum significat (L. 60).

Quod si essentia consideretur ut est principium activitatis qua ens pollet, et actionum quæ ab ipso eliciuntur, idem est ac *natura*. Natura enim est *entis ad certo quodam modo operandum dispositio atque tendentia*.

14. Rerum porro essentia ex duplici modo quo considerari et explicari potest, in *physicam* et *metaphysicam* dividitur.

Essentia dicitur *physica*, quum essentialia constitutiva, ut in re sunt, considerantur, nulla abstractione aut artificiali partitione adhibita.

Dicitur vero *metaphysica*, et etiam *notionalis*, quum constitutiva entis metaphysica considerantur; essentia nempe divisa in partem communem, quæ genus est, et in partem propriam, quæ est differentia.

Propositio I

15. *Nulli dubium, quin probe cognoscamus rerum illarum essentias, quarum constitutio ab intellectu humano dependet. At rerum naturalium essentias imperfecte admodum, et exterius potius quam intime cognoscimus.*

Ratio primæ partis est, quod intellectus humanus ignorare non potest quænam sint constitutiva quæ ipse excogitat et conjungit. Ita v. gr. nemo ignorat quid sit clavis aut liber.

16. Pars altera constat ex eo, quod rerum naturalium essentias intellectus cognoscere non potest, nisi quantum ad id sensitiva intuitionem aut intimo sensu juvatur, ac prope modum manuducitur. Sensitiva autem cognitio intima rerum constitutiva non attingit, sed solum quasdam earum qualitates aut quosdam effectus. Non aliam igitur essentialium hujusmodi notionem intellectus habet, nisi eam quam notæ istæ præbere possunt, cum indeterminatis notionibus entis, causæ, subjecti conjunctæ. Unde essentiam omnem primo concipimus obscure per indeterminatum realitatis conceptum, ac deinde ulteriori accedente expe-

rientia, et comparatione rerum ad invicem, ut realitatem quæ per determinatas qualitates certosque effectus se manifestat. Sic v. gr. corporis essentiam concipimus ut realitatem, quæ se manifestat extensione ac vi resistendi.

17. Hinc colliges vehementer errasse Lockium, quum asseruit, essentias reales esse nobis omnino ignotas. Sunt enim nobis rerum essentia cognita, non quidem in se, sed in suis manifestationibus propriis atque constantibus, quæ quid illæ sint, satis in conceptu nostro determinant.

Propositio II

18. *Rerum essentia sunt indivisibiles, immutabiles, æternæ.*

a) *Sunt indivisibiles*: videlicet nec minui possunt nec augeri datæ rei constitutiva. Si enim minui hæc concipiantur vel augeri, jam non amplius rem illam habebis sed aliam: illa enim ex his, et non pluribus neque paucioribus notis constat.

19. b) *Sunt immutabiles*. Si enim ens suam essentiam in aliam mutare posset, jam quia suam amitteret essentiam, non esset amplius illud ens quod esse ponitur; et quia essentiam susciperet alienam, esset alterum ens. Proinde non esset id quod est, et esset id quod non est. Quare potest quidem aliquod ens non esse amplius, sed essentiam suam mutare in aliam non potest.

20. Oppones mutationes perpetuas quæ in rerum natura fiunt, per quas una res in aliam convertitur, v. gr. lignum in flammam.

Sed in promptu est responsio. Falsum est enim in his omnibus mutationibus mutari essentias: etenim solummodo quædam essentia singulares et compositæ existere cessant, aliæque illis succedunt quæ prius non existebant, quæque aliqua primi compositi constitutiva sibi vindicant. Atque huc spectat mutatio ligni in flammam.

21. c) *Sunt æternæ*. Nempe in statu intelligibilitatis, non in statu existentia. Etenim certæ ac determinatæ rei constitutiva hæc esse et non alia, non aliquando cæpit esse verum, nec aliquo solum tempore verum fuit, aut verum est; sed semper verum fuit, ac necessario verum est,

et independenter a rerum singularium existentia. Intelligibilitas insuper rerum et possibilitas non in tempore esse cœperunt, sed ante omne tempus objectum necessarium divinæ intelligentiæ exsistere.

ARTICULUS III. DE EXSISTENTIA ET POSSIBILITATE

22. Ens est vel in statu *exsistentiæ* vel in statu *possibilitatis*.

Quidquid enim realitatem aliquam habet per quam cogitationis objectum esse possit, vel actu illam habet et extra mentem, vel non habet quidem actu, sed habere potest. Hinc entis divisio in *exsistens* et *possibile*, seu *ens in actu* et *ens in potentia*. Ens in actu est res in ordine physico; ens in potentia est res in ordine metaphysico et intelligibili; illud actualitatem propriam habet extra mentem, hoc actualitatem solummodo idealem in mente quæ illud concipit.

25. Exsistentiæ notionem simplicissimam simul et clarissimam frustra quis verbis illustrare tentet. Cogita quid de te dicas, quum dicis: *ego sum*; et quid sit existentia optime intelliges. Hæc porro vox, si ejus etymologiam spectes, significat rei ex alia re emersionem quamdam atque apparitionem. At si usum sequaris, idem est ac *actualitas rei extra mentem*. Hinc usurpatur hæc vox etiam quum de Deo loquimur.

24. Possibilitatis notio ex ipsa rerum existentium cognitione efflorescit. Quiquid enim existit, existendi capax est, et existendi capax erat antequam existeret. Hinc intelligimus, non solum id quod actu existit existendi capacitatem habere, sed alia quoque multa quæ non exsistunt, ad existendum idonea esse. Sic possibilitatis puræ notionem adquirimus; id enim quod non est et esse potest, possibile purum dicitur.

Quum vero de possibilibus cogitamus, ac varias idearum consociationes exsequimur, quædam in his occurrunt, quæ ad existentiam devenire non posse cognoscimus. Et exinde *impossibilitatis* notio consurgit.

25. Possibilitas porro duplex distingui debet, *intrinsicæ* et *extrinsicæ*.

Possibilitas intrinsicæ est *habilitas ad existendum*,

orta ex eo, quod rei constitutiva repugnantiam ad invicem non habent; ut possibilitas statuæ ex auro.

Possibilitas extrinseca est *habilitas ad existendum, procedens ex virtute causæ, quæ idonea sit ad rem producendam*; ut v. gr. possibilitas extrinseca statuæ est ab artifice.

Possibilitas *adæquata* utramque complectitur. Utraque enim requiritur conditio ut ens venire ad existentiam possit.

Huic duplici possibilitati duplex respondet impossibilitas. Nimirum dicimus *intrinsece impossibile* id quod in suis constitutivis contradictionem continet ut triangulum quadrilaterum. Et hæc intrinseca impossibilitas alia est absoluta, alia hypothetica, ut ex dictis in Logica colligitur (L. 180, 4^o). *Extrinsece impossibile* est id ad quod producendum proportionata causa non adest.

26. Possibilitas intrinseca est *absoluta*, ac limites non habet, nisi contradictionem; sed extrinseca relativa est: quod enim unius causæ vires superat, alterius non superat, ita quod illi impossibile, huic possibile est. Certe omnia quæ intrinsece possible sunt, extrinsecam quoque possibilitatem habent, si infinita Dei virtus spectetur. At si creatarum causarum vis attendatur, quædam nulli causæ creatæ possible sunt, quædam vero aliis possible, aliis impossible, ut patet. Quæ ab aliqua causa creata fieri possunt, *physice possible* dicuntur; quæ a nulla possunt, *physice impossible*: talis est v. gr. creatio ex nihilo.

Quum vero agitur de quibusdam actionibus ab homine ponendis, attendenda est etiam *moralis possibilitas* vel *impossibilitas*. Moraliter possibile, ut jam statuimus in Logica (L. 180, 2^o), est id quod communibus hominum moribus non repugnat, impossibile, quod repugnat.

Propositio

27. *Intrinseca possibilitas nec a Dei potentia, nec a Dei voluntate originem ducit; sed ex ipsis rerum essentiis emergit.*

a) Prima opinio quæ quorundam veterum fuit, est manifeste falsa. Etenim si unica ratio cur aliquid possibile ha-

bendum sit, hæc est, *quia Deus illud producere potest*, sane unica ratio qua aliquid impossibile est, hæc esset, *quia Deus illud efficere non potest*. Hinc vel nihil posset absolute impossibile dici, vel dicendum, esse aliquid ad quod divina potentia se extendere nequeat. Utrumque autem est prorsus absurdum: primum enim omnem certitudinem subruit; alterum vero divinæ omnipotentiae conceptum tollit.

28. *b)* Altera opinio est Cartesii. Juxta quem idcirco solum quædam possibilium non sunt, quia talia illa Deus esse voluit; ita ut si Deus aliter voluisset, illa essent possibilium. Itaque si Deus ita vellet, hæc existendi haberent capacitatem, adeoque divina virtute effici possent. Atqui hoc plane repugnat.

Nam repugnat terminum divinæ virtutis operantis esse nihilum absolutum; absurdum est enim, Deum operari et operando producere nihilum. Atqui si dicas, Deum efficere posse quæ possibilium modo non sunt, dicis terminum divinæ virtutis operantis esse posse nihilum. Quæ enim modo possibilium non sunt, elementis constant quæ contradictionem includunt. Jam quæ contradictoria sunt, se mutuo destruunt. Igitur si Deus vellet utrumque simul, nollet simul utrumque, adeoque nihil vellet. Fac v. gr. Deum velle circulum quadratum. Quid vellet in hac hypothesis? vellet circulum non circulum, et quadratum non quadratum; nimirum nec circulum vellet nec quadratum.

29. *c)* Intrinsicæ possibilitas tota continetur sociabilitate idearum diversas entitates exhibentium. Cur enim quædam ideæ sociabiles sunt? Profecto quia entitates quas ipsæ repræsentant, sunt id quod sunt; si enim aliter se haberent, possent insociabiles esse. Ergo interna possibilitas et impossibilitas ex rerum essentiis dimanat. Ut exemplo utar, unde exurgit circuli aurei possibilitas? Sane ex eo quod essentia circuli nihil habet quod excludat esse aureum. E contrario quid est quod facit circuli quadrati repugnantiam? Nihil aliud quam hoc, quod circulus est circulus, et quadratum est quadratum.

30. Hinc facile solves quæ objici solent.

Obj. 1^o Voluntas omnipotens potest omnia facere. Ergo potest etiam facere ut impossibilia sint possibilium.

2^o Secus omnipotentia limitibus coarctaretur.

Resp. ad 1. *Dist.* potest omnia facere quæ potest velle,

et quæ possunt fieri, *conc.* quæ non potest velle, et quæ non possunt fieri, *nego.*

Ad 2. *Nego.* Impossibile enim non est aliquid, sed merum nihil. Nullis autem limitibus circumscribitur divina potentia, quum dicimus ipsam non posse facere nihilum; quia non nihilum, sed ens actionis terminus esse potest.

31. Essentiarum metaphysica realitas et intelligibilitas, ex qua possibilia consurgunt, in ipsa divina essentia fundamentum æternum ac necessarium habet. Sed de hoc alibi.

Interim ex dictis colliges, possibilitatem intrinsecam, æque ac rerum essentias (19, seq.), *immutabilem* et *æternam* esse; ac proinde *incrementi et decrementi incapacem.*

ARTICULUS IV. DE UNITATE ET MULTITUDINE

32. Dicendum nunc de communibus entis proprietatibus, quæ sunt *unitas, veritas, bonitas*, et de earum oppositis, quæ sunt *multitudo, falsitas et malum.*

Unum definitur: *quod est indivisum in se.* Quare unitas neque est aliquid ab ente reipsa distinctum, neque aliquid positivi addit enti, sed solummodo notat negationem divisionis in ipsomet ente: quum enim divisio in ente concipitur, unius entis conceptus tollitur, eique succedit notio opposita *multitudinis.*

33. Propria hæc unius ratio valde differt ab alia hujus vocis significatione, quam intendimus quando unum vocamus quod unicum est, ut quum dicimus unum Deum unamve Ecclesiam. Est porro *unicum*, quod ita unum est, ut in aliqua ratione cum nullo alio similitudinem habeat. Unde unicitas est *negatio consortis in aliquo genere*; neque est, ut patet, communis entis affectio.

34. Unitas diversos habet gradus, prouti magis minusve ens divisionem a se arcet. Hinc:

4° Unitas perfectissima ea est quam dicunt *indivisibilitatis*, qua unitate ea distinguuntur entia, quæ non modo actu divisa non sunt, sed nec dividi in plures partes possunt. Hujusmodi sunt entia simplicia, ut est animæ humanæ substantia, actus item affirmandi, eligendi, et similes.

In his porro actus dum reflectimus, unitatis hujus notionem adipiscimur.

2^o Unitas huic succedit *compositionis*, quæ prodit ex conjunctione plurium, quæ ad unum compositum constituendum natura ipsa ordinantur. Talia sunt v. gr. corpora omnia.

3^o Proxima est unitas *artificialis*, ex iis constans, quæ ad talem unionem natura non ordinantur, habent tamen ordinem aliquem nexumque inter se ex hominis dispositione. Hujusmodi unitas est v. gr. in domo, vestimento, horologio, et in toto morali (L. 55).

4^o Unitas infima est quæ dicitur *aggregationis*, quæ habetur quum plura entia nulla physica unionem nulloque inter se ordine conjuncta, solummodo contigua sunt, quia temere congesta. Sic unus est lapidum acervus.

55. Unitas porro, secundum quod rebus convenit, alia est *realis*, alia *rationis*.

Unitas realis est quæ rebus convenit ex se, et ante omnem intellectus operationem.

Unitas rationis est quæ rebus convenit, prouti hæc sunt cognitioni intellectus abstractivæ et comparativæ, qua universalis fiunt (L. 222); ac definiri potest: *unitas conceptus repræsentantis naturam plurium*.

56. Unitas autem realis vel est unitas in genere quantitatis, unitas nempe *mathematica*, ut est pars quæcumque in extensione sumpta, vel omnibus rebus conveniens. Et hæc est alia *individualis*, alia *formalis*, quæ binæ unitatis rationes non quidem re, sed conceptu differunt.

Unitas individualis est in hoc, quod individuum secundum eam entis rationem qua unum dicitur, non sit communicabile multis tanquam inferioribus (L. 45). Unde individuum definitur: *id quod in plura talia quale ipsum est dividi nequit*.

Unitas formalis est *indivisio ipsius essentiæ*, nempe in plures essentias. Prædicata enim essentialia rei determinatæ, hoc ipso quod illius rei essentiam constituunt, unam constituunt essentiam, non plures. Sic essentia v. gr. hominis ex suis constitutivis una resultat, non plures.

57. Multa sunt quæ in aliquo entitatis genere *divisionem habent*: unde multitudo est *entium divisio*. Quæ divisio non hoc modo est intelligenda, quod multa

sint eã duntaxat quæ separata sunt et nullo inter se nexu conjuncta, sed ita sane, quod multa sint ea quorum unum non est aliud. Sic v. gr. partes quæ totum constituunt, conjunctæ sunt et simul cohærent, et nihilominus sunt multæ partes, quia una pars non est altera.

58. Quum mens multitudinem percipit et in unum colligit, ideam *numeri* efformat: numerus enim est *collectio unitatum*. Elementa porro quibus numeri idea constat, hæc tria sunt: 1^o *unitas*, nam unitatum aggregatio intelligi nequit, nisi idea præcedat unitatis: 2^o *divisio*; etenim ea solum quæ aliquo modo divisa sunt ab invicem, multa sunt: 5^o *similitudo* aliqua, seu *unitas logica* (L. 222) multorum, vel secundum aliquam rationem determinatam, ut quum dicimus *duos homines*, vel saltem secundum indeterminatam entis rationem, ut quum dicimus simpliciter *tria*; sine hæc enim similitudine unitates non possent *in unum* colligi.

Propositio

59. *Omne ens est unum.*

Nam unumquodque ens vel est simplex, vel est compositum. Si est simplex, non modo est indivisum, sed etiam indivisibile. Si est compositum, hoc ipso indivisum est. Si enim sit divisum, non erit amplius compositum, non erit amplius ens ullo modo, sed entia.

40. Est autem manifestum, rem eandem posse esse secundum aliquam rationem unam, et secundum aliam multa. Sic spectata rei essentia, hæc est una; spectatis partibus essentialibus vel integralibus, habes multa. Itemque universale unum est actu, multa in potentia, etc.

ARTICULUS V. DE VERITATE ET FALSITATE

41. Descriptio veritatis quam in Logica assumpsimus (L. 168), nullatenus mutanda est quum de entium veritate quæritur. Itaque etiam veritas entium propria est *adæquatio intellectus et rei*. Nisi quod quum veros dicimus mentis conceptus, res ad intellectum referuntur ut mensura ad mensuratum; sunt enim veri conceptus

mentis si rem adæquent : quum autem dicimus veras res, res ipsæ rationem habent mensurati, et intellectus mensuræ : veritas enim rerum est in hoc, quod ipsæ alicui intellectus conceptui conformes existant.

42. Hujusmodi vero conceptus vel est exemplar ad cuius similitudinem res effecta est, vel criterium secundum quod de rei natura fertur iudicium. Hinc res duplici modo veræ dici possunt : 1° *per se et absolute*. 2° *per accidens et secundum quid*.

Per se et absolute res veræ sunt per comparisonem ad intellectum illum, a quo dependet earum constitutio; si videlicet archetypas ideas adæquent, ad quarum exemplar conditæ sunt. Sic res omnes naturales veræ sunt comparatæ ad intellectum divinum; quia æternarum idearum quæ in mente divina sunt, similitudinem adamussim assequuntur. Eodem modo res artificiales, quæ a creatis agentibus fiunt, veræ dicuntur per comparisonem ad intellectum artificis, si præconceptam ab illo ideam exacte referant.

Per accidens autem et secundum quid rebus veritas tribuitur in ordine ad intellectum a quo non dependent, quum sunt id quod putantur vel dicuntur esse; seu quum habent entitatem conformem illi ideæ, ad quam referuntur. Sic dicitur *amicus verus* ille qui habet omnes proprietates, quæ in idea tali nomine expressa continentur.

43. Hinc inferes :

1° Quum res a nobis veræ dicuntur, veras dici semper modo hoc altero, i. e. per comparisonem ad intellectus nostri ideas : non enim archetypas ideas sive Dei sive creatorum artificum intuemur.

2° Rerum veritatem esse ipsam earum realitatem, addito respectu ad conceptum intellectus, cui hæc realitas conformis existit.

44. Falsitas rerum est *difformitas rerum ab intellectu*. Dicuntur vero res falsæ per se et absolute in ordine ad intellectum a quo dependent, si abnormes sint ab exemplari artificis idea; per accidens vero et secundum quid, comparatæ ad intellectum a quo non dependent. Et hoc dupliciter;

1° Quotiescumque res ejusmodi sunt, ut iudicii falsi occasionem præbeant. Tales sunt illæ quæ cum quibusdam aliis externam aliquam præferunt similitudinem : quum

enim res illæ menti obijciuntur, apprehensionem quidem veram gignunt (L. 472), at falso iudicio viam parant, quo quis æstimet, rem objectam esse eam cuius hæc speciem gerit (L. 474). Sic stamnum dicitur falsum argentum. Atque hic est modus potissimus quo res falsæ dicuntur.

2° Dicitur etiam quandoque falsum in rebus id quod est falsum in mentis iudicio : quum videlicet per iudicium erroneum conceptus qui rei non convenit, ad ipsam refertur ; secundum hunc conceptum res falsa dicitur. Sic idolum dicitur falsus Deus.

45. Notabis autem :

1° Res quæ falsæ dicuntur, non dici falsas simpliciter, quia simpliciter veræ sunt, sed solummodo *secundum quid*, videlicet secundum id quod non sunt, et quod putantur esse aut putari possunt.

2° Hinc falsitatem in rebus nihil esse, sed iis tribui per comparisonem ad aliquem intellectus conceptum.

Propositio

46. *Omne ens verum est.*

Verum primo veritate absoluta (42) ; quia actu conforme ideis divini intellectus, a quo omnia dependent. Neque hoc solum de naturalibus rebus intelligendum est, sed etiam de hominum operibus, quæ talia sunt, qualia a Deo in causæ potentia, vel per prævisionem liberorum actuum cognoscuntur.

Verum deinde etiam veritate quæ dicitur secundum quid. Omnè enim ens in eo quod est, cognoscibile est, habetque entitatem æstimationi quam de se causare potest, conformem (42). Ens ergo omne verum est, respectu quoque intellectus creati, etiamsi nullus esset intellectus hujusmodi qui res cognoscere posset.

ARTICULUS VI. DE BONO ET MALO

47. Bonitas definitur : *quod est alicui conveniens.* Est autem alicui conveniens id quod illius tendentiæ seu capacitati conforme est et proportionatum. Quæ conformitas et proportio in ipsa rei quæ bona dicitur, entitate ac

perfectione fundatur. Quocirca quum aliquid bonum dicimus, ipsam rei entitatem ac perfectionem significamus, connotando simul existentem in aliquo inclinationem, tendentiam, capacitatem naturalem ad illam.

Animadvertite porro, concretum nomen *bonum* pro abstracto *bonitatis* frequenter usurpari; similiterque *malum* pro abstracto vocabulo *malitia*.

48. Bonum dividi solet a) in *verum* et *apparens*. *Verum* est, quod tale est cujusmodi existimatur; *apparens*, quod non est bonum, licet existimetur.

b) Bonum ens dicitur vel quia *secundum se* bonum est, vel quia *alteri*.

Bonum *secundum se* est quod perfectionem habet sibi convenientem. Sic homo est bonus ratione sanitatis, virtutis, etc.

Bonum *alteri* est quod habet perfectionem alteri convenientem. Hoc pacto Deus est hominis bonum.

c) Pervulgata maxime est boni divisio in *honestum*, *utile*, *delectabile*; quæ divisio proprie boni humani est.

Bonum *honestum* in genere est quod enti convenit *per se* et *ratione sui*. Sumitur autem latius vel pressius.

Latius acceptum est quidquid per se naturam entis perficit, ut est sanitas, integritas, scientia, vita, et ipsum esse: et hoc dicitur *bonum naturæ*.

Pressius est quod per se convenientiam habet cum natura rationali qua tali; id nempe quod rationali naturæ perfectionem ipsi propriam confert; quæ in eo sita est, ut hæc in agendo æternæ rectitudinis regulæ se conformet.

Bonum *delectabile* est id quod habet cum aliquo convenientiam, propter delectationem quam ipsi affert. Delectatio autem est quies appetitus in re convenienti.

Denique bonum *utile* est quod convenit enti, non ex se, nec propter delectationem, sed ratione alterius boni, sive honesti sive delectabilis, quod per illud obtineri potest. Talis est v. gr. pecunia.

49. Malum qua tale, est *privatio boni* seu *carentia perfectionis convenientis*. Non est itaque aliqua realitas aut affectio entis positiva; nam realitas, qua talis, est aliquid bonum non malum. Neque est mera boni negatio; nam secus ea quæ non sunt, essent mala; imo om-

nia quæ sunt, præter Deum, mala essent, quia perfectione aliqua carent. Est igitur malum negatio alicujus boni in subjecto cui bonum ejusmodi convenit ac debitum est, ex naturæ instituto. Hoc pacto negatio visus in statua, aut negatio prudentiæ in equo, mala non sunt; sed negatio visus in animali, et prudentiæ in homine mala sunt.

50. Malum dividitur a) in malum *in se* seu *secundum se*, et malum *alteri*.

Malum secundum se est mera privatio boni debiti ad subjecti perfectionem, sicut ægritudo est malum animalis.

Malum alteri est quidquid alterum bono illi debito privat aut privare potest. Sic lupus est malum agno, justitia judicis est malum sonti, amici mors alteri amico malum est.

b) Dividitur communiter malum in *physicum* et *morale*.

Physicum est privatio boni naturalis (48 c).

Morale est privatio boni moralis, et continetur deficientia liberæ actionis a morum regula.

Addi solet post Leibnitzium huic partitioni tertium membrum, scilicet malum *metaphysicum*, quod situm dicitur in ulterioris perfectionis defectu. Sed defectus iste improprie solum et abusive vocari potest malum, cum non sit boni debiti defectus.

Propositio I

51. *Omne ens est bonum.*

Omne ens est *bonum secundum se* : quia omne ens necessario habet essentialem suam perfectionem, qua actu est, et tale ens est Perfectio autem omnis est bonitas, qua ens in se bonum est : Ergo.

Est etiam *bonum alteri*. Etenim omne ens vel est causa vel effectus, vel est totum vel pars, vel est substantia vel accidens. Jam et causa cum effectu, et totum cum parte, et substantia cum accidente naturalem proportionem habent, et vicissim effectus cum causa, pars cum toto, accidens cum substantia. Ergo unaquæque res est alicui alteri bona.

Propositio II

52. *Malum non potest esse nisi in subjecto bono:*

Malum est privatio perfectionis subjecto debitæ. Ergo malum supponit subjectum cui perfectio aliqua debeat, et in hoc solo esse potest. Sed hoc subjectum debet necessario esse aliqua ex parte bonum. Etenim si malum esset, deberet et ipsum inesse subjecto, et hoc alterum nisi bonum sit, in alio insit oportet, et ita in infinitum.

Præterea subjectum nulla ex parte bonum, esset subjectum nulla ex parte ens, nimirum nihil.

CAPUT II**DE ENTIIUM GENERIBUS SUPREMIS**

53. Sequitur ut suprema entium genera consideremus. Quem in finem de his quinque dicendum est : 1° de substantia ; 2° de accidentibus seu affectionibus substantiæ : primo in genere, ac deinde in specie ; proinde 3° de quantitate ; 4° de qualitate ; 5° de relatione.

ARTICULUS I. DE SUBSTANTIA**Propositio I**

54. *Substantiæ notionem experientia cuique obvia suppeditat.*

Etenim ipsæ rerum tam multæ ac sibi perpetuo succedentes mutationes statim ostendunt, esse aliquid quod mutationes recipit, quodque sub omnibus idem manet. V. gr. cera quam manibus contrecto, modo frigida est, modo calida, dura primum, deinde mollior, ac mox liquescens, transit ab una manu in alteram, et modo unam figuram accipit, modo aliam ; semper tamen eadem cera est quam primo accepi. Est ergo in rebus subjectum affectionum,

et sunt affectiones sibi succedentes in illo : illud *unum* est, *identicum* et *permanens*; hæc vero *plures*, *diversæ inter se*, ac *successivæ*. Idipsum experientia docet interna. Patet itaque, nos primo concipere substantiam ut *subjectum constans affectionum mutabilium*. Et ex concipiendi modo ipsa *substantiæ* denominatio ortum habuit.

Propositio II

55. *Substantia est ens quod per se est, neque indiget alio tanquam subjecto cui inhæreat.*

Si enim affectionum subjectum cum affectionibus quibus subest, comparemus, deprehendimus affectiones omnes ita in sua existentia dependere a subjecto, ut non possint ab ipso avelli et existere per se, sed in illo existere debeant; subjectum autem ab illis esse independens nec indigere illis ut sit; fuit enim sine unaquaque illarum, et esse perstat etiamsi illæ cessent. V. gr. mea cogitatio non potest esse sine mente mea, nec a me ad alterum transire, ita chartæ figura aut albedo sine charta et extra chartam existere, saltem naturaliter, nequit. Sed mens mea potest esse sine illa cogitatione, et charta sine illa figura; potestque mens ab una cogitatione ad aliam, et charta ab una figura ad aliam transire. Igitur substantia ita existentiam habet ut per se sit, nec alio indigeat ut sit. Affectiones autem ita existentiam habent, ut non per se sint, sed in alio ut in subjecto, quo indigent ut sint.

56. Hinc 1° liquet nos ideam substantiæ habere; id quod ceteroqui patet vel ex humani sermonis consideratione. Quid enim significant nomina substantiva concreta, nisi substantias? quid deficit in nominibus abstractis? quid connotant adjectiva, nisi substantiam? At si nomina sunt quæ substantiam significant, est profecto in mente humana idea substantiæ.

2° Manifestum est, hanc ideam claram esse. Si enim clara non esset, substantiam confunderemus cum substantiæ affectionibus; quod nunquam fit.

3° Hinc errat manifeste Lockius, quum asserit, nomina substantiarum nihil aliud exprimere, quam congeriem sensibilibium qualitatum ignota ratione coexistentium. Nam

ipse quoque fateri cogitur, nos præter qualitates sensibiles, illarum quoque subjectum concipere. Revera quis dicat in pomi v. gr. conceptu nihil aliud comprehendere nisi figuram, colorem, dulcedinem coexistentes? Præterea possumus substantiam concipere, in qua nullæ sint qualitates, ut quum substantiam divinam concipimus,

4° Demum substantiæ notio conflictata aut arbitraria non est, sed ex ipsis rerum naturis et per experientiam deprompta.

Propositio III

57. *Nos cognoscimus quidem quid sit substantia universim et per oppositionem ad accidens; minime vero compertum habemus quid determinatas substantias intrinsece constituat.*

Latet enim nos intima rerum essentia (46).

Hinc est quod substantias ab invicem distinguimus non per intrinsecas ipsarum differentias, sed per affectiones ipsarum, perque effectus quos percipimus. Quamobrem idea cujusvis peculiaris substantiæ continetur notione generali et indeterminata *entis per se*, cui determinatæ qualitates inhærent et ex quo certi effectus dimanant.

58. *Substantia alia est simplex, alia composita; alia completa, alia incompleta.*

Substantia simplex est quæ nec partibus physicis (L. 54) constat, nec in physicas partes resolvi potest. Composita est quæ ex certa certarum partium conjunctione constat.

Unde erues 1° compositæ substantiæ essentiam tum pro partium componentium diversitate, tum pro diversa inter easdem partes conjunctionis ratione, diversam esse.

2° Compositam omnem substantiam, cum in partes dividi possit dissolutioni esse obnoxiam; adeoque esse essentialiter contingentem (L. 94).

3° Partes physicas quæ compositam substantiam constituunt, esse totidem substantias. Nam possunt ab invicem actu separari, et separatæ esse perstant. Ergo per se sunt.

59. *Substantia completa est ea quæ, sive simplex sit*

sive composita, ex se non ordinatur ad compositum substantiale constituendum. Hujusmodi est angelus, massa auri, homo.

Incompleta est ea quæ ex se ordinatur ad substantiale compositum, ut anima hominis ejusque corpus, ramus arboris, manus, etc.

ARTICULUS II. DE SUBSTANTIÆ AFFECTIOIBUS

60. *Accidens, ut ex dictis de substantia colligitur (55), est ens quod est in alio tanquam in subjecto.* Pluribus sane modis unum in alio esse potest. Est enim pars in toto, est effectus in causa, corpus in loco, contentum in continente, etc. Ab his omnibus differt esse in alio *ut in subjecto*, quod accidentis est proprium; ipsum enim ejus esse est esse in alio, videlicet inesse substantiæ. Unde ab Aristotele dicitur esse *ens entis*.

61. Nota autem 1^o accidens latius et strictius accipi posse. Latius acceptum est quidquid substantiam afficit, sive id necessario ex ejus essentia dimanet, ut sunt quæ a logicis vocantur propria (L. 48, 4^o), sive contingenter ad illam pertineat, ut sunt v. gr. potentiæ actus. Strictius est quidquid contingenter ad substantiam pertinet, quod proinde, salva ejus essentia, potest esse vel abesse. Atque hoc est accidens quod logici considerant (L. 48, 5^o).

Nota 2^o quædam accidentia intrinsecus afficere proprium subjectum, ut sunt v. gr. potentiæ earumque actus; quædam vero non intrinsecus afficere subjectum, nec proprie illi inesse, sed potius esse circa illud, vel aliquo modo ad illud extrinsecus referri, ut est locus aut vestis. Illa dicuntur accidentia physica, hæc *denominationibus*, ut aiunt, *extrinsecis* fundamentum præbent.

Propositio I

62. *Substantia et accidens non univoce dicuntur ens, sed analogice.*

Nam etiamsi huic voci, *ens*, conceptus unus indeterminatus respondeat, qui et substantiæ convenit et accidenti, huic tamen conceptui ex parte rerum non una eademque

ratio determinata entis, sed rationes in se diversæ respondent. Substantia enim et accidens in ipsa entis ratione discrepant : si quidem substantia est ens per se, accidens ens in alio.

Neque dicas modos hosce essendi esse differentias quasdam communi rationi entis adjectas, cujusmodi est rationale et irrationale respectu animalis. Nam modi illi cum sint reales, jam sunt entia ; adeoque non sunt extra entis conceptum (L. 20) : quapropter non sunt differentię rationi entis adjectę, sed differentię quę ipsam entis rationem diversam faciunt.

Itaque substantia et accidens non dicuntur ens univoce, sed analogice, analogia videlicet attributionis (L. 58). Substantia enim, ut diximus, est ens per se, accidens vero est ens per habitudinem ad illam ; est enim ens in substantia.

63. Modus entis est *habitus aliqua*, seu *respectus entis ad aliquid aliud*, et in concreto : *ens conceptum sub hac habitudine*. Sic v. gr. esse verum est modus entis, quia conceptus veri ens respicit sub habitudine ad intellectum (43, 2^o). Modi itaque realitas non est aliquid reipsa applicitum enti cujus est modus, sed est ipsa entis ejusdem realitas, connotans tamen aliquid aliud cum quo ens confertur.

Sunt autem modi quidam essentialia, ut *esse verum*, *esse bonum*, *esse per se* ; quidam vero adventitii et contingentes, ut *esse alteri unitum*, *esse in hoc loco*, aliaque plurima. Juxta recentiores vero philosophos omne accidens substantię, ac pręsertim accidens strictius acceptum, est substantię modus.

Propositio II

64. *Indubitatum est, accidentia omnia corporeę substantię, posse, hac sublata, a Deo conservari.*

Potest enim divinę virtutis operatio et extra sensus, et in sensibus ea omnia efficere et eodem modo, quę substantia corporea suis viribus intraque suę extensionis limites naturaliter operabatur, atque adeo patiebatur. Divina namque virtus infinita est, ac potest omnia per se efficere quę causę secundę efficiunt, quia omnium rerum virtutem in se eminenter continet.

ARTICULUS III. DE QUANTITATE

65. *Quantitas est partium extra partes positio. Est autem vel continua vel discreta.*

Continua est *quum partes sunt conjunctæ*. Hæc quantitas dicitur proprie *extensio*.

Discreta est *quum partes sunt divisæ*. Hæc proprie dicitur de partibus quantitatis continuæ : analogice vero de omni numero : omnis enim numerus resultat ex unitatibus, videlicet ex partibus logicæ illius extensionis, quæ idearum universalium est propria (L. 45).

Continua vero quantitas potest esse *vel continua ad sensum, vel continua per partium contiguitatem, vel proprie ac vere continua*.

Continua ad sensum est, quum inter partes connexas aliquid est medium. Hujusmodi est continuitas corporum.

Continua per partium contiguitatem esset, si partes, sine ullo medio interjecto, extremitatum suarum contactu copularentur. Contigua enim sunt ea quorum extrema se contingunt.

Denique quantitas erit vere continua, si in ea nullæ sint partes actu distinctæ propriisque limitibus circumscriptæ, quæ suis extremitatibus se contingant, sed solummodo partes distinguibiles, ut sunt in linea geometrica.

66. Continuum hoc proprie dictum aliud est *permanens*, aliud *successivum*.

Permanens est illud *cujus partes sibi coexistunt*; et dividitur in lineam, superficiem, solidum.

Successivum est illud *cujus partes sibi non coexistunt*. Hujusmodi est tempus.

67. Partes vero in quas continuum divisibile est aliæ dicuntur *aliquotæ*, aliæ *aliquantæ*, aliæ *proportionales*.

Aliquota pars est *quæ aliquoties sumpta totum adæquat*: ut sunt palmi in ulna.

Aliquanta, *quæ pluries assumpta vel totum excedit, vel ab eo deficit, adæquat nunquam*; ut v. gr. quadratum in area circulari.

Proportionales denique partes sunt, *quæ fiunt subdivi-*

dendo partes semel habitas, eadem proportione qua prior divisio facta est. Ut quum v. gr. rectangulum bifariam dividis in duo rectangula minora, et unumquodque ex his in duo adhuc minora secas, et ita porro.

Propositio I

68. *Continuum proprie dictum in partes proportionales sine fine dividi potest.*

Zenonis sententia fuit, continuum ex indivisibilibus ordine dispositis coalescere, lineam nempe ex punctis, superficiem ex lineis, solidum ex superficiebus. E contrario Plato et Aristoteles cum mathematicis omnibus hanc continui compositionem negant, docentque continuum integrum quiddam esse, quod in partes semper continuas sine fine divisibile sit. Ad quorum doctrinam demonstrandam, omisis pluribus aliis, hoc unum sufficiat argumentum.

Ut ex punctis linea exurgat, puncta se tangant oportet. Non possunt autem se tangere secundum sui partem, quia punctum partes non habet. Ergo si se tangunt, secundum se tota se tangunt. Quæ autem secundum se tota se tangunt, sunt simul tota, nempe se penetrant, ac proinde continuitatem non efficiunt. Ergo continuum ex indivisibilibus tanquam ex elementis non coalescit. Ergo repugnat continuum in indivisibilia resolvi. Ac propterea quantumvis continuum divisum concipiatur, partes quæ divisione fiunt, nunquam indivisibiles erunt, sed semper ulterius divisibiles.

Propositio II

69. *Termini quantitatatis vere continuæ nihil sunt positivi, sed meræ privationes.*

Hujusmodi termini sunt *punctum* terminus lineæ, *linea* terminus superficiæ, *superficiæ* terminus solidi.

Alii autem sunt *terminantes* continuum, ut v. gr. puncta quæ sunt initium ac finis lineæ : alii *copulantes* designatas in continuo partes, ut est v. gr. punctum quod si-

gnatur in recta per demissum in ea perpendicularum; quod punctum unius partis initium est ac simul alterius finis.

Itaque hujusmodi termini, sive terminantes sint sive copulantes, vere quidem sunt extra mentem: vere enim continuum suos limites habet, vereque partes in continuo designatæ copulantur. Attamen nihil sunt in se positivi, sed meræ privationes; nempe negationes in subjecto apto ad oppositum. Quid enim aliud est v. gr. punctum in concreto, nisi linea quatenus tanta est et ultra non protenditur? Qui vero punctum ut positivum aliquid concipiunt, rem ponunt omnino superfluum. Nam sine hac entitula, linea adhuc terminata remanet. Idem dicito de ceteris indivisibilibus.

ARTICULUS IV. DE QUALITATE

70. Qualitas est *quidquid substantiam complet ac perficit, sive in existendo sive in operando.*

Ad qualitates quæ ipsum esse substantiæ perficiunt, pertinent:

a) *Figura*, quæ modus est seu terminatio quantitatis, quæque *forma rei externa* dicitur, prouti consideratur ut est in subjecto corporeo.

b) *Sensibiles qualitates*, quatenus ex ipsa corporum sive permanenti constitutione, sive transeunte immutatione resultant.

c) Qualitates quædam *compositæ*, quæ nempe ex pluribus coalescunt, ut v. gr. pulchritudo, quæ ex partium dispositione, figura et coloribus consurgit.

71. Ad qualitates quæ substantiam quoad operationem perficiunt spectant:

a) *Potentia naturales*. Est autem potentia: *principium proximum alicujus operationis ad eamque natura sua institutum et ordinatum.*

Potentia porro est vel activa vel passiva.

Activa potentia, quæ et *vis* dicitur, est ea quæ *mutationem aliquam producit*, ut v. gr. facultas loco-motiva quæ est animalium propria.

Passiva, quæ *mutationem recipit*, ut v. gr. sensitiva facultas, quatenus objectorum impressiones excipit.

b) *Habitus*: nempe *qualitas ex se stabilis, ordinata*

ad potentiam operationem adjuvandam ac facilem reddendam. Hujusmodi est v. gr. scientia vel temperantia.

c) *Actus immanentes*, i. e. actus potentiarum, qui ipsam potentiam a qua eliciuntur, perficiunt, ut sunt actus videndi vel intelligendi.

Propositio I

72. *Quædam qualitates contrarium habent, non tamen omnes.*

Contraria sunt binæ res positivæ, quæ intra idem genus maxime distant, et in eodem subjecto vicissim esse possunt, non tamen simul.

Hinc patet potentias sine contrario esse. Quid enim intellectui v. gr. aut voluntati contrarium sit? Patet quoque diversas corporum figuras disparatas esse, non contrarias.

At inter qualitates sensibiles, habitus et actus immanentes contrarietas locum habet. Ita candor nigredini, virtus vitio, opinio vera et error contrarie opponuntur.

Propositio II

73. *Qualitates sensibiles et quæ compositæ sunt, habitus item et actus sunt graduum capaces; non vero figuræ et potentie naturales, saltem in eodem subjecto.*

Gradus est quædam propemodum qualitatis quantitas, quæ ex effectibus mensuratur. Augmentum autem qualitatis, ex quo gradus ejusdem exsurgunt, triplex esse potest; videlicet:

a) *Extensivum*, quod habetur quotiescumque qualitas ad plura se porrigere potest, quæ intra proprii objecti ambitum contineantur;

b) *Intensivum*, quum nempe plus minusve qualitas aliqua a subjecto participabilis est;

c) *Additione subjecti ad subjectum*, quum videlicet plura subjecta eandem qualitatem participantia simul conjunguntur.

74. Manifestum est autem qualitates sensibiles et inten-

sivo augmento et additione subjecti ad subjectum crescere posse, ut patet v. gr. in undis sonoris et luminosis.

Qualitates compositas uno modo vel altero incrementa vel decremента admittere posse, facile intelligitur ex hoc ipso quod ex pluribus qualitatibus resultant.

Habitus et actus crescere possunt augmento extensivo, ut v. gr. scientia et visio, et intensivo, ut virtus et assensus.

Figuræ autem non sunt graduum capaces, quia se habent ut numeri, in quibus gradus esse non possunt. V. gr. potest quidem unum triangulum altero triangulo secundum quantitatem majus esse, at fieri nequit ut unum triangulum sit magis triangulum quam triangulum alterum.

Denique potentia naturales, ommissa quæstione utrum in diversis individuis ejusdem speciei majores minoresve esse possint, non videntur in eodem subjecto incrementa vel decremента posse admittere. Dimanant enim immediate ab ipsa essentia substantiæ : essentia autem semper est eadem. Ad agendum tamen quasdam, ut plurimum, requirunt conditiones, et quædam possunt contra se habere impedimenta. Atque hinc est quod potentiarum actio non eodem semper modo est intensa.

ARTICULUS V. DE RELATIONE

75. Relatio est *habitus*, seu *respectus unius entis ad aliud*.

Ad relationem constituendam tria requiruntur :

Subjectum, quod et *relatum* dicitur. Est ens quod ad aliud habitudinem dicit.

Terminus, seu *correlatum*; videlicet ens ad quod aliud habitudinem dicit.

Fundamentum: est id secundum quod unum ad aliud habitudinem dicit.

V. gr. quum lineam A dico æqualem lineæ B, subjectum hujus relationis est linea A, terminus linea B, fundamentum longitudo lineæ A.

76. Hoc vero fundamentum vel est aliquid quod relationis subjecto inest, vel est aliquid quod non in relationis subjecto, sed in alio consistit. Si primum, relatio est ac dicitur *intrinseca*, si alterum, *extrinseca*, et pertinet ad

relationes rationis, de quibus mox. Tales relationes sunt *esse cognitum* et *esse honoratum*, quia earum fundamentum sunt actus cognoscentis et honorantis, non cogniti et honorati.

77. Relatio alia est *realis*, alia *logica*.

Relatio realis est illa quæ viget inter res independenter ab intellectus consideratione et comparatione. Talis est relatio causam inter et effectum.

Relatio logica est quæ fingitur ab intellectu, quum aliquid quod in re absolutum est, tanquam formam ad aliud ordinantem concipit. Talis est relatio identitatis cum seipso.

Potest autem relatio esse a) realis in utroque relato, ac tunc dicitur *mutua*. Quæ dicitur *ejusdem denominationis*, quum relationis fundamentum in utraque relato ejusdem est rationis: hujusmodi est relatio v. g. similitudinis. Dicitur vero *diversæ denominationis*, quum fundamentum relationis est in utroque relato diversum: hujusmodi est relatio inter causam et effectum.

b) Potest esse relatio in altero relatorum realis, in altero logica; hæc dicitur relatio *non mutua*. Hujusmodi est relatio inter scientiam ejusque objectum. Nam scientia ad suum objectum reipsa ordinem dicit; in objecto autem non est relatio realis ad scientem, est enim scientiæ objectum aliquid absolutum; sed solum logica, secundum quod intellectus illud ut scientiæ terminum apprehendit.

c) Potest denique esse relatio in utroque relato logica. Exemplum habes in identitate rei cum seipsa, ut est inter subjectum et prædicatum propositionis.

78. Ut relatio sit realis, quatuor hæc requiruntur.

a) Ut subjectum sit reale, et hoc per se patet.

b) Ut fundamentum quoque reale sit in subjecto. Relatio enim aliam realitatem non habet quam fundamenti. Si ergo fundamentum reale non sit, aut subjectum vere ad aliud non ordinet, ipsa relatio realis esse non poterit.

c) Ut terminus sit realis et realiter existens. Excipe eas relationes quarum subjectum est mens, vel etiam voluntas. Harum enim facultatum sive actus sive habitus ad objecta quoque possibile et ad entia rationis relationes reales incunt.

d) Ut fundamentum a termino realiter distinguatur. Scus nec relationis subjectum erit a termino realiter distinctum; adeoque nullus erit realis ordo unius ad alterum, sed unius duntaxat ad seipsum; qui quidem ordo mera est relatio logica.

Si qua ex his conditionibus desit, eamque suppleat intellectus, relatio est logica. Ita v. gr. relatio identitatis inter universale et individua, logica est ex primæ conditionis defectu.

Propositio

79. *Manifestum est esse in rerum natura relationes reales.*

Nam quamquam unius rei cum altera comparatio sine intellectus operatione habere locum non possit, nihilominus inest sæpe rebus ipsis, independenter ab intellectu, ordo aliquis et respectus ad aliquid aliud, qui hujus comparationis fundamentum suppeditat. Sic vere ac nemine cogitante effectus a causa dependet, et homo v. gr. magis cum homine convenit, quam cum equo aut planta. Imo totus mundi ordo rerumque harmonia et pulchritudo relationibus continentur. Ergo si realiter est ordo in rebus et harmonia et pulchritudo, existunt profecto relationes reales.

CAPUT III

DE RELATIONIBUS IDENTITATIS ET CAUSALITATIS

80. Relationes omnes reales et mutuae ad duo genera revocantur quorum primum continet relationes identitatis et distinctionis, alterum relationes causalitatis et dependentiæ. Ut itaque de relationibus realibus quæ præcipua sunt exponamus, agendum de his sex: 1º de identitate et distinctione; 2º de principio et causa; 3º de præcipua causarum divisione; 4º de causalitatis notione; 5º de iis quæ ad efficientem causam pertinent; 6º de causarum finitarum activitate.

ARTICULUS I. DE IDENTITATE ET DISTINCTIONE

81. Identitas est *aliqua plurium unitas in entitate*; plurium videlicet sive re sive ratione distinctarum. Differt identitas ab unitate in hoc, quod unitas est denominatio absoluta, identitas vero relativa; hæc enim supponit plura, quæ inter se comparata ad unitatem reducuntur. Est porro identitas relatio *realis*, quum ens refertur ad aliud a quo reipsa distinctum est; *logica*, quum ens refertur ad seipsum. Quum vero identitas est relatio realis plura objecta sunt identica secundum unum conceptum communem; quum est relatio logica, plures conceptus identici sunt secundum unum objectum.

82. Realis identitas diversa est pro diversitate fundamenti, nempe conceptus secundum quem plura conveniunt.

Si conveniunt in essentia, identitas dicitur *essentialis*: quæ quidem potest esse *specificata*, ut est Petri identitas cum fratre suo; vel *generica*, ut est Petri identitas cum suo equo.

Si plura conveniunt in aliqua qualitate, eorum identitas dicitur proprie *similitudo*.

Si in quantitatis ratione conveniunt, hæc convenientia dicitur *æqualitas*.

83. Distinctio identitati opponitur, ac describi potest: *aliqua unitatis carentia inter plura*.

Dicitur autem vel absolute vel cum addito. Distinctio absolute dicta opponitur unitati (82) et identitati logicæ (81); estque negatio esse relativi, seu *negatio unius respectu alterius*, in eo simpliciter posita, quod unum non sit aliud. Hæc proprium sibi fecit distinctionis nomen, vel etiam appellatur *distinctio numerica*.

Distinctio cum addito non modo significat unum non esse aliud, sed insuper vel essentiam vel qualitatem vel quantitatem unius non esse essentiam, qualitatem, quantitatem alterius.

Distinctio quoad essentiam identitati essentiali opponitur. Dicitur proprie *differentia*, si et unum et alterum quæ specie distincta sunt, sub eodem genere contineantur; *diversitas*, si ne in genere quidem proximo conveniant.

Distinctio quoad qualitates opponitur similitudini (82), ac dicitur *dissimilitudo*, vel etiam differentia.

Distinctio denique quoad quantitatem opponitur æqualitati, ac dicitur *inæqualitas*. Huc pertinent relationes majoris et minoris, aliæque id genus.

Distinctio porro absolute dicta dividitur in *distinctionem realem*, et *distinctionem rationis*.

84. Distinctio realis est *carentia unitatis inter plura objecta*. Talis est individui distinctio ab individuo. Convenit cum ea quam in Logica diversitatem objectivam appellavimus (L. 28).

Est autem a) *adæquata* vel *inadæquata*. Adæquata, si unum cum altero secundum nullam sui partem sit realiter unum. Sic homo ab homine distinguitur. Inadæquata, si unum cum altero secundum aliquid realiter unum sit, secundum aliquid aliud non sit. Hoc pacto totum a parte una distinguitur.

b) Ratione terminorum qui distinguuntur, realis distinctio alia dicitur *positiva*, alia *negativa*. Illa intercedit inter res positivas ac reales, ut v. gr. inter Petrum et Paulum; hæc inter ens et non-ens, ut inter lucem et tenebras, aut inter non-entia diversa, ut cæcitatem inter et surditatem.

c) Alia est distinctio *realis absoluta*, alia *realis modalis*. Postrema hæc versatur inter substantiam ejusque modificationes, ut v. gr. inter coram ejusque rotunditatem. Prima illa omnem aliam realem distinctionem complectitur.

85. Distinctio rationis est *carentia unitatis inter plures conceptus ejusdem rei*: seu aliis verbis, rei unius multiplicitas, prouti subest mentis conceptibus. Ut v. gr. quum hominem considero ut substantiam, ut animal, ut creaturam.

Duplex est distinctio rationis: alteram vocant distinctionem *pure mentalem*, veteres vocabant *rationis ratiocinantis*: alteram *cum fundamento in re*, et veteri vocabulo *rationis ratiocinataæ*.

Prima fit a ratione, quum rem exprimit pluribus conceptibus sed non diversis: in quo potius uno conceptu tanquam pluribus utitur, quam rem unam in plures conceptus dividat. Hac distinctione mens v. gr. utitur, quum

ideæ definiti definitionem applicat, ut quum dicimus: *homo est animal rationale*.

Altera fit a ratione quum rem unam eandemque pluribus conceptibus iisdemque diversis exprimit. Illi autem conceptus diversi sunt qui, ut in Logica traditum est (L. 27), non iisdem notis constant. Ita quum in homine animal a rationali distinguimus, distinctione utimur rationis ratiocinatæ.

Propositio I

86. *Ratio qua fit ut una eademque res pluribus ac diversis conceptibus percipiatur, tum in intellectus imperfectione, tum in objectorum perfectione sita est.*

Mens enim nostra quidquid in re intelligibile est unica conceptione exhaurire nequit, sed solum paulatim ac per plures incompletas perceptiones res cognoscit. Huic autem pluralitati perceptionum fundamentum præbet multiplicitas actuum, effectuum, relationum quas objecta præ se ferunt.

Propositio II

87. *Substantia a suis modis contingentibus distinguitur distinctione reali inadæquata et negativa.*

Substantia enim a modo distinguitur, ut substantia cogitata sine modo a substantia cogitata cum modo; seu substantia cogitata sine aliquo respectu, a substantia cogitata cum eodem respectu. Modi enim tota realitas est ipsa realitas substantiæ, addito solummodo respectu ad aliquid aliud (65). Hæc vero distinctio est inadæquata et negativa. Ergo.

88. Dices: si tota modi realitas est ipsa substantiæ realitas, quomodo possunt modi a substantia sejungi?

Respondeo, modos esse, ut diximus, respectus quosdam substantiæ vel partium substantiæ. Modi autem contingentes non sunt in substantia vi essentiæ, sed ab actione aliqua, aut ab alicujus termini applicatione dependent. Idcirco: si actio posita non fuerit vel cesset, si terminus non fuerit appositus vel removeatur, ii quoque respectus deficient, quin tamen aliquid substantiæ realitati detraha-

tur. Ita v. gr. p̄posita actione qua ceræ partes certo quodam modo disponuntur, cera, priore figura deperdita, fit rotunda, nulla realitate illi detracta, nulla adjecta.

Distinctio autem hæc realis dicitur ex eo solum, quod modus contingens connotat præter substantiam reale aliquid extra eandem substantiam, nempe actionem aliquam circa illam, vel terminum illi applicitum, ut modo dictum est.

ARTICULUS II. DE PRINCIPIO ET CAUSA

89. Principium est *id a quo aliquid quocumque modo consequitur*. Quod ab alio consequitur, *principiatum* dicitur. Ad rationem itaque principii duo requiruntur: 1^o ut inter principium et principiatum sit aliqua consecutionis connexio; atque hinc 2^o ut principium sit aliquo modo prius principiato.

90. Principiorum differentie ex diversitate connexionis cum principiato desumuntur. Connexio autem hæc duplex esse potest: *extrinseca* et *intrinseca*.

Connexio extrinseca sita est in consecutione mera unius post aliud. Sic aurora dicitur diei principium. Principium hoc modo cum suo principiato connexum, proprie dicitur *initium*.

Connexio intrinseca constituitur positivo influxu unius in aliud: qui quidem influxus vel *in ordine logico* est vel *in ordine physico*.

Est in ordine logico, quum unum communicat alteri cognoscibilitatem et evidentiam; quo quidem respectu principia in scientiis nuncupamus veritates eas, quæ in aliarum cognitionem nos adducunt. Est in ordine physico, quum unum alteri ipsum esse communicat. Quod in rebus creatis fit dupliciter. Unum enim alteri esse communicat, vel *tantumquam pars constitutiva essentiae alterius* vel *tantumquam in alterius productionem influens*.

Triplex igitur est genus principiorum quæ intrinsece cum suis principiatis connectuntur, videlicet principium *cognitionis*, principium *essendi*, principium *existendi*. Quæ omnia complexus est Aristoteles, quum principium definivit: *id unde aliquid est aut fit aut cognoscitur*.

91. Prioritas qua principium præ principiato gaudet, est triplex. Nam principium proprie dictum et in ordine physico, de quo nunc agimus, prius est suo principiato, vel *tempore* vel *natura* vel saltem *origine*.

Tempore prius est id quod existit, altero nondum existente. Sic Philippus fuit Alexandro prior.

Natura prius est id a cuius existentia dependet existentia alterius quod ex se impar existendo sit. Ignis v. gr. est natura prior calore quem diffundit, licet non tempore.

Origine demum sola prius est id a quo aliquid procedit, quin tamen naturam et existentiam habeat a primo dependentem. Talis prioritas inter divinas solummodo personas locum habet.

92. Ratio est generatim *id omne quo aliquid intelligitur vel potest intelligi*. Hinc rerum ideas appellare vulgo solemus rerum rationes. Communius vero rationis nomine significamus id quo intelligitur vel potest intelligi *quid sit res*, aut *quod sit*, aut *cur sit*. Et in hac speciali acceptione ratio triplex est: *essentiæ*, *existentiæ*, *evidentiæ* seu *cognoscibilitatis*. Quæ partitio cum superius exposita principiorum partitione conspirat. Est tamen discrimen rationis a principio. Principium enim est quod continet rei rationem. Ratio autem in principio contenta est id, quo principium sui principiati esse principium intelligitur.

Hinc patet quid sit ratio *sufficiens*, quid *insufficiens*. Sufficiens videlicet est ratio, si omnia quæ in rationato sunt, per illam plene intelligantur; insufficientis, si non omnia.

95. Causa est *principium influxu suo determinans aliquid sibi insufficientis ad existendum*. In qua definitione vox illa, *principium*, generis locum tenet; sequentes, *influxu suo*, principium cum principiato intrinsece connexum designant (90); cetera palam faciunt, causam esse principium natura prius re quam facit (91). Id quod causa facit, *effectus* nuncupatur.

ARTICULUS III. DE QUATUOR CAUSIS

94. Causarum post Aristotelem quatuor classes assignantur, videlicet *efficiens*, *finalis*, *materialis*, *formalis*. Ac-

cedit causa *exemplaris*, quæ ad unam aut alteram ex his revocari solet.

95. Causa efficiens est *id a quo aliquid fit*. Causæ efficientis propria est *activitas* seu *vis agendi*; per banc enim ea influit in effectum, existentiam ipsi tribuendo. Sculptor v. gr. est causa efficiens statuæ, sol caloris.

96. Causarum efficientium multæ feruntur divisiones : en tibi præcipuas.

Causa *prima* et causa *secunda*. Causa prima est quæ ab alia non pendet, et a qua ceteræ dependent. Causa secunda est quæ pendet a prima.

Causa *per se* et causa *per accidens*. Causa per se est quæ agit id quo naturali destinatione dirigitur, aut quod ipsamet agere intendit. Causa per accidens est agens cujus effectui aliquid præter intentionem vel naturæ vel ipsius agentis conjungitur, maxime si id cum actione non sit necessario connexum; ut quum fodiens terram thesaurum invenit.

Causa *principalis* est illa a qua effectus primario dependet; *instrumentalis*, quæ a principali movetur ac regitur.

Necessaria dicitur quæ positis omnibus quæ ad agendum requiruntur, non potest non agere : *libera*, quæ iis positis, potest agere et non agere.

Adæquata nuncupatur quæ per se par est effectui præstando : *inadæquata* quæ aliarum indiget auxilio causarum. Quæ simul concurrunt ad unum eundemque effectum, *concausæ* dicuntur.

Physica est quæ effectum parit virtute propria, sive principali sive instrumentali. *Moralis*, quæ virtute propria nec producit effectum, nec ad illum producendum illo modo cooperatur, sed solum aliam causam inducit ad operandum mediante ejusdem cognitione. Hoc pacto imperans v. gr. aut deprecans sunt causæ morales.

97. Causa finalis est *id propter quod aliquid fit*. Hæc influit in effectum movendo causam efficientem ad agendum, amore bonitatis quæ in fine est. Movet autem non physice, sed mediante agentis cognitione. Unde sequitur finem ea solum agentia movere posse ad operandum, quæ ipsum cognitione apprehendunt : ac propterea agentia quæ cognitione carent, non ex se in finem moveri, sed ab alio qui finem cognoscat.

Actio vel opus ad finis assecutionem conducens, *medium*; ac si impedimenta finis removeat, *remedium* nuncupatur. Manifestum est, finem amari *propter se*, medium vero qua tale, aut remedium, *propter aliud*, nempe propter finem.

98. Pervulgata est finis divisio *in finem operis*, et *finem operantis*. Finis operis est id ad quod opus natura sua ordinatur, ut v. gr. finis ædificandi est domus, et finis canendi est cantus. Finis autem operantis est id quod agens pro lubitu intendit. Hoc pacto finis v. gr. canentis potest esse lucrum, gloria, delectatio propria, honor divinus, vel etiam ipse cantus: potest enim finis operantis esse id ipsum quod est finis operis.

99. Est etiam usu celebris divisio finis in *proximum* et *remotum* vel *ultimum*; quæ divisio ab ea maxime finis proprietate desumitur, quod sit ratio propter quam media amantur et adhibentur. Contingit enim quandoque, media quæ ad unum finem adhibentur, esse inter se subordinata, ita ut primum sit medium ad secundum, secundum item ad tertium, et ita porro, donec in ultimo medio sistatur, quod ad finem primo intentum statim adducit. In hac ergo serie, medium illud quod primo adhibetur, nullo pacto finis rationem habet; nihil enim aliud fuit propter illud electum: sed medium quod secundum locum occupat, jam rationem finis habet præ primo, quia primum fuit electum propter ipsum; et hoc medium secundum dicitur finis proximus. Cetera media sunt fines remoti, quorum series sistit in ultimo.

100. Causa materialis est *id ex quo aliquid fit*; est nempe subjectum quod efficientis causæ actionem in se recipit. Inluit in effectum, tum quia ejusdem effectus est pars essentialis, tum etiam quia formam qua effectus completur, recipit ac sustentat. Ita marmor est pars essentialis statuæ marmoreæ, et figuram a statuario inductam in se recipit.

101. Causa formalis est *id per quod aliquid fit*; nempe id quo accedente materia determinatam accipit in aliquo genere entitatem. Sic forma statuæ est figura. Formalis porro causa inluit in effectum ut essenziale ejus constitutum, quod ad certam entium speciem materiam determinat.

102. Nota hic tria :

a) Materiam et formam frequenter dici per *metaphysicam abstractionem*, qua unum ut duo consideramus et in his duobus unum ut imperfectum quid, alterum ut perficiens illud. Ita v. gr. genus (L. 48) dicimus materiam, et differentiam formam.

b) Frequenter quoque formæ nomen usurpari *analogice*; quo pacto theologi materiam ac formam in sacramentis distinguunt.

c) Nota demum quid sit *proâuci ex nihilo sui*, quid produci *ex nihilo sui et subjecti*. Ex nihilo sui producitur id omne quod fit ex præexistente materia : ex nihilo sui et subjecti id quod ex præexistente materia non fit.

105. Causa exemplaris est *forma mente præconcepta, in cuius similitudinem fit aliquod opus ex intentione operantis*. Porro exemplar merito inter causas recensetur. Ars enim ad opera artificialia concurrat vere ut causa, at non concurrat nisi per exemplar quo dirigit operantem. Solet autem exemplar vocari *causa formalis externa*, quia rei faciendæ formam agenti offert. Nihilominus dicendum est, exemplar ad causam *efficientem moralem* (96) proprie revocari. Ad causam quidem efficientem quia concurrat ad opus constituendo artificem proxime aptum ad agendum certo illo modo. Ad causam vero moralem, quia concurrat dirigendo ac dictando quid sit faciendum.

ARTICULUS IV. DE NOTIONE ET PRINCIPIO CAUSALITATIS

104. Quædam dicenda sunt nominatim de causæ efficientis notione et de principio causalitatis. Primam Humius pervertere atque adeo evertere conatus est. Alterum nec immediato evidens esse nec demonstrari posse contendit Beguelinus; qui exinde intulit, non repugnare ut aliquid ad existendum prodeat casu mere fortuito. Sed utriusque sententia repudianda est.

Propositio I

405. *Certissimum est nos causæ efficientis genericam ideam habere, licet non cognoscamus in quo causalitas sive interna sive externa sita sit.*

Probatur 4^a pars.

a) Conscientia hanc ideam reperit in mente clarissimam, eamque ab idea successionis omnino diversam. Nemo enim ignorat quam differant hæc duo : *hoc post hoc*, et *hoc ab hoc*.

b) Causæ notionem exprimunt in omnium gentium linguis verba quæ activa dicimus : *facio*, *moveo* et alia infinita.

c) Eandem continent multa alia vocabula, ut *cur*, *quia*, aliaque hujusmodi.

d) His adde quod causæ notione sublata, scientia omnis impossibilis est : scientia enim circa rerum causas versatur : impossibilis quoque est rationalis certitudo de entium quæ extra nos sunt realitate; non enim aliter hæc cognoscitur quam ex effectibus.

406. Probatur 2^a pars.

Quamquam nobis sit probe compertum quid sit causa in genere, non tamen cognoscimus quid sit in specie rerum singularum activitas.

Profecto sensus intimus mihi refert activum influxum qui a me dimanat, sive quum meipsum immuto, sive quum in proprium corpus nisum exerceo. Fatendum tamen est, intolligentiam, dum in facta illa interna se reflectit, et exercitium activitatis proprii subjecti attingit ut sensu offertur intuendum, nec principium unde illa actio dimanat, nec quid actio ipsa sit in se contueri posse : sed solum genericam et indeterminatam causæ notionem exinde acquirere.

Idipsum dicendum de experientia externa. Cognosco quidem corpora in me et in se invicem agere; at quid sit in seipsa corporum singularum activitas, intueri non possum. Patet itaque, non esse nobis notum quid in se sit causalitas in specie.

Propositio II

407. *Causæ idea generica experientiæ ope acquiritur.*

Intellige non experientia tantummodo, sed intelligentia quæ experientia utitur. Ratio enim causæ relatio quædam est, quam sola intelligentia concipere potest. Sed invenit intelligentia ejus ideæ fundamentum et objectum, ut diximus, in intimo sensu. Unde patet falsum esse quod Humius asseruit, per experientiam nullo modo causalitatem nobis offerri cognoscendam. Itaque causæ ideam ex nobis ipsis primo haurimus.

Experientia autem externa profecto nihil aliud immediate attingit quam facta factis succedentia. Sed intelligentia quum aliquid noviter existere deprehendit, analysim exercens in ideam generalem *facti contingentis*, ad ideam causæ generalem et indeterminatam iterum devenit, non intuitionem, sed deductionem, ut mox melius explicabitur. Igitur experientia quoque externa fundamentum nobis suppeditat ad causæ notionem mente concipiendam.

408. Quod autem Humius dicit, ex duobus factis quorum alterum alterum consequitur, prius a nobis causam, posterius vocari effectum, hoc plane falsum est. Nonnunquam enim inter ea quæ sibi constanter succedunt, nullam esse causalitatem cognoscimus, ut v. gr. inter diem et noctem, aut inter anni tempestates; nonnunquam etiam cognoscimus adesse inter duo sibi succedentia dependentiam aliquam, non tamen ut a causa, sed ut a conditione mera, ut est v. gr. inter projectionem corporis combustibilis in ignem, ejusque combustionem; nec raro etsi cognoscamus facti cujuscumque causa incerto adesse, quænam tamen illa sit, an factum præcedens, an aliquid aliud quod occultum sit, ignotum nobis esse fatemur.

Propositio III

409. *Principium causalitatis est analyticum et absolute certum.*

Principium causalitatis sic enunciatur: *nihil fit sine causa et distinctius: quidquid existere incipit, efficientem*

sui causam habet. Subordinatur hoc principium principio alteri, quod latius patet, quodque vocant principium rationis sufficientis: *nihil est sine ratione sufficienti.* Principium enim causalitatis existentiae et quidem incipientis ordinem respicit, alterum vero tum essentialium, tum existentiae, tum cognitionis ordinem amplectitur (92). Ut vero principii causalitatis intrinseca et absoluta necessitas ostendatur, declarare sat est, quomodo in conceptu *existentiae incipientis* contineatur conceptus hic alter: *habens causam efficientem.*

440. Id autem manifestum est ex eo, quod quidquid existere incipit, acquirit seu recipit aliquid quod prius non habebat: prius enim erat solum possibile: possibile autem existentiam non habet. Sed quidquid accipit quod prius non habebat, ab aliquo alio ente id accipiat necesse est. Non enim id accipere potest a seipso; nam illud non habebat: non a nihilo, quia nihilum nihil habet et nihil dare potest; atque adeo adquirere aliquid a nihilo idem est ac illud non adquirere. Ergo quidquid existere incipit, ab aliquo ente accipit existentiam quam acquirit. Sed ens a quo alterum existentiam accipit, est causa efficiens. Ergo.

441. Objicitur. 4^o Principium causalitatis valde obscurum est. Supponit enim existentiam realem. Sed notio existentiae realis est valde obscura.

Resp. *Nego ant.*

Ad prob. *Dist. maj.* Supponit... ita ut hujus principii veritas ac necessitas ab aliqua existentia reali dependeat, *nego*; ita ut existentia realis abstracte et universim in eo consideretur, *conc.* Et *nego min.* Quis enim serio dicat notionem existentiae realis obscuram esse?

442. Obj. 2^o Principium rationis sufficientis sine circulo vitioso demonstrari non potest.

Nam demonstratio alicujus propositionis huc recidit, ut assignetur ratio sufficiens propter quam attributum de subjecto affirmari possit.

Ergo qui aliquid demonstrare aggreditur, supponit non posse attributum de subjecto affirmari, nisi adsit ratio sufficiens conjunctionis eorum.

Ergo qui rationis sufficientis principium demonstrare vult, rationis sufficientis principium tanquam certum assumit.

Resp. *Nego ant.* et animadverto in hoc objecto subro-

gari a Beguelino principium rationis sufficientis principio causalitatis, imprudenter an ex industria, nescio.

Ad prob. *Trans. maj. Dist. 4 cons.* Et hoc supponit quia cognoscit humani intellectus conditionem ac scientiæ naturam, *conc.* et hoc supponit tanquam conclusionem ex principio rationis sufficientis, *nego.*

Dist. 2 cons. Supponit tanquam generatim verum principium rationis sufficientis, *nego*; supponit hoc sensu, quod novit intellectum sine motivo assensum non præbere, *subd.* ut in distinctione superiori.

413. Obj. 5^o Si principium causalitatis admittitur tanquam absolute certum, omnes veritates quæ illi innituntur, essent habendæ ut absolute necessariæ.

Resp. *Nego.* Sunt enim hypothetico solum necessariæ, i. e. posito effectu, non potest hic non habere causam.

414. Hæc vox: *casus fortuitus* duplici modo intelligi potest, *absolute et relative.*

Absolute casus fortuitus est *eventus sine ulla prorsus causa efficiente*; quo sensu hanc vocem usurpant et Beguelinus et athei, quum de rerum origine loquuntur. Hic porro sensus, ut ex prædictis patet, est prorsus absurdus.

Relative autem casus fortuitus est *eventus nec intentus nec prævisus.* Casus autem hoc sensu acceptus absurdus est respectu Dei: quamvis enim quædam ex iis quæ accidunt, non sint ab ipso intenta, nihil tamen illi potest esse non prævisum, cum omnia ipsius providentiæ subjiciantur. Sed respectu hominis nihil absurdi habet. Non enim est absurdum, imo sæpe fit, ut aliquid jungatur per accidens operationi alicujus causæ, quod homo non præordinaverit aut non præviderit.

ARTICULUS V. DE QUIBUSDAM AD EFFICIENTEM CAUSAM PERTINENTIBUS

415. Agere generatim dicimus id omne, quo interveniente aliqua accidit mutatio, seu id omne quod efficit ut sit aliquid quod prius non erat. Activitas igitur est *id quo causa efficiens mutationes inducit.*

In activitatis autem exercitio dicitur *actus primus remotus* ipsa vis agendi: *actus primus proximus* eadem vis, quum adsunt omnia quæ ad agendum requiruntur: denique *actus secundus* ipsum activitatis exercitium.

Hoc actuale exercitium est *actio*. Quæ *transitiva* dicitur, si mutatio ab agente producta in alio recipitur; *intransitiva* seu *immanens*, si in ipso agente recipiatur. Illa est perfectio rei effectæ, ut v. gr. illuminatio; hæc perfectio agentis, ut visio.

Mutatio quæ ab agente provenit, *passio* nuncupatur si extra agens recipitur; *actus*, si in ipso agente.

416. *Requisita ad agendum* sunt ea omnia quæ necessaria sunt ut causa agat, non quia causæ rationem participant, sed quia virtutem causæ disponunt et applicant ad agendum, vel saltem impedimenta remouent quæ actionem prohibent. Ita v. gr. lux requiritur ad scribendum, et compedum solutio ad ambulandum. *Requisita hæc conditiones* appellantur.

Sunt autem variæ conditiones istæ pro varia causarum, subjectorumque in quibus hæc agunt, imo et adjunctorum inter quæ agunt, conditione. Quædam vero ita necessariae sunt, ut, iis deficientibus, aliquæ aliæ præsto esse queant; quædam vero suppleri nullatenus possunt; et hæc dicuntur conditiones *sine quibus non*, i. e. sine quibus causa non agit. Ita v. gr. boni ratio in objecto aliquo cognita, est conditio sine qua non agit voluntas.

417. A causa efficiente et conditione distinguenda est *ocasio*, quæ est *id omne quo cognito, vel posito, aliquid fit*. Differt, inquam, a causa efficiente; quia non ab occasionis activitate effectus existentiam accipit. Differt a conditione; quia occasio ex se non requiritur ad hoc ut causa agat; posset enim agere sine illa. Sæpenumero tamen occasio allicit et invitat causam efficientem ad agendum, vel ad agendum hoc tempore potius quam alio, quatenus vel finem operandi proponit agenti, vel faciliorem exhibet ejus assecutionem. Ita v. gr. tenebræ sunt occasio ad meditandum et ad furandum.

Propositio I

418. *Quidquid in effectu perfectionis est, in causa ipsius adæquata aliquo modo præcontinetur.*

Ratio est manifesta. Nemo dat quod non habet.

Perfectio autem effectus præcontineri potest in causa tripliciter.

4° *Formaliter*, quum perfectiones utriusque sunt in eadem specie. Sic in nube pluvia, in atramento scripturæ color continetur.

2° *Eminenter*, quum causa perfectione pollet nobilioris ordinis, per quam idem præstat et modo excellentiore, quod perfectio inferior effectui communicata. Sic Deus rationem hominis præcontinet.

5° *Virtualiter*, quum causæ activitas talis est, ut per ejus exercitium perfectionem diversi generis effectui conferre possit. Sic artifex machinæ perfectionem continet, eamque suo modo continent etiam instrumenta.

Propositio II

119. *Causa efficiens agere nequit, nisi vel per se vel per aliud præsens sit ei in quo agit.*

Ratio est quia nulla res agere potest ubi non est. Ubi enim res non est, ibi res illa nihil est. Nihili autem nulla est activitas. Ergo nequit causa agere in subjecto, cui aliquo modo præsens non sit.

Præsentia autem hæc in causis finitis potest esse *immediata vel mediata*.

Immediata est vel *per identitatem*, quum nimirum agens et patiens sunt una eademque res; vel *per unionem physicam*, vel *per contiguitatem*. Mediata vero vel *per instrumentum*, vel *per emanationem aliquam*, vel *per actionem in causam aliam immediate applicitam subjecto*, vel denique *per influxum moralem* (96).

ARTICULUS VI. DE CAUSARUM FINITARUM ACTIVITATE

120. Malebranchius et cartesiani quidam opinati sunt substantias finitas, ac præsertim corporeas, nulla activitate instructas esse, sed esse tantummodo occasiones ad quarum præsentiam Deus, juxta leges a se constitutas, effectus omnes qui ab iisdem produci videntur, solus operatur. Nullæ proinde sunt causæ secundæ, quæ causæ efficientes vere dici mereantur. Sed talis sententia nullo pacto admitti potest.

Propositio

121. *Causæ secundæ non sunt mere occasionales dicendæ, sed vere efficientes.*

Probatur primo quod ad spiritus attinet.

1° Aperte distinguimus ex intimo sensu quædam fieri in nobis, sed non a nobis, ut quum trahimur inviti; quædam vero fieri in nobis et fieri a nobis, ut quum animum advertimus ad meditandum, aut in corporibus externis aliquid effcimus. Ipsum in primis volendi actum a nobis elici ita luculenter nobis compertum est, ut nihil magis. Testatur ergo sensus intimus, nos activos esse, tam in actionibus immanentibus, quam in transeuntibus.

2° Si voluntas ipsa spirituum activitate nulla gaudet, omnis humanorum actuum tollitur libertas. Imo si Deus omnia agit, ipsum inter actiones honestas et inhonestas intrinsecum discrimen evanescit. Quæ quidem manifeste sunt et absurda et impia. Ergo.

122. Probatur secundo quoad corpora.

1° Inactiva esse corpora nullo modo probari potest: neque a priori neque a posteriori.

Non a priori: etenim inter essentielles corporis proprietates, nulla assignari potest quæ activitatem omnem ab iis excludat.

Non a posteriori, nempe per experientiam. Etenim activitatem quidem corporum per experientiam cognoscere possumus; at inactivitatem nequaquam: inactivitas enim corporum sensus nostros afficere et immutare non potest.

2° Si corpora nullo modo operantur, sed solus Deus omnes quos illis tribuimus producit effectus, cui bono corpora condita sunt? Profecto in hac hypothesi corpora forent entia inutilia, quæ a Deo creari repugnat.

3° Demum communis humani generis persuasio occasionalismum profligat: adeo enim firma in omnibus est persuasio de corporum activitate, ac persuasio de corporum existentia.

123. Obj. 1° Omnia in omnibus operatur Deus. Ergo res creatæ nihil agunt.

Etenim potest Deus omnia agere. Ergo agit omnia. Non enim multiplicandæ sunt causæ sine necessitate.

Resp. *Dist. ant.* Omnia operatur Deus ut causa prima, *conc.* ut causa unica, *nego.* Deus sane omnis actionis finitæ principium est, quatenus existentiam et activitatem rebus contulit perpetuoque conservat, et cum iis continenter in agendo concurrat, ut in Theologia explicabitur. Ex eo autem quod Deus omnium actionum hoc modo principium sit, non excluditur a causis finitis activitas ipsis conveniens.

Ad prob. *Omitto ant. nego consequentiam.* Nam etsi Deus possit omnia agere per se, non tamen sequitur eum per se omnia agere; potuit enim habere rationes etiam nobis inexploratas creandi corpora activa, et spiritus non mortuos sed viventes.

Quare ratio addita nullam vim habet. Verum est enim non esse multiplicanda entia sine necessitate, si nomine necessitatis non stricta necessitas, sed etiam congruentia, decor, ac majus aliquod bonum intelligatur. Atqui multo congruentius, decentius et opportunius ad creationis finem erat, et spiritus et corpora activitate donari, quam secus. Hoc enim pacto et sapientia, et bonitas, et potentia creatoris multo luculentius ostenditur.

124. Obj. 2° Spiritus nequeunt saltem movere corpora.

Etenim a) facultas hæc in spiritus notione non invenitur.

b) Spiritus motum producere possent solummodo per voluntatem. Atqui voluntas non potest motum producere.

Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Dist.* In conceptu inadæquato, *conc.* in conceptu adæquato, quique experientiæ internæ respondeat, *nego.*

Ad 2. *Nego maj.* Non enim voluntas immediate suo actu corpus movet, sed ad nutum voluntatis facultas peculiaris, quam *loco motivam* dicimus, ut patet ex intimo sensu.

125. Obj. 3° Corpora certe agere nequeunt. Nam

a) Corpora sunt inertia, nec se ipsa movere possunt. Ergo nec alia.

b) Motus non potest ab uno corpore in aliud transire.
Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Dist.* Corpora nequeunt se determinare ad motum, *conc.* nequeunt per se in motu perseverare, si fuerint determinata, *nego.* Hoc enim ex ipsa corporum inertia consequitur, ut statum in quo posita sunt, ex se immutare nequeant.

Ad 2. *Dist.* Idem numero motus non exit ab uno corpore, ut in aliu commigret, *conc.* non potest unum corpus alterum ad motum determinare, *nego.* Obscurum certe est quomodo motus communicetur. At ideone negandum corpora agere, ac se mutuo ad motum determinare, quia quomodo id fiat assequi non possumus?

CAPUT IV

DE VARIA ENTIUM PERFECTIOE

126. Reliquum est ut varias entis perfectiones consideremus. Quæ quidem considerari possunt et in genere et in specie. Hinc disputatio hæc erit quadruplex : 1^o de perfectione in genere; 2^o de perfectionibus quæ ad ipsam entium realitatem spectant, videlicet de finito et infinito; 3^o de iis quæ ad existentiam existendique modum revocantur, nempe de necessario et contingenti, de mutabili et immutabili, de supposito et persona, 4^o de perfectionibus quæ e relationibus exsurgunt, quæ sunt ordo, pulcritudo, sublimitas, gratia.

ARTICULUS I. DE PERFECTIOE IN GENERE

127. *Perfectum est id omne cui nihil deest eorum quæ ipsi debent inesse ad ejus complementum.* Quæ autem enti inesse debent, ea sunt per quæ fini suo assequendo aptum efficitur.

Realitates variæ, sive essentielles sive non, quæ in ente esse debent ut perfectum sit, *partiales ejus perfectiones*

constituunt; realitatum vero earumdem cumulus *perfectionem totalem*.

Perfectio totalis entis vel *relativa* est vel *absoluta*. Relativa in aliquo solum genere continetur, et constituitur iis omnibus quæ certo cuidam rerum generi debentur; absoluta supra omne genus est et secundum ipsam entis rationem, continetque aliquo modo realitates omnes, quibus ens potest esse perfectum. Homo v. gr. dicitur perfectus relative, Deus absolute.

428. Huic duplici perfectioni duplex opponitur imperfectio, *privativa* et *negativa*.

Privativa est imperfectio in aliquo genere, videlicet defectus perfectionis illi generi debitæ. Negativa est defectus ulterioris realitatis, quæ enti non debeatur ut sit in suo genere perfectum.

Patet ex alibi dictis (49, 50), imperfectionem privativam esse malum proprie dictum; negativam autem esse malum improprie dictum, rebusque omnibus finitis esse communem.

429. Perfectiones partiales aliæ dicuntur *simplices*, aliæ *secundum quid* seu *mixtæ*.

Perfectio simplex est ea quæ nullam omnino exhibet in suo conceptu imperfectionem, neque privativam neque negativam; seu aliis verbis, *quæ æqualem sibi aut majorem realitatem non excludit*. Talis est vita, intelligentia, justitia et similes.

Perfectio mixta est quæ imperfectionem aliquam in suo conceptu continet; quia videlicet *æqualem sibi aut majorem perfectionem natura sua excludit*. Talis est ratio propria corporis, ratiocinandi facultas, aliaque hujusmodi.

430. Perfectio totalis absoluta, nullos, ut patet, admittit gradus. Perfectio autem relativa potest major esse vel minor, tum respectu aliorum generum, tum intra idem genus: idemque dicendum de perfectionibus partialibus.

Perfectio totalis relativa major est altera, si illam plures ac præstantiores realitates constituent. Sic homo est bruto perfectior, et equus rana.

Una eademque perfectio intensive major est in eo individuo quod quæ sui generis propria sunt sive essentialia sive accidentalia, cumulatus possidet. Sic vir est puero perfectior et doctus indocto.

Ad perfectiones partiales quod attinet, nemo dubitat, justitiam v. gr. esse secundum suum genus perfectionem majorem quam sit pulcritudo; itemque injustitiam et scientiam intra proprium genus gradus admittere (74). Idem dicito de aliis pluribus.

ARTICULUS II. DE FINITO ET INFINITO

131. Finitum est ens quod limites habet: infinitum, quod limites non habet. Limes vero est id ultra quod nihil est quod ad ens pertineat. Videlicet qui limitem dicit, et realitatem aliquam significat, et defectum ulterioris realitatis in illa connotat, sive hic defectus negatio sit sive privatio. Igitur limes idem est ac perfectio cum imperfectione sociata (128). Unde ens omne quod relative tantum perfectum sit, absolute finitum est.

132. Infinitum aliud est actu, aliud potentia infinitum. Infinitum actu est quod actu habet omnem perfectionem quam habere potest. Infinitum potentia est quod actu semper finitum est, sed sine fine augeri potest. Vocatur proprio nomine indefinitum.

Propositio I

133. *Infinitum actu pertransiri nequit: videlicet numerari nequit aut mensurari quocumque modo.*

Etenim numeratio ac mensuratio fit successivis unitatis cujuscumque applicationibus. Si igitur posset expleri infiniti numeratio aut mensuratio, sane applicationum hujusmodi numerus et finitus esset, quia expletur, et simul infinitum exhauriret. Est autem absurdum finitis unitatis applicationibus exhauriri infinitum. Infinitum enim limitem haberet, ubi applicationum numerus desineret.

Propositio II

134. *Finitum quodvis per finiti additionem non potest infinitum evadere.*

Secus finitis unitatis acceptionibus seu applicationibus infinitum exhauriri posset.

Propositio III

155. *Repugnat finitum maximum.*

Quæram enim, utrum hoc crescere possit, necne. Si non potest, jam est infinitum, quia habet omnia quæ habere potest. Si crescere potest, jam additione facta, infinitum evaderet: non enim potest finitum maximum, incremento accepto, manere finitum. Proinde ex duobus finitis infinitum exurgeret.

Propositio IV

156. *Indefinitum nunquam potest actu infinitum fieri.*

Nam indefinitum est semper actu finitum. Fieret ergo actu infinitum per finiti incrementi additionem.

Propositio V

157. *Multitudo actu infinita repugnat.*

Supponatur enim ex unitatum accumulatione multitudo infinita. Hæc erit numerus infinitus, æquabitque numerum qui ipsum immediate præcedit, unitate adjecta. Jam numerus præcedens eratne infinitus, an vero non erat? Infinitum illum dicere non potes; nam crescere adhuc poterat, ac reipsa crevit additione unitatis. Erat ergo finitus, et unitate addita factus est infinitus. Nimirum ex duobus finitis infinitum emersit; id quod absurdum est, ut modo diximus (154).

Igitur si quod est infinitum, hoc non est in multitudine, sed in unitate.

158. Obj. 1^o Elementa materiæ sunt numero infinita. Nam materia est in infinitum divisibilis.

Resp. *Nego ant.* et *prob.* Etenim in materiæ divisione ad ultima elementa tandem deveniendum est; quæ vel extensa sint vel inextensa, semper tamen finito numero contineantur oportet.

Obj. 2^o Saltem si ultima elementa geometricè continua sunt, in infinitum dividi possunt. Ergo.

Resp. *Conc. ant. et nego cons.* Nunquam enim ejusmodi divisio numerum partium infinitum dabit; quanquam sine fine protrahi possit (68).

Obj. 5^o Mathematici sæpe loquuntur de infinitis quantitatibus; et quantitatem quamcumque finitam præ illis negligunt.

Resp. Loquuntur de indefinito, non de infinito actuali, ut omnes geometriæ tyrones norunt.

Obj. 4^o Quæ possibilis sunt ad actum reduci possunt. Sed possibilium multitudo est infinita. Ergo multitudo infinita ad actum reduci potest.

Resp. *Dist. maj.* Successive et successione indefinita, *conc.* simul omnia, *nego.*

Dist. min. potentia, *conc.* actu, *nego.* Et *nego cons.*

ARTICULUS III. DE PERFECTIONIBUS QUOAD EXISTENDI MODUM

139. *Necessarium est id omne quod non potest non esse. Contingens quod potest esse et non esse.*

Est porro *absolute necessarium* id cujus oppositum, sine ulla adjecta conditione, terminis constat contradictoriis; *hypothetice necessarium* id ex cujus opposito prodit contradictio, si certa aliqua ponatur conditio. Vide dicta in secundo Logicæ libro (L. 480, 4^o). Hinc colliges, id quod hypothetice solummodo necessarium est, in se contingens esse.

Propositio

140. *Quod contingens est, existere nequit, nisi ab aliqua causa producat.*

Est enim indifferens ad existendum. Ut ergo existat, determinatione eget extrinsecus accepta, quæ nisi ab aliquo ente proficisci non potest. Hoc igitur ens erit contingentis causa (140).

Duplici porro ratione ens contingens ad existentiam venire potest, nempe vel solum *ex nihilo sui*, i. e. ex præexistente subjecto, vel *ex nihilo sui et subjecti* (102, c.) Primus exoriendi modus dicitur *productio*, seu *effectio*,

et tam ad substantias quam ad accidentia pertinet; alter *creatio*, et substantiarum solummodo proprius est. Substantia vero simplex per creationem tantummodo oriri potest.

441. Substantia duplici modo interire potest, *corruptione et annihilatione*. Corripitur substantia, quum in partes quibus constat, dissolvitur; annihilatur quum ad nihilum absolute reducit. Patet autem substantiam simplicem tantum annihilatione perire posse.

Accidens esse cessat quum e subjecto expellitur. Hoc autem fit vel *actione contraria*, ut motus motu destruitur; vel *ex corruptione subjecti*, ut destructo oculo destruitur vis visiva; vel *ex defectu causæ*, ut deficit illuminatio opaci corporis, luminosi corporis actione deficiente.

442. Mutari ens dicitur, quum aliter se habere incipit ac antea. Hinc mutatio est *transitus entis uno modo se habendi ad alterum*. Propterea tria sunt mutationis elementa: *terminus a quo, terminus ad quem*, et utriusque *subjectum*; quæ veteres iis vocabulis designabant: *privatione, forma, materia*. A termino autem *ad quem* mutatio speciem recipit, quia per ipsum mutatio absolvitur ac determinatur. Hinc ab eodem termino mutatio denominatur. Sic dicimus corpus calefieri, quum a frigido fit calidum, et albescere, quum alio quovis colore abjecto, album colorem inducit.

Ens porro *mutabile* est quod ab uno modo se habendi transire in alterum potest; *immutabile* quod non potest.

443. Si ens cum seipso secundum diversa tempora comparetur, dicitur esse sibi identicum, si mutationem non subiit. Proinde *identitas* hoc modo accepta, est *carentia mutationis, seu conservatio status in quo ens erat*.

Ex variis porro gradibus quos habere potest, identitas hoc modo accepta triplex est: 1^o *absoluta*, quum ens nullam omnino mutationem subiit; 2^o *relativa et ad sensum*, quum aliqua quidem mutatio in ente peracta est, at sensu non deprehenditur; 3^o *moralis*, quum res, licet sensibiles mutationes patiat, in communi tamen hominum æstimatione tanquam sibi identica habetur. Tale est flumen aut natio.

444. *Suppositum est substantia singularis quæ per se integrum quoddam est atque completum; videlicet quæ nec alterius pars est, neque uti pars spectari potest.*

Ex dictis de substantia (58, 59) colligitur, quasdam substantias partis rationem habere quatenus ad aliud perficiendum ordinantur, et ad alterum accedendo complentur, ut est v. gr. corpus aut anima aut manus relate ad hominem; quasdam vero alias partis rationem non habere, quia non sunt addictæ alteri perficiendo, nec ab altero complentur, sed sibi relictæ, sunt aliquid in se integrum atque completum, ut est v. gr. homo totus. Itaque substantiæ singulares in quibus hæc integritatis et proprietatis ratio invenitur, *supposita* dicuntur et græco nomine *hypostases*: modus autem hic existendi abstracte consideratus, dicitur *subsistentia*.

Definito supposito, habes *personæ* definitionem. Persona enim est *suppositum rationale*. Definiri quoque solet persona cum Boetio: *naturæ rationalis individua substantia*. At definitio hæc a superiori non discrepat. Voces enim illæ, *individua substantia*, non significant duntaxat substantiam physice unam, sed substantiam completam, quæ per se ac seorsum cohæreat.

445. Ex data suppositi notione hæc colliguntur.

1^o Una eademque substantia potest esse suppositum et non esse. Erit suppositum si seorsum ac per se cohæreat: non erit, si tanquam pars alteri uniatur.

2^o Illæ vero substantiæ quæ naturaliter ordinantur ad hoc, ut sint alicujus compositi partes, rationem suppositi non habent, sive actu compositum constituent, sive non. Semper enim partis rationem præ se ferunt, partisque imperfectiones retinent. Hujusmodi sunt v. gr. ossa.

3^o Quum binæ substantiæ finitæ in unum coeunt, ratio suppositi nec in una est nec in altera, sed in composito ex utraque: quia utraque substantia, cum in toto et per totum perficiatur partis rationem habet. Patet id in humano composito.

4^o Personalitas naturæ existenti novam aliquam realitatem non addit, sed statum solummodo quemdam ac modum existendi.

5° Receptissimum illud axioma : *actiones sunt suppositorum*, ita est intelligendum : suppositum esse principium *quod agit*, non vero principium *quo* actiones fiunt ; hoc enim principium est natura. Hinc actiones suppositis imputantur ab iisque denominantur. Sic homini tribuuntur actus mentis, et Deo Verbo actiones humanæ naturæ assumptæ.

ARTICULUS IV. DE PERFECTIONE EX RELATIONIBUS ORTA

446. Ordo est *dispositio plurium secundum quod certa aliqua relatio determinat*.

Sane res in se una, quatenus una est, ordinari non potest. Tunc solum incipit ordinis possibilitas quum vel in una re plures partes consistunt, vel res plures occurrunt. Quum autem plura ordinare volumus, inquirimus primo, an hæc relationes aliquas inter se habeant, deinde quænam illæ sint, et quam multæ consideramus, ac postremo unam aut alteram ex illis assumimus, quam in rebus distribuendis sequamur. Hinc eædem res diverso possunt ordine disponi, pro relationis quam attendimus diversitate. Si una tantum relatio attendatur, ordo est *simplex*, si plures simul, *compositus*.

Ordini opponitur inordinatio seu confusio, quæ est *dispositio plurium non juxta quod certa aliqua relatio determinet*.

447. Dispositio rerum materialium et coexistentium in spatio fit, rerum sibi succedentium in tempore, rerum immaterialium et coexistentium in modo cogitandi.

Tam relationes reales quam logicæ ordinis regulam suppeditare possunt, atque hinc fluunt variæ ordinis species.

Ex relationibus logicis, v. gr. temporis, oritur ordo *chronologicus*, et ex relationibus quæ juribus et officiis, merito ac demerito continentur, ordo *moralis* et *socialis*.

Ex relationibus autem realibus identitatis et distinctionis existit ordo *symmetricus* et *harmonicus*. Illo est coaptatio plurium secundum æqualitatem et inæqualitatem ; hic coaptatio plurium secundum similitudinem et dissimilitudinem. Relationes vero causæ et effectus ordinem *finalem* constituunt.

Propositio

148. *Opus ordinatum vel immediate vel mediate est causæ intelligentis effectus.*

Etenim opus omne causam habeat necesse est, eamque sibi proportionatam, ita ut nihil sit in effectu quod sui rationem in causa non habeat. Causa autem ordinis proportionata nulla est, nisi ens intelligens. Etenim omnes causæ reducuntur ad easas per se et ad causas per accidens (96). Jam ordo non potest esse in rebus solummodo ex accidenti. In omni namque ordine aliqua est constantia et uniformitas; siquidem ordo continetur pluribus secundum ejusdem relationis regulam dispositis. Pluralitas autem disponendorum constantiam dispositionis, et regulæ identitas uniformitatem manifestat. Atqui quod per accidens fit et fortuito, neque constantiam habet neque uniformitatem. Secus constantia et uniformitas nullam causam haberent. Ergo omnis ordo ad aliquam causam per se referendus est.

Causa autem per se ea est, quæ suum effectum vel ipsamet intendit, vel naturali dispositione ac necessitate. Jam causa quæ ordinem per se intendit, profecto intelligens est. Quæ vero ex naturali dispositione ac necessitate, quæro uudenam naturalem hanc dispositionem ac necessitatem acceperit. Non a seipsa, quia nihil est causa suæ propriæ naturæ. Ergo ab alio. Hoc autem aliud, quum naturali illa dispositione suum opus instruebat, vel ordinem per illam assequendum intendebat ut finem, vel naturæ necessitate operabatur? Si primum, intelligens erat; si alterum, redibit argumentum, donec in causa intelligente consistas.

149. Quandoque tamen ex irrationalium causarum fortuito concursu similitudo quædam exurgit operis ordinati. At species hæc rei ordinatæ a re vere ordinata tam facile distinguitur, quam umbra a corpore. Ac præterea res quæ operis ordinati speciem hanc simulat, ad hoc ipsum aptitudinem aliquam remotam ab intelligentia acceperunt.

150. Pulera sunt, ex veterum dicto, *quæ visa placent*. Visa intellige cognita. Atque hæc quidem descriptio externa

est et per effectus. Essentiam autem atque intima constitutiva pulcritudinis continet celebris illa ex Platone et Augustino definitio: *unitas in multitudine et varietate*. Quemadmodum itaque ordo quædam est multitudinis perfectio, ita pulcritudo ipsius ordinis perfectio ac splendor existit. Nam et materiæ ordinis et ejus formæ aliquid addit, unde ille perfectior evadit et placet. Addit materiæ, quæ ipsa multitudine continetur, *multorum varietatem*; formæ autem, quæ distributio est multorum secundum relationem aliquam, hoc superaddit, ut distributa *ad unitatem reducantur*. Hæc porro reductio ad unitatem varietate servata, pulcri forma ac regula est. Unde sequitur *deformitatem*, quæ pulcritudinis contraria est, sitam esse in *dispositione multorum quæ unitatem destruat, vel unitati repugnet*.

451. Pulcritudo alia est *physica* seu materialis, alia *intellectualis*, alia *moralis*.

Pulcritudo physica emergit tum ex *dispositione symmetrica* inæqualium, tum ex *coaptatione harmonica* dissimilium. Dispositio symmetrica ita inæqualia distribuit, ut ex iis unum totum consurgat binas habens partes æquales sed oppositas, ut patet v. gr. in animalibus et in architecturæ operibus. Coaptatio harmonica ita dissimilia sociat, ut se mutuo temperent et compleant, ut fit de sonis in musico concentu, et de coloribus in arte picturæ.

Pulcritudo intellectualis habetur quum vel ea quæ ad unum sociata reducuntur, sunt *res pure intelligibiles*, vel unitas ad quam plura reducuntur, est *unitas logica similitudinis* (81, 82,). Primo modo pulcra est structura poematis; altero modo pulcra sunt opera artium quæ naturam imitantes intellectui offerunt inter fictionem et veritatem obtentam similitudinem.

Pulcritudo moralis sita est in *conformatione quæsitâ et obtenta inter actionem liberam et legem moralem, maxime quum actio videbatur illi conformis esse non posse*; nempe quum agentis adjuncta, cupiditates, necessitates huic conformitati plus minusve obstare videbantur. Hæc est ineffabilis illa quam omnes sentiunt et amant, pulcritudo virtutis.

452. Gratia sita esse videtur in ingenio quodam ac simplici habitu *obsecundandi in motibus cum decore naturam*,

qui negligentiam æque atque affectationem devilet. Hinc gratia tribuitur gestibus, incessui, actibus; aut iis quæ alicujus motus similitudinem præferre videntur, ut sunt curvæ ac mæandri.

453. Sublime id dicitur quod *intuentis facultatem longe excedere conspicitur*, seu oculis demum seu mente conspiciatur. Quidquid enim sive extensionem immensurabilem præ se fert, sive vim cui assequendæ animus se imparem sentiat, hoc sublime ab omnibus existimatur; ex quo dicere solemus, sublime umbram propemodum quamdam esse ac vestigium infiniti.

LIBER SECUNDUS

COSMOLOGIA

454. Hactenus de generali Metaphysica dictum sit: sequitur ut specialem aggrediamur. Tres sunt hujus partes, ut diximus (5), *Cosmologia, Psychologia, Theologia*, quarum prior de mundo corporeo disputat, altera de anima, tertia de Deo. Cosmologiæ porro tractationem in quatuor partes distribuemus, ac 1^o disseremus de corporibus; 2^o de mundo corporeo; 3^o de spatio ac tempore; 4^o de naturæ legibus.

CAPUT I

DE CORPORIBUS

455. De ipsis corporibus veniunt quærenda tria: 1^o an sint corpora: sunt enim qui negent corpora esse; 2^o an corpora constant ex materia et forma, an vero ex elementis actualibus; 3^o si hoc, an hæc elementa coalescant ex punctis simplicibus, aut ex viribus, aut ex materia et forma, an vero sint incomposita.

ARTICULUS I. DE CORPORUM EXSISTENTIA

Propositio

456. *Absurdæ sunt hypotheses quas idealistæ confingunt, ut corporum exsistentiam negent.*

Idealistæ vocantur qui corporum exsistentiam negant, quia censent corporum apparitiones, quæ in sensationibus continentur, meras subjecti cogitantis ideas esse. Alii vero arbitrantur hujusmodi ideas ab ipsa mente produci, quorum idealismus dicitur *subjectivus*; alii putant Deum earum auctorem esse, atque horum idealismus *objectivus* vocari solet. Ad binas hasce hypotheses idealismus omnis reducitur.

457. Absurda est autem prima hypothesis.

Nam 1° si corporum apparitiones mentis tantummodo activitate producerentur, nihil aliud in se essent, quam internæ simplicis subjecti modificationes, ut sunt v. gr. actus judicandi aut eligendi. Quo posito explicari nequit

a) Cur corpora appareant, non ut ceteræ internæ modificationes intra subjectum et in subjecto, sed tanquam objecta extra animum constituta, ab eoque plane distincta;

b) Cur modificationes istæ extensum aliquid ac divisibile constanter exhibeant. Si enim subjectum cui insunt, est omnino simplex et indivisibile, illius quoque modificationes simplices et indivisibiles sint oportet;

c) Cur denique subjectum hoc simplex in seipso inveniat, imo sentiat extensionem, partesque distinguat, ita ut modo in una, modo in altera afficiatur, suamque exerceat activitatem.

Hæc omnia quæ sensus intimus renuntiat, in idealistarum hypothesis absurda forent. Absurda est igitur eorum hypothesis.

2° Sensus intimus præterea talia testatur, ex quibus luculenter ostenditur, repræsentationes de quibus loquimur, non in mente, sed extra mentem habere causam.

Etenim ego sentio me non excitare illas, sed recipere, non efformare mihi objecta, sed ea cum omnibus suis con-

ditionibus accipere, nec eorundem varietatem, ordinem, pulcritudinem a me excogitari aut componi, sed nihil agenti, incogitanti, atque adeo sæpe nolenti mihi offerri; cum e contrario non infrequenter eas repræsentationes quas maxime vellem, habere coram non possim.

Patet ergo sensiles repræsentationes a mente non produci.

458. Absurda quoque est hypothesis altera: Deum apparitiones corporum in nobis excitare *corporibus non existentibus*. Repugnat enim, Deum, qui ipsa veritas et bonitas est, in errorem invincibilem inducere rationalem naturam, quæ ad veritatem facta est, et veritatis possessione maxime perficitur. Atqui si Deus, non existentibus corporibus, eorum repræsentationes, uti hæc nunc nobis exhibentur, in mente nostra excitaret, nos in errorem eumque invincibilem induceret.

4° Induceret nos in errorem; nam Deus oggereret perpetuo nobis tanquam objectum, quod non est objectum, et res quæ non sunt, tanquam essent, ac tanquam affectionum nostrarum causas, vanas imagines quæ nullo modo nos afficiunt. Ergo ad perpetua judicia falsa nos pertraheret.

2° Hic error foret invincibilis. Nam persuasio de corporum existentia quam repræsentationes sensiles gignunt aluntque neque ad instans deponi potest, naturali quadam necessitate inducitur, atque adeo firma est, ut ipsa veritatis experientia persuasionem ea firmiorem gignere non valeret. Si enim revera corpora existerent, profecto eorum existentia evidentius nobis manifestari non posset.

Igitur si corpora non existunt, et eorum repræsentationes Deus nobis obtrudit, plane consequitur, humanam naturam a suo conditore ludibrio haberi, et in perpetua illusionem defixam detineri; quod cum sit omnino absurdum, ruit altera idealistarum hypothesis.

459. Hinc 4° repræsentationes corporum sunt corporum realium manifestationes, ac proinde corpora vere sunt extra mentem.

2° Etiam si vera esset occasionalistarum doctrina (120), sensationes omnes a Deo immediate excitari, adhuc tamen certitudini de corporum existentia nihil detraberetur. Si enim corpora non essent, Deus illa nobis ut objecta realia repræsentare non posset.

5^o Ad idealismum evertendum necesse non est ut inquiramus, quomodo corpora sensationes cieant, aut quomodo naturalem de corporum existentia certitudinem homines adipiscantur. Illud enim unum demonstrare sat est, quod modo ostendimus, sensiles repræsentationes corporum realium manifestationes esse.

460. Per hæc facile solves plura quæ objici solent.

Obj. 4^o Sensationes sunt animi modificationes. Ergo ex illis cognoscere possumus quid accidat intra nos, non vero quid sit extra nos.

2^o Inter sensationes et corpora nulla est relatio vel proportio.

5^o Fieri non posse videtur ut corpora in spiritum agant.

461. Resp. ex dictis ad 4. *Omitto ant. dist. cons.* Ex sensationibus cognoscere non possumus quid sit extra nos, nempe immediate, iterum *omitto*; mediate seu per obvia ratiocinia (157), *nego*.

Ad 2. *Dist.* Nulla est relatio similitudinis quoad naturam, *omitto*; dependentiæ physicæ, aut certe logicæ, *nego*. Inter sensationes et corpora est ea physica dependentia, quæ est inter effectum et causam. Sed ne huic insistamus, est præterea inter ea duo relatio dependentiæ logicæ, quia ab existentia sensationum existentia deducitur corporum.

Ad. 5. *Omitto ant. nego consequ.* Etsi enim detur corpora in nos non agere, certum tamen est sensationes a nobis non excitari. Certum est item eas excitari non posse a Deo, corporibus non existentibus. Ergo etiam dato antecedente, non idcirco fit dubia existentia corporum. Ceterum etsi corpora agere nequeant in spiritum ab omni materia sejunctum, agere proculdubio possunt in spiritum qui corpus pervadat et informet.

462. Obj. 4^o Delirantes et somniantes habent repræsentationes sensiles maxime evidentes; et invincibili persuasionem putant existere objecta quæ ipsis repræsentantur, quæ tamen non existunt.

Resp. *Dist.* 4 *partem.* Habent phantasmata repræsentationum, *conc.* repræsentationes sensiles, *nego*.

Dist. 2 *partem.* Ea persuasio est invincibilis per accidens, *conc.* natura sua, *nego*. Si enim reflectere possent, intelligerent ea esse mera phantasmata, et contrariam persuasionem deponerent.

463. Obj. 5° Philosophi docent, qualitates sensibiles non esse in corporibus, sed in percipiente. Atqui nos nihilo minus invincibili persuasione existimamus, eas esse in corporibus.

Resp. *Dist. maj.* Philosophi docent qualitates sensibiles non esse in corporibus secundum sensationem quam causant, *conc.* secundum aliquid quod sensationes provocet, *nego.* Et *contradist. min.* Philosophorum doctrina omnino coheret cum vulgi iudicio, in eo quod sensationum causas in quibusdam corporum qualitatibus sitas esse statuit. Si qua in re vulgus errat, in eo solum errat, quod de earumdem qualitatum natura non recte decernit; quod quidem iudicium ad philosophos pertinet.

464. Obj. 6° Deus certe potest omnes sensiles representationes quibus afficimur, in humana mente producere, corporibus non existentibus. Nam pluries id fecit tum in veteri tum in novo fœdere.

Resp. *Dist. ant.* Potentia absoluta, *transeat*, potentia comparata cum veracitate et bonitate, *nego.*

Ad rat. add. *dist.* Id fecit in aliquo peculiari casu, ex fine se digno, iisque in adjunctis ut error vitari vel detegi posset, *conc.* secus, *nego.* Hinc *neganda consequentia.*

ARTICULUS II. UTRUM CORPORA CONSTENT MATERIA AC FORMA

465. *Materiæ ac formæ* vocabula, in hac præsertim quæstione, dupliciter intelligi possunt: 1° *indeterminate* juxta generalem notionem in primo libro traditam (100, 101): quo pacto materia est id ex quo corpora fiunt, et forma id quo accedente, materia fit hoc corpus aut illud; 2° possunt intelligi *determinate*, prouti diversimode explicatur quid sit id ex quo, et id quo corpora diversa gignuntur. Ex hac autem explicationum diversitate, varia circa corporum naturam systemata exorta sunt.

466. Aristoteles cum peripateticis, saltem juxta scholasticorum interpretationem, posuit corporum materiam et formam esse duas substantias incompletas, realiter ab invicem distinctas, quarum priorem *materiam primam*, alteram *formam substantialem* appellavit. Materia prima est corpus in *potentia*, atque ex se est indifferens ad formas quaslibet recipiendas; forma vero ex materiæ potentia educitur a

naturalibus agentibus, et in materia recipitur tanquam in subjecto, sicque facit eam esse corpus *actu*; quum vero corpus alterius agentis actione corrumpitur, forma qua illud est, relabitur in materiæ potentiam, ex eademque potentia nova forma educitur, qua novum fit corpus.

Ceteræ hypotheses sive ab antiquis philosophis sive a recentioribus inveciæ, ad hanc communem sententiam reducuntur: corpora constare ex elementis simul connexis; hæc vero elementa esse per se omnia actu, et independentem a conjunctione cum ceteris; quumque simul conjunguntur, unumquodque in se manere id quod erat; hinc componi corpora et dissolvi, quin nova ulla realitas producat aut pereat. In hac igitur sententia, materia corporum sunt partes illæ elementares, sive solida quædam sint, sive puncta, sive vires; forma autem est earundem partium dispositio et conjunctio.

Propositio I

467. *Si materia et forma indeterminate intelligantur, indubium est, corpora materia formaque hujusmodi constare.*

Ex corporum enim conversionibus manifestum est, esse in corporibus aliquid quod in conversione permanet, et aliquid, quo posito, hoc quod permanet ex eo quod erat in aliud mutatur (142). Hinc in omni systemate, ut modo diximus, utrumque principium assignatur. Vera igitur dieit qui indeterminate ac genericè asserit, corpora materia et forma aliquo modo constare. At si quis hoc tantummodo dicit, nec determinate explicat quid materia hæc, quid forma sit, is verbis obscurioribus factum enuntiat omnibus notum, factum autem ipsum nullatenus explicat.

Propositio II

468. *Si materiæ ac formæ vocabula determinate intelligantur juxta peripateticam explicationem, dici nequit ejusmodi materia ac forma corpora constare.*

Sane 1° ut cetera omittam, hæc hypothesis chemicæ scientiæ e diametro opponitur. Chimica autem scientia, quæ

tota est in explicanda corporum constitutione, ad atomicam theoriam deducta est plurimorum observatione factorum, quæ ad attractiones moleculares affinitatesque pertinent, ac potissimum vi legum earum pulcherrimarum, quas vocant proportionum determinatarum, multiploꝝ, et crystallizationis. Si qua igitur physica theoria est quæ plane respui non possit, hæc est atomica theoria. Atqui inter hanc theoriam et theoriam peripateticam tanta est oppositio, ut altera recepta, altera necessario concidat. Quod non modo et atomistæ sentiunt et peripatetici, sed ipsa rerum consideratio palam facit. Etenim recepta, ut par est, chimica theoria, excluduntur hoc ipso formæ substantiales : sunt enim, ut minimum dicam, prorsus inutiles. Vicissim positis formis substantialibus, syntheses et analyses chimicæ, attractio molecularis et affinitates, omnes factorum explicationes quas chimici tradunt, omnia theoremata quæ statuunt, brevi tota chimica scientia everteretur. Hoc autem admitti nequit. Ergo.

2° Si qua hypothesis ea facta quæ maxime explicare deberet, non explicat, merito rejicitur; præsertim si aliqua alia hypothesis in promptu sit, quæ facta eadem commode explicet.

Atqui atomica chemicorum theoria, quod nemo negare potest, solide, dilucide, harmonice, pulcre omnia quæ ad corporum constitutionem legesque pertinent, explicat et illustrat, simplicissimis semper ac perspicuis utens principiis, eoque maxime : *minor vis majori vi superatur*; omnia in rerum natura contingunt, ut contingere deberent posita veritate atomicæ theoriæ. Denique sublato hujus theoriæ fundamento, omnes physicæ partes aliquid desiderant, atque in pluribus nutant.

Contraria autem hypothesis nescio quænam phænomena explicet, aut quas naturæ leges illustret. Imo facta plurima, eaque in primis e quibus chimica scientia emersit, philosophis apud quos hypothesis illa vigeat, erant prorsus ignota. Quæ facta si quis modo juxta eorum philosophorum principia explicare tentaret, oleum profecto atque operam perderet. Ergo.

Addam 3° argumenta omnia quæ a veteribus scholasticis ad suæ doctrinæ confirmationem afferebantur, vel non aliud probare quam illud : esse in corporibus materiam et for-

nam indeterminate acceptas (165), vel inniti notionibus quibusdam atque definitionibus ex ipso peripatetico systemate depromptis, aut Aristotelis auctoritati; ac propterea hoc ipsum systema nullatenus demonstrare.

169. Ex dictis sequitur 4^o corpora constare elementis actualibus simul connexis (166).

2^o Quamvis elementa hæc vocari possint corporum *materia*, et eorum *connexio forma*, ut supra dictum est (167), nihilominus cum duo hæc vocabula ex perpetuo scholasticorum usu significationem jam determinatam obtineant, dici non convenit corpora materia formaque constare, nisi diserte subjiciatur in quo hæc materia et hæc forma sit posita. Secus confusis omnibus notionibus, et falsis judiciis aditus aperietur, et veterum doctrinæ multæ intelligi non poterunt.

5^o Ut de horum elementorum natura metaphysicus judicet, atomicam chemicorum theoriam fundamenti loco statuere debet, ita ut nihil admittat quod cum illa componi nequeat, et quidquid illi adversatur rejiciat. Quod enim a physicis verum probatur, nequit profectio metaphysicis falsum esse; quodque est hypothesis necessaria ad facta explicanda, nequit abjici aut impugnari quum de factis philosophari volumus. Illud unum superest metaphysico inquirendum, an corpuscula chemicorum sint primitiva corporum elementa, an vero ipsa quoque ex aliis elementis coalescant: qua de re in articulo sequenti.

ARTICULUS III. DE CHIMICARUM ATOMORUM ESSENTIA

170. De atomis substantiarum quæ verè sint chimice simplices, quatuor hæc dici possunt, vel quod constant e punctis omni extensione carentibus, vel quod coalescant ex viribus attractivis et repulsivis, vel quod composita sint ex materia et forma, vel quod sint solida incomposita et vere primitiva. Prima est opinio Leibnitzii, Wolfii, Boscovichii, ac plurium aliorum; altera eorum qui Kantii et transcendentalium philosophorum doctrinas sectantur; tertia eorum qui peripateticorum placita cum chimico atomismo aliqua ratione componere student; quarta demum eorum quos atomistas appellant.

Propositio I

171. *Puncta omni extensione carentia ultima corporum elementa esse nequeunt.*

Etenim hæc puncta, quum chimica corpuscula constituunt, vel se immediate contingunt sine ullo prorsus vacuo interjecto, vel secus.

Si se contingunt, ut posuit Leibnitzius, hæc puncta omnia, etiamsi numero infinita forent, in unicum punctum coalescerent. Puncta enim nequeunt se contingere, quin se invicem penetrarent (68). Itaque totus mundus unico puncto contineretur.

Si vero se non contingunt, ut censuit Boscovichius, unum aut alterum ex his duobus incommodis premet hujus sententiæ patronos, quod aut actionem in distans supponere cogentur, aut ad occasionalismum deflectere.

Sane, attractiones repulsionesque punctorum vel sunt veræ ac physicæ eorundem actiones, vel non sunt.

Si sunt veræ ac physicæ actiones, jam simplicia hæc puncta agunt in distans. Inter unum enim et alterum vacua interjacet distantia, sine ullo medio aut vehiculo per quod actio unius ad alterum pertingat. Ergo unumquodque ex his punctis agit in distans, agit ubi non est (119).

Si vero actiones istæ repulsionesque non sunt punctorum mutuæ actiones, nullam aliam habere possunt causam, nisi actionem immediatam Creatoris: quod si fateantur, purum putumque occasionalismum recipiunt (120).

172. Ratio qua semper utuntur hujus systematis fautores, hæc est: ultima compositi elementa composita esse nequeunt; ergo sunt simplicia; ergo inextensa. Quæ facile refellitur, altera consequentia negata. Ex argumento namque hoc unum sequitur: ultima compositi elementa, quemadmodum partibus essentialibus non constant, ita non constare integrantibus re discretis et in unum conjunctis: nullo autem pacto deducere licet, ultima elementa geometricè continua esse non posse. In geometrico enim continuo (65) nullæ sunt actuales partes, sed solum possibiles; neque illud ex partibus coadunatis componitur, sed ita ut est, et totum quantum est, primo produci debuit.

Igitur ultima elementa, licet non composita ex partibus, extensa esse possunt.

Propositio II

475. *Falsum est primitivum corpusculum viribus attractivis ac repulsivis constare.*

Nam 1° vires attractivæ ac repulsivæ supponunt subjectum in quo sint, et a quo exserantur : supponunt videlicet corpuscula jam constituta.

2° Eædem supponunt objectum quod attrahant repellantve. Quod autem attrahitur ac repellitur est corpus. Ergo vires istæ corpus supponunt.

3° Vis repulsiva ab iis qui hanc theoriam propugnant, concipitur ut quid seipsum multiplicans ac dissipans : ex quo inferunt necessariam esse vim attractivam, quæ dissipata conjungat et multiplicata unificet. Quærere possem quid sit illud quod se multiplicat, et an sit in se unum, an plura, et quomodo fieri possit ut quid unum se multiplicet ; sed his omissis, hoc quæram tantummodo : hoc quod se multiplicat, vel se in puncta multiplicat, vel in quantitatem continuam ? Si in puncta, jam corpusculum primitivum constabit ex punctis, id quod supra refutavimus. Si in quantitatem continuam, jam nulla vis attractiva requiritur quæ partes multiplicatas conjungat : in continuo enim nullæ sunt actuales partes (65).

Propositio III

474. *Primitiva chemicorum corpuscula non sunt composita ex materia ac forma peripatetica.*

Etenim horum corpusculorum forma vel dicitur esse immutabilis et in omnibus chemicis combinationibus semper eadem permanere, vel mutabilis, ita ut in chemicis combinationibus, expulsis ex corpusculorum materia formis prioribus, nova compositi forma ex ea educatur et in ea recipiatur. Atqui utrolibet modo intellecta sententia hæc facile excluditur.

475. Excluditur intellecta primo modo : nam neque a posteriori neque a priori suaderi potest.

Non a posteriori. Nullum enim est factum, nulla physica lex, quæ talem atomorum compositionem exigit.

Non a priori. Ad hoc enim necesse foret ut ostenderetur, repugnare substantiam quæ extensione ac vi resistendi sit prædita, quæque ex potentia et actu composita non sit. Ast hoc profecto neque unquam demonstratum est, nec demonstrari poterit; ipsique veteres hoc agnoverunt.

476. Excluditur intellecta secundo modo, ac potiore jure excluditur.

Nam præterquam quod hypothesis hujusmodi nullatenus necessaria est ad facta explicanda, gravatur insuper iis omnibus incommodis, quibus antiquum scholasticorum systema rejicere in præsentī cogimur; eoque in primis, quod hæc hypothesis, eodem pacto ac systema illud chemicæ scientiæ opponitur (468). Hac enim hypothesi semel recepta, theoriæ quibus chimici adeo clare, solide, harmonice naturæ phænomena explicant, ut falsæ habendæ essent. Quæcumque enim chimici docent, huic innituntur fundamento: atomos substantiarum quæ combinantur, quamvis intime consortæ sint, manere tamen id quod sunt, ac nullatenus immutari; hæc autem fundamentalis doctrina hypothesi quam impugnamus, e diametro opponitur.

477. Hinc qui hoc systema suadere vellet, id ante omnia curare deberet, ut chimiā aliam conficeret, chimiæ atomiæ loco ad facta explicanda sufficiendam. Tunc sane quum hæc confecta fuisset, utriusque chimiæ comparatione facta, daretur electioni locus. At quod nova hæc chimia aliquando conficiatur, desperandum videtur. Nam vel simplicissima illa facta, quæ, chimica theoria posita, vix explicatione egent, peripateticis principiis receptis, sunt prorsus inexplicabilia. Quærat v. gr. cur binæ substantiæ, quæ ad certum quoddam compositum efficiendum concurrerunt, hoc dissoluto prodeant eadem quæ antea. Explicari hoc non poterit per materiam ac formam, nisi plures propositiones arbitrariæ ac falsæ postulentur. Quibus etiam datis, explicatio proveniet ejusmodi ut tenebras potius quam lucem afferat. Quid jam de difficilioribus naturæ arcanis erit existimandum?

Propositio IV

478. *Atomi substantiarum chimice simplicium sunt incompositæ, exque extensione geometrica ac vi resistendi præditæ.*

Probatur ex dictis. Atomi enim substantiarum primitivarum vel sunt compositæ ex elementis re distinctis, vel prorsus incompositæ, licet extensæ. Si sunt compositæ, vel constant ex binis partibus, altera potenciali, altera actuali, vel ex pluribus partibus actualibus. Atqui non sunt compositæ ex parte potenciali et ex parte actuali, ut modo probatum est (474, seq.) Neque ex partibus actualibus. Nam hæ partes actuales aut puncta sunt, aut vires. Utraque autem hypothesis exclusa est (471, 475). Superest itaque dicendum, atomos primitivarum substantiarum esse prorsus incompositas, et extensas.

479. Porro non sola geometrica extensio, ut Cartesius existimavit, essentialis atomorum proprietas est, sed etiam resistendi vis. Cum enim vis hæc in corporibus vigeat, in eorum quoque elementis reperiatu necesse est. Igitur generica primitivi corpusculi essentia hæc est ut sit *substantia extensione geometrica ac vi resistendi prædita.*

CAPUT II**DE MUNDO CORPOREO**

180. Dicendum secundo de mundo corporeo generatim. De quo considerata sunt quatuor: 1^o quid ille sit; 2^o an fuerit ex nihilo productus; 3^o an fuerit productus ab æterno; 4^o unde sit rerum mundanarum distinctio et ordo.

ARTICULUS I. DE MUNDI NOTIONE

481. Mundi nomine rerum creatarum universitas sæpe comprehenditur. Quoniam vero res creatæ aliæ sunt spiri-

tus, aliæ corpora, idcirco hæc vox, *mundus*, modo utrumque rerum ordinem, modo unum tantummodo significat: unde mundum *intellectualem* a mundo *corporeo* distinguimus. Communiter tamen mundi nomine mundum intelligimus corporeum, quem etiam hæc vox *mundus* ex prima institutione significat. Est autem mundus corporeus, multitudo luminosorum corporum atque opacorum intra imponderabilis materiæ oceanum natantium, certisque inter se relationibus connexorum.

482. Hinc colliges 1^o *suam esse mundo, eamque mirabilem unitatem*. Est enim in mundo unitas *aggregationis*, ac *materialis continuationis*, mediante videlicet æthere imponderabili, quo mundana omnia spatia replentur, quique lucis et caloris vehiculum est. Est præterea unitas *logica similitudinis*. Eadem enim est figura mundanorum corporum; eademque vires ac leges omnium motus ac vicissitudines temperant. Est demum unitas *compositionis et ordinis*. Nam et omnia ad Deum ordinantur tanquam ad ultimum finem, et ordinantur ad se invicem, ut patet vel ex magna illa attractionis universalis lege.

Colliges 2^o *mundi extensionem finitam esse*. Extensio enim infinita repugnat. Sane omnis extensio realis partium, saltem possibilium multitudine constat. Harum autem partium multitudo ex mensuræ in unitatem assumptæ magnitudine pendet. Hæ igitur partes, ulnæ v. gr. aut pedes, quæ in extensione actu infinita essent omnes actu, essentne finitæ numero, an vero infinitæ? Si finitæ, jam ponis finitis acceptionibus exhauriri posse infinitum (153). Si infinitæ, jam existit multitudo infinita (157). Sed utrumque absurdum est. Ergo.

485. At enim, ita objicit Cartesius, nulli possunt cogitari mundi limites, ultra quos extensionem mens adhuc non concipiat. Extensio autem est corpus, ac proinde aliquid ad mundum pertinens. Ergo mundi extensio nullis continetur limitibus.

Resp. *Dist. maj.* Ultra quoscumque mundi limites mens concipit adhuc extensionem idealem, *conc.* extensionem realem, *nego*: et *nego min.* Etenim ut supra dictum est (479) sola geometrica extensio corpus non est. De spatio autem ideali, infra.

ARTICULUS II. DE MUNDANÆ MATERIÆ CREATIONE

Propositio I184. *Mundana materia non est a se.*

Etenim *a*) materiæ nomine intelligimus elementa primitiva quibus corpora coalescunt (169, 4^o). Jam materialia hæc elementa sunt plurima, sunt extensa, sunt mutabilia quoad positionem, actionem, conjunctionem cum ceteris, sunt limitata et imperfecta, et alterum ab altero dependent. Ens autem a se est essentialiter unicum, simplex, immutabile, infinite perfectum, ut in Theologia demonstratur. Ergo materiale quodvis elementum non est a se; multo minus omnium hujusmodi elementorum collectio.

b) Quod est essentialiter indifferens ad ea sine quorum altero existere non potest, est profecto ad existendum quoque per se indifferens. Non enim fieri potest ut aliquid sit ex se determinatum ad existendum, quin simul ex se determinationem habeat ad aliquid eorum, sine quibus existere nequit. Atqui materia est ex se indifferens ad motum et ad quietem; est insuper ex suo conceptu indifferens ad hanc vel illam figuram, ad hanc vel illam magnitudinem; et tamen non potest existere nisi vel in quiete vel in motu sit, ac nisi determinatam aliquam figuram ac magnitudinem accipiat. Ergo materia est indifferens essentialiter ad existendum. Existentia igitur non est illi essentialis, ac proinde materia non est ens a se.

Propositio II185. *Materia produci debuit ex nihilo.*

Cum enim non sit a se, ab alio produci debuit (140). Hoc autem a quo materia producta est, non potuit esse materia. Nam materia non potest agere nisi in materiam præexistentem: agit enim tangendo, attrahendo, repellendo. Actio itaque materiæ materiam præexistentem supponit; nequit ergo materiam producere. Præterea redibit semper quæstio: a quonam materia producens fuit producta? Siquidem materia nulla potest esse a se.

Fuit ergo spiritus qui materiam produxit. Spiritus autem

non potuit materiam educere e sua substantia; nam spiritus substantia est simplex et indivisibilis. Non potuit illam educere aliunde: nec a materia alia, quia nulla materia erat; nec ab alio spiritu, quia indivisibilis. Ergo materia ita producta est, ut e nulla re præexistente fuerit educta. Fuit ergo ex nihilo per creationem effecta (140).

186. Hinc 4^o errarunt turpiter Democritus, Epicurus, atque insequentes deinde athei, qui atomos materiales infectas æternasque fecerunt.

2^o Non minus errant pantheistæ illi, qui mundi materiam e divina substantia expressam comminiscuntur.

3^o Mundanæ materiæ creator est prima rerum causa. Primam autem rerum causam omnes vocant Deum. Deus ergo est mundi creator.

4^o Propositio illa: *ex nihilo nihil fit*, quæ a vetustis philosophis creationem ignorantibus, tanquam axioma habita fuit, est plane falsa quum de Dei infinita virtute agitur. Per creationem enim res factæ sunt prorsus ex nihilo sui et subjecti, non quidem ex nihilo tanquam ex materia quadam, sed potius ex nulla præexistente materia.

ARTICULUS III. DE MUNDI INITIO

Propositio I

187. *Manifeste errarunt quicumque opinati sunt, mundum, seu mundi materiam necessario esse sempiternam, i. e. sine existentie initio.*

Etenim cum mundus non sit a se sed a Deo, sempiternæ existentie necessitas ei convenire non potest, nisi quia Deus mundum condere non poterat nisi sempiternum. Si autem Deus adstringebatur ad mundum condendum æternum, profecto ad hoc adstringebatur vel ratione ipsius mundi, vel ex propria natura. Atqui utrumque evidenter absurdum est.

Absurdum primum. Nam mundus est contingens. Quod autem est contingens, non modo ex se existentiam non requirit æternam, sed nullam prorsus existentiam requirit; quia spectata ejus essentia, possibile est ipsum non esse.

Absurdum alterum. Deus enim nec mundo eget, nec ulla re quacumque, ad suum esse aut ad suam perfectio-

nem; unde quoad rerum productionem est prorsus liber. Ergo non solum Deus natura sua non determinatur ad suam mundo æternitatem participandam, sed etiam nullo modo determinatur ad mundi productionem.

488. Præcipua Aristotelis, Procli, Averrois et ceterorum qui contra senserunt, objecta huc redeunt:

1° Posita causa sufficiente, si ea perfecta sit, necesse est poni effectum. Sed Deus ab æterno est causa sufficiens mundi, eaque perfectissima. Ergo posita æternitate divina, mundus quoque æternus est.

2° Agens quod non semper agit, mutatur quum agit. Sed Deus non potest mutari. Ergo non potest non semper agere quod agit.

3° Si mundus æternus non est, Deus infinito tempore nihil fecit. Hoc autem, bonitate ejus attenda, inconueniens videtur.

489. Resp. ad 1. *Dist. maj.* Si causa agat ex naturæ necessitate, *conc.* si per liberæ voluntatis imperium, *subd.* ponitur effectus secundum ipsius voluntatis propositum, *conc.* posita ipsa voluntate, *nego.*

Contradist. min. Deus est causa sufficiens mundi, agens per liberæ voluntatis imperium, *conc.* agens ex naturæ necessitate, *nego.*

Dist. cons. Posita Dei æternitate mundus quoque æternus esset, si effectus divinæ voluntatis poneretur posita ipsa voluntate, *conc.* si poni debeat secundum ipsius voluntatis propositum, *nego.*

Tota igitur objectio fundatur in eo quod falso supponatur, Deum libertate carere.

Ad 2. Agens quod non semper agit, i. e. in quo non est semper actus quo vult aliquid ac facit, mutatur, *conc.* i. e. cujus effectus non semper existit, *nego.* *Conc. min. et dist. cons.* eodem pacto. Dei actus idem est ac divina substantia, quæ eadem manet semper, nec ullam in se mutationem recipit ex eo quod effectus quidam externi a Deo in tempore procedant, ut in Theologia declarabitur.

Ad 3. *Omitto maj.* Nam ante mundi initium non fuit tempus reale, sed ideale duntaxat tempus a nobis concipitur. *Nego* autem *min.* Dei enim bonitas nullam ipsi necessitatem aut obligationem inducit operandi: nulla enim re sibi extrinseca eget.

Propositio II

490. *Mundus ab æterno conditus intrinsece repugnat.*

Demonstratur assertio 1^o ex infinitæ multitudinis repugnantia (457). Si enim mundus ab æterno conditus fuisset, infiniti v. gr. dies hodiernum diem præcessissent, aut certe infinita temporis intervalla periodo diurnæ æqualia. Ergo existit multitudo *actu* infinita. Præterea infinita dierum series foret exhausta, et infinito fieret quotidie additio. Hæc autem omnia absurda sunt. Ergo.

491. Dices, multitudinem hanc dierum non esse permanentem sed successivam : infinitum autem successivum, etsi actu infinitum sit, forte non repugnare.

Sed contra : infinitum successivum, si successio præterita sit, est multitudo quæ actu existit, et collectionem ex parte objecti completam, ac proinde numerum efficit. Numerus autem infinitus est infinitus actu. Ergo etiam infinitum successivum est infinitum actu. Præterea unoquoque die successionis illius poterat Deus unum spiritum, unamve atomum creare, et omnia in hoc usque tempus conservare. Spiritus autem vel atomi hujusmodi essent in præsentī multitudo infinita simul in actu. Ergo si quod est infinitum in successione præterita, possibile est etiam infinitum simultaneum. Quemadmodum igitur hoc absurdum est, ita et illud.

492. Demonstratur 2^o ex rerum creatione. Creatio enim cum esse æterno componi nequit. Siquidem creatio in hoc a conservatione differt, quod cum utraque importet dependentiam rerum a Deo secundum esse quod habent, creatio insuper connotat in re essendi novitatem, conservatio vero præcedentem rei existentiam supponit. Si itaque res finitæ nunquam esse cœperunt, nunquam in eis fuit essendi novitas : proinde semper conservatæ fuerunt, nunquam creatæ ; id quod profecto mente concipi non potest.

493. Hinc patet 1^o repugnantiam mundi æterni non profecto ex parte divinæ virtutis consurgere, sed ex parte mundi, et nominatim ex duabus mundi proprietatibus essentialibus, quæ sunt esse *successivum* et *contingentem*.

2^o Mundum proprie loquendo dici non posse creatum in

tempore; quia ante creationem, cum nullæ essent res successivæ, nullum quoque erat reale tempus: dicendum autem esse creatum *cum tempore*, quia temporis initium creatio posuit.

ARTICULUS IV. DE MUNDI OPIFICIO

Propositio

494. *Corporum mundanorum distinctio et ordo a Deo est materiæ creatore.*

Videlicet materiæ distributio in cælestes globos, ac terræ formatio, itemque mira illa rerum varietas quibus terra exornatur, non materiam, non casum fortuitum, sed eundem qui materiam ex nihilo eduxit, Deum effectorem habet, sive immediate per se operantem, sive mediate per alia agentia sibi subjecta. Est autem hæc propositio contra epicureos. eosque omnes qui materiæ viribus essentialibus, vel casui fortuito mundi opificium attribuunt.

495. Prob. prop. 1^o Deus, cum sit intelligens, creare materiam non potuit, nisi in aliquem finem: operum autem Dei hic unus finis esse potest, ut ejus perfectionem ac bonitatem manifestent. Sed iners atomorum massa, si talis permansisset, cujusmodi creata est, huic fini assequendo, saltem eo modo qui Deo dignus esset, par non erat. Oportuit ergo, ut ex hac materia variæ res formarentur, quæ tum multiformi sua perfectione, tum ordine quem inter se haberent, divinam perfectionem, quantum poterant, repræsentarent. Hoc ergo Deus effecit.

2^o Qui materiales atomos creavit, creare eas non potuit, nisi aliquo modo dispositas, et vel in quiete, vel in motu constitutas. Nefas autem existimare, primitivam illam dispositionem sine consilio, ac sine summo consilio, Creatorem constituisse, aut singulas atomos in quiete vel motu incogitantem posuisse. Utrumque ergo ex intentione alicujus finis effecit. Atqui ex primitiva illa dispositione, et ex motibus materialibus atomis primo inditis, vires diversæ quas materia nunc possidet, resultarunt, ac dein ex iis viribus per varias vicissitudines hæc rerum universitas orta est. Ergo materiæ creator Deus omnium mundanarum vicissitudinum, ac totius mundani ordinis est causa.

3° Organica vero corpora ulteriorem adhuc Creatoris curam exostulabant. Omnes enim quotquot sunt materiæ inorganicæ attributæ vires, prorsus ineptæ sunt ad plantas animantesque effingendas. Plantæ enim v. gr. ex seminibus vel ex aliis plantis progerminant; semina autem in plantis solummodo elaborantur. Sunt ergo in corporibus organicis vires naturales ad sibi similia gignenda; sed nulla est vis hujusmodi in natura inorganica. Itaque peculiaris illa molecularum distributio et conjunctio quam organizationem dicimus, nec per chemicas attractiones, nec per electricitatem, nec per aliam hujusmodi vim quamcumque perfici primo potuit.

De animalibus autem illud quoque notandum est: ea non solum organico corpore constare, sed anima insuper simplici et a corpore distincta; quæ certe per atomorum concursum effici non potuit, sed infinitam Creatoris ex nihilo virtutem postulabat. Multo magis proinde animalium Deum effectorem fuisse necesse est.

CAPUT III

DE SPATIO AC TEMPORE

496. Dicendum tertio de spatio ac tempore. Quo in argumento perpendenda sunt sex: 1° quid spatii ac temporis conceptus exhibeat; 2° quid sit spatium; 3° quid locus et rerum constitutio in loco; 4° an sit spatium vacuum; 5° quid sit tempus; 6° quæ sit temporis mensura.

ARTICULUS I. DE NOTIONIBUS SPATII ET TEMPORIS

497. Si nosmetipsos consulamus, quid nobis obversetur animo, quum de *spatio*, *loco*, *distantia*, *vacuo* cogitamus, hæc facileprehendemus.

a) Spatium nobis repræsentari tanquam *extensionem* in longum, latum et profundum quaquaversus diffusam; absolute *vacuam*, in qua omnia locantur ac moventur cor-

pora, totusque jacet mundus; quæ corporum omnium antecessit existentiam, quæque permansura foret etiamsi omnia corpora in nihilum abirent; eandem ultra mundi limites in *immensum* protendi, ita ut infinita possit in se corpora recipere; *immobilem* esse ac *geometricè continuam, unam, indivisibilem, quaquaversus permeabilem, æternam, necessariam, indestructibilem*. Spatium ita conceptum dicitur *spatium absolutum*, et *spatium purum*.

Exinde *b)* *loci* notio derivatur: locum enim appellamus eam spatii hujus partem, quam corpus occupat.

c) *Distantiam* vocamus partem hujus spatii, quæ inter duo corpora interjacet.

d) *Vacuum* eam partem in qua nullum insidet corpus, ut est infinitum spatium extramunduum.

498. Temporis notio tria elementa continet: *præteritum, præsens, futurum*; quæ ita se mutuo excipiunt, ut omne momentum ex futuro fiat præsens, et ex præsentem præteritum.

Præteritum non est præsens, sed fuit præsens, i. e. amisit esse præsens.

Futurum pariter non est præsens, nec fuit præsens, sed debet esse præsens.

Præsens autem concipi nequit, nisi ut punctum indivisibile, quod a futuro in præteritum sine ulla mora raptim transvolat. Si enim aliqua mora temporis cogitetur, hæc præterito constat, præsentem ac futuro.

Non tamen indivisibilium additione momentorum, sed indivisibilis momenti fluxu non interrupto constare tempus concipimus. Quemadmodum igitur linea quæ puncti motu generatur, continua quantitas est, ita et tempus.

Hic vero temporis fluxus easdem nobis notas offert ac spatium absolutum. Revera tempus concipimus ut essentialiter *unum*, in quo et secundum quod omnia quæ sunt, durant ac diffluunt; idem cogitamus præcessisse rerum omnium existentiam, ac substiturum etiamsi rerum omnium fieret annihilatio; tum *initium* tum *finis incapax*; ac proinde *æternum, increatum, necessarium* esse; *continuum* denique, *indivisibile, immobile, et immutabile*. Hoc est quod dicimus *tempus absolutum, ac purum*.

Cum in his omnibus ideæ spatii ac temporis convenient, discrepant tamen in his duobus: quod spatii partes sibi coexistunt, temporis partes altera alteri sibi succedunt;

ac præterea spatium res solummodo corporeas amplectitur et continet, tempus vero res omnes continere videtur, tum corporeas, tum incorporeas.

ARTICULUS II. QUID SIT SPATIUM

Propositio I

199. *Est aliquod spatium, quod merito reale dicitur.*

Hoc est spatium mundanum, quod recte definitur: *extensio in longum, latum et profundum, quæ exsurgit ex mundanis omnibus corporibus, in hac in qua sunt continuata serie coexistentibus.* Revera cum spatium extensio continua sit, in qua corpora continentur, spatium reale erit extensio realis continua, in qua corpora contineantur. Atqui spatium mundanum est hujusmodi extensio. Terram enim excipit aer, et aerem subtilissimus æther, qui ad remotissima usque sidera pertingit. Mundana autem corpora, in eo quod continuatam hanc seriem constituunt, realem quamdam extensionem efficiunt, in qua unumquodque continetur ut pars in toto. Ergo.

Propositio II

200. *Spatium absolutum non est aliquid extra mentem existens, multoque minus divina immensitas, sed nihil est aliud quam possibilitas extensionis realis sine fine continuatæ.*

Hoc ut intelligatur, distinguendum in primis est id quod mente concipitur quum de spatio cogitamus, a phantasmate quod ejusmodi conceptui associat imaginatio. Est autem hoc phantasma representatio extensionis actualis circumquaque diffusæ, immotæ, obscuræ, quin ulli termini in ea designati appareant. Hoc phantasma haurit imaginatio ex vacuo mundano apparenti, in quo corpora locari posse conspiciamus; illudque spatii possibilis conceptui associat. Nos vero idem phantasma conceptui mentis nec opinantes substituimus. Atque ex hac substitutione consequitur, ut de extensione possibili tanquam de re existente et cogitemus et loquamur.

201. Probatur propositio quoad 1 partem.

Etenim spatium absolutum si reale esset, extensio esset realis et actu infinita. Extensio autem actu infinita repugnat (182, 2^o). Esset præterea aliquid increatum præter Deum, aliquid a se et a Deo independens : quæ omnia absurda sunt.

202. Probatur secunda pars.

Immensitas divina, cum a divina substantia realiter non distinguatur, simplicissima est, atque a formali extensione penitus abhorrens. Spatium autem est formaliter extensum; sunt enim in eo partes extra partes. Ergo spatium nequit esse divina immensitas.

203. Probatur tertia pars.

Omnes notæ quæ in spatii absoluti conceptu continentur, sunt extensionis possibilis unice propriæ. Ergo spatium absolutum nihil est aliud quam extensio possibilis.

Sane corporum coexistentium series possibilis nullum finem habet; nullus est enim limes possibilitatis. Ergo extensio quoque quæ ex serie illa consurgere potest, nullo fine constringitur. Hinc apparet cur spatium concipiatur increatum, æternum, necessarium, indestructibile; quia videlicet hæc sunt possibilitatis attributa. Idem concipitur immobile, continuum et indivisibile; quia possibilitas omnia comprehendit quæ comprehendere potest, nullamque mutationem admittit. Denique omnia corpora in spatio recipi et spatio insidere cogitamus, tum quia existentia possibilitatem supponit, tum quia uno corpore ad existentiam traducto, æqualium illi, quæque illius loco substitui possent, possibilitas non deficit. Sic itaque patet, spatii absoluti notas, quæ insolubile ænigma offerre, imo contradictionem continere videntur si spatium ut aliquid reale consideretur, optime explicari, nullamque amplius objicere difficultatem, si ad extensionem possibilem referantur. Ergo revera spatium absolutum nihil est aliud quam extensio possibilis intellecta, et existentis extensionis phantasmati consociata.

204. Dices 1^o spatium absolutum mensurabile est; quod autem mensurabile est, reale est.

2^o Si quis ad extremas mundi oras procurreret, ac telum jacularetur, profecto hoc non projiceret in nihilum aut in ideam abstractam.

Resp. Ad 1. Spatium absolutum mensurabile est non terminis propriis ac realibus, sed terminis corporum possibilium, in quibus dimensiones quædam concipi possunt.

Ad 2. Qui telum jacularetur ultra mundi oras, poneret extra extensionis realis limites aliud corpus reale, cum prius ultra eos limites esset solummodo possibile alia poni corpora. Nec profecto nihilum aut possibilitas essent teli receptaculum, sed nihilo et possibilitati succederet corpus reale.

205. Ex dictis colliges 1^o spatium absolutum merito vocari *ideale*, aut etiam *imaginarium*.

2^o Nec spatii conceptum, neque adeo phantasma esse formam subjectivam facultatis sentiendi, ut Kant supponit. Non conceptum; quia conceptus ejusmodi in solo intellectu esse potest: solus enim intellectus possibilitati percipiendæ par est. Non phantasma; quia phantasma hoc experientia suppeditat, ut dictum est (200).

ARTICULUS III. DE LOCO

206. Locus est *extensionis possibilitas certis limitibus determinata*.

Locus enim a spatio absoluto in hoc differt, quod spatium absolutum nullis continetur limitibus, locus autem limitibus continetur; est enim spatii pars quam corpus occupat (197, b). Sicut igitur spatium absolutum est possibilitas extensionis, ita locus est hæc eadem possibilitas certis limitibus determinata.

Hi autem limites sunt vel *reales* vel *ideales*. Reales sunt externæ corporum realium superficies, quæ locati corporis superficiem tangunt et quasi constringunt, ut v. gr. littora quæ mare continent; ideales vero sunt superficies corporum possibilium, quæ corpus aliquod circumambire concipiuntur; ut sunt v. gr. limites intra quos mundus concipitur locatus. Erit autem locus realis vel idealis, prouti limites quibus continetur, reales sunt vel solum posibles. Quæ de loco dicimus, distantie (197, c) facile applicabis.

207. *Substantia finita dupliciter loco contineri potest; videlicet circumscriptive et definitive.*

Circumscriptive, quum substantia tota est in toto loco,

et nullibi extra ipsum, sed ita ut diversis loci partibus diversæ partes ejusdem respondeant. Hoc pacto aqua v. gr. est in vase.

Definitive, quum substantia tota est in toto loco, et extra ejus limites nullibi, sed ita ut tota quoque sit in singulis loci partibus. Ita anima humana est in corpore quod informat.

Propositio

208. *Omnia corpora naturaliter existunt in loco circumscriptive; spiritus autem definitive.*

Ratio primæ partis est, quod corpus naturaliter est in loco per hoc, quod secundum suam extensionem loco commensuratur: ideo enim certum aliquod spatium occupat, quia ipsius volumen hanc spatii portionem adæquat. Commensuratio autem unius ad alterum est secundum totum et secundum partes, ita ut toti respondeat totum, et parti pars. Ergo.

Dixi naturaliter: fieri enim potest virtute divina, ut corpus sit in loco quin loco commensuretur, imo vero quin unius loci limitibus circumscribatur, ita ut in pluribus simul locis sit præsens. Quod licet ignoremus qua ratione fieri possit, indubitatum tamen est fieri ex iis quæ de venerando Eucharistiæ mysterio catholica fides docet.

209. Ratio secundæ partis ex eo pendet, quod spiritus, cum quantitate formali careat, commensurari loco non potest. Vel ergo nullo modo in loco est, vel in singulis loci partibus secundum se totus est. Possunt autem spiritus esse in loco non per se, sed ex eo solum, quod vel agunt in aliquo corpore quod est in loco, vel alicui corpori unitione substantiali junguntur, vel quopiam alio modo, si quis est alius, corpori præsentem sicut secundum substantiam. Ita v. gr. anima rationalis in loco est, quia humano corpori est substantiali unitione conjuncta.

210. Facile intelliges 1º constitutionem, seu mansionem corporis in loco nihil addere corporis existentia, nisi quod hoc existat intra certos quosdam limites, qui a circumstantibus corporibus determinantur.

Hinc intelliges 2º mansionem in loco esse relationem

omnino extrinsecam (76) corporis locati : ejus enim fundamentum sunt aliorum corporum superficies ; quæ quidem sunt aliquid extrinsecum corpori quod locatum denominatur.

ARTICULUS IV. DE VACUO

211. Vacuum aliud est *proprie dictum*, aliud *improprie dictum*. Vacuum proprie dictum est spatium in quo nullum prorsus est corpus, nec ponderabile nec imponderabile. Vacuum improprie dictum est extensio in qua est quidem aliquod corpus, sed invisibile, quodque vel non impedit alterius collocationem, ut est æther, vel facile et sine sensu cedit, ut aer.

Vacuum autem proprie dictum aliud est *imaginarium*, aliud *reale*. Imaginarium est vacuum quod extra mundi limites concipimus : reale est vacuum *cujus limites superficiebus realium corporum definiuntur*.

Propositio I

212. *Vacuum reale ac proprie dictum possibile est.*

Quid enim est vacuum? Est spatii puri pars ; spatium autem purum est extensionis possibilitas. At extensionis possibilitas, quanquam ex se indefinita sit, potest tamen vi quarumdam conditionum limitari ac defini. Hujusmodi autem conditiones sunt realium corporum superficies. Intra tales enim superficies non est amplius possibilitas extensionis cujuscumque, sed possibilitas tantum extensionis certæ cujusdam mensuræ. Extensionis autem possibilitas hoc pacto limitata, est vacuum reale. Ergo. Præterea evidenter possibile est, divina potentia annihilari penitus et aerem, et ætherem, et omnia quæ in hac aula sunt, ceteris corporibus in suis locis immobiliter manentibus. At si hæc fieret annihilatio, inter aulæ parietes haberes vacuum.

Propositio II

213. *Est vacuum proprie dictum in mundo.*

Nemo nescit ea mundana spatia quæ vulgus vacua appellat, improprie vacua dici. Negari quoque nequit, inter

atomos ponderabilium corporum ætherem esse diffusum. At certe inter ætheris atomos vacuum aliquod sit oportet. Hæ enim proculdubio moventur, ut patet ex phænomenis lucis, caloris, electricitatis, magnetismi. Motus autem vacuum supponit.

214. Facta e quibus aristotelici inferebant, *naturam a vacuo abhorrere*, negotium modo physicis amplius non faciunt. Quæ vero Cartesius ejusque assecræ objiciebant, ut absolutam vacui repugnantiam tuerentur, non difficulter refelluntur.

Obj. 4° Si intra aliquod vas omnia annihilentur, vasis latera se mutuo contingant oportet. Nam inter ipsa nihil interjacet. Non erit igitur vacuum inter vasis latera.

2° Distantia realis non potest esse nihil. Nam distantia quæ nihil est, distantia non est. Sed distantia vacua nihil foret.

5° Distantia hæc vacua nec substantia foret nec accidens.

215. Resp. Ad 4. *Nego*. Est enim hæc assertio mira prorsus, et etiam credere volenti incredibilis.

Ad rat. add. *Dist.* Inter vasis latera nihil interjacet, et tamen aliquid interjacere potest, *conc.* nihil interjacere potest, *nego*. Non proprie quia aliquid inter duo vasis latera interjacet, ea sunt ab invicem distantia, sed quia aliquid inter ipsa potest interjacere. Jam hæc possibilitas non tollitur ex eo quod omnia quæ in vase sunt, in nihilum redigantur.

Ad 2. *Dist. maj.* Distantia realis non potest esse nihil, quoad terminos ipsam distantiam definientes, *conc.* quatenus nullum corpus intra reales hosce terminos actu sit, *nego*. Eodemque modo *dist. rat. add. et contradist. min.* Distantia vacua, quanquam nihil non sit spectato ordine possibilitatis, est tamen nihil spectato ordine existentie. Sed hujus nihili termini sunt reales, et idcirco vacuum hujusmodi dicitur reale (214).

Ad 5. *Dist.* In statu possibilitatis, *nego*; in statu existentie, *subd.* non est substantia, *conc.* non est accidens quoddam extrinsecum, *nego*. Vacuum nempe reale est actu et realiter relatio quædam accidentalis et extrinseca inter superficies quæ distantes dicuntur. In statu vero possibilitatis est substantia extensa possibilis, cujus limites iisdem realibus superficiebus determinantur.

ARTICULUS V. QUID SIT TEMPUS

Propositio I

216. *Tempus reale a rerum successione non distinguitur.*

Etenim tempus est duratio successionis, quæ in rebus contingit. Duratio namque rei in qua nulla prorsus sit successio, tempus reale non est; cum nihil in illa prætereat, nihil futurum sit. Igitur tunc solummodo tempus concipitur, quum successionis duratio cogitatur. Atqui duratio reipsa non distinguitur ab existentia ejus rei cujus est duratio: est enim duratio *continuata entis existentia*. Ergo tempus reale non est aliquid independens a successionum serie aut ab ea distinctum.

217. Quid est autem successio? Tunc una res alteri succedere dicitur, quum hæc *esse desinit*, et illa *esse incipit*. Si enim unius rei existentia permanet dum res altera esse incipit, hæc res non sibi succedunt, sed coexistunt. Successio igitur est relatio quædam inter esse et non esse, in hoc posita, quod *esse* unius importet, supponat, includat utcumque *non esse* alterius. Propterea describi potest successio: *relatio exclusionis mutue, quam habet existentia unius respectu existentie alterius*.

218. Hinc inferes 4° tempus extra mentem nihil esse aliud, quam existentiam rerum quæ se reciproce utcumque excludunt.

2° Ante mundum conditum nullum fuisse tempus reale.

3° Intelliges quoque ex dictis, quid sit *præsens*, *præteritum* et *futurum*.

Præsens est ipsa rei existentia, et nihil aliud: est conceptus absolutus non relativus.

Præteritum et futurum sunt ideæ relativæ ad aliquod præsens, nempe ad aliquod esse. Continentur enim idea non esse unius relati ad esse alterius, a quo primum illud esse excluditur. Differunt autem in hoc, quod quum præteritum concipimus, primo concipimus esse rei, ac secundo ejus exclusionem per aliud esse: quum autem futurum, primo concipimus esse rei exclusum per aliud esse, ac se-

cundo esse ejusdem rei non exclusum, sed excludens aliud esse.

4^o Patet autem has relationes, si sola spectetur successio, esse relationes extrinsecas et rationis.

5^o Intelliges demum quid sit coexistentia. Tunc duo coexistere concipimus, quum de utriusque existentia cogitamus, quin de alterutrius non existentia cogitemus. Coexistentia nimirum est simpliciter *existentia rerum quæ se non excludunt*.

Propositio II

219. *Tempus absolutum est possibilitas successionis.*

Quemadmodum enim alia plurima, ita quoque ipsam successionis ac durationis successivæ rationem licet a rebus abstrahere. Si igitur abstractione hac facta, cogitemus de duratione successionis, seu de ordine inter esse et non esse terminorum indeterminatorum et quoad naturam et quoad multitudinem, conceptus iste omnes posibles terminos jam amplectens, est tempus absolutum. Id quod ex eo plane liquet, quod temporis absoluti characteres (198) successionis quidem reali convenire non possunt, ast optime conveniunt successioni possibili, prorsus ut de spatio supra dictum est. Merito itaque tempus absolutum *ideale* appellatur.

ARTICULUS VI. DE TEMPORIS MENSURA

Propositio

220. *Mensura temporis est aliqua successio, seu mutatio perpetua et uniformis.*

Omnis enim quantitas mensuratur assumpta unitatis loco aliqua quantitate determinata, eamque quantitati dimetiendæ iterum atque iterum applicando. Quantitas vero illa quæ in mensuræ unitatem assumitur, dimetiendæ quantitati, intra quantitatis genus, homogenea esse debet. Sic linea lineis, superficies superficiebus, solida solidis mensurantur. Cum igitur tempus sit mutationum series (216), non aliter mensurari poterit, quam determinata aliqua muta-

tione in unitatem mensuræ assumpta. Ut autem mutatio hæc iterato adhiberi possit ad mensuram, renovetur necesse est et perpetuo et uniformiter. Mensura igitur temporis est mutatio aliqua perpetua et uniformis.

221. Hoc pacto *motus* est temporis mensura. Motus enim, cum sit continua loci mutatio, nihil aliud est quam successio positionum corporis unius respectu corporum coexistentium.

Naturalem porro temporis mensuram humano generi suppeditant cælestium corporum motus. Hi enim motus non solum sunt constantes et ad sensum uniformes, sed etiam spectabiles omnibus, ac proinde mensuram præbent omnibus communem.

Mensuram *artificialem* suppeditant instrumenta, quæ vel cælestes motus imitantur, ut horologia, quæ indicis motu diurnum motum repræsentant; vel quæ mutationem aliquam uniformiter iterabilem perficiunt, ut casum pulveris vel aquæ.

222. Si quis mensuris hujusmodi omnibus careat, non aliam habere poterit temporis mensuram, quam internas suas affectiones, non quidem omnes, sed eas quarum conscientiam habuit, ac memoriam, saltem confuse, servat. Unde sequitur, quod quo plures sunt affectiones hujusmodi, eo longius apparet datum temporis intervallum; quia plures partes in eo notantur. Atque hinc fit, ut idem temporis intervallum a quibusdam longius existimetur quam reipsa fuerit, a quibusdam brevius.

CAPUT IV

DE NATURÆ LEGIBUS

223. Postremo de naturæ legibus disceptandum est. Circa quas occurrunt inquirenda sex: 1° quid veniat nomine *naturæ*, *legum naturæ*, *rei naturalis*; 2° qua necessitate gaudeant naturæ leges; 3° quid sit miraculum; 4° quæ sint miraculorum causæ; 5° an miraculum possibile sit; 6° an cognosci possit.

ARTICULUS I. QUID SIT NATURA, NATURÆ LEX, RES NATURALIS

224. Multiplex hujus vocis, *natura*, significatio est. Omissis porro iis interpretationibus, quæ immediate ex vocis etymio derivantur, præcipua ejus significatio, et ad quam ceteræ reducuntur, ea est qua substantiarum essentias denotamus. Denotamus autem hac voce essentiam dupliciter: 1^o per modum formæ metaphysicæ subjectum constituentis in certa aliqua specie (102, a); 2^o quæ significatio est hujus vocis maxime propria, prouti essentia est *principium internum primum et adæquatum operationum passionumque substantiæ*. Secundum hoc natura describi solet, ut alibi memoravimus (13), *entis ad certo quodam modo operandum dispositio atque tendentia*.

225. Juxta hæc definiendum erit quid *naturæ* nomine intelligatur, quum rerum universitatem naturam appellamus. Videlicet hac voce significamus: 1^o *mundanorum corporum connexionem et ordinem*; 2^o *magis proprie complexionem virium, quæ simul harmonice conspirantes, mundanarum vicissitudinum seriem certo ordine ac lege efficiunt*; 3^o quoniam vires causarum secundarum a prima causa sunt, quæ etiam cum iis operantibus omnia operatur, non raro nomine *naturæ auctor Deus* intelligitur.

226. Ut ex dictis in Logica (L. 144, 5^o) colligitur, *naturæ* legem dicimus *modum constantem et uniformem, quem agentia materialia in agendo servant*; qui agendi modus ideo lex dicitur, quia summi opificis imperio rerum vires statutæ sunt, certisque normis subjectæ. Hæc leges, quoniam inter varia corpora relationes quasdam constantes inducunt, ordinem quemdam constituunt, qui *ordo naturæ* dicitur. Eventuum vero secundum hunc ordinem consecutio, *naturæ cursus* appellatur.

227. Dicitur aliquid naturale duobus modis, ut de natura dictum est: nempe 1^o respectu alicujus determinatæ naturæ; 2^o respectu naturæ universæ. Primo modo naturale est: *id omne cujus ratio sufficiens est in entis natura*; ut v. gr. est in homine sanguinis circulatio. Secundo modo: *quidquid est juxta cursum aut ordinem naturæ universæ*. Est autem secundum naturæ ordinem *quidquid naturæ rerum convenit*; itemque *quidquid in*

datis adjunctis fieri potest, aut debet viribus entium mundanorum juxta leges physicas, v. gr. quod lapis sublato fulcimento decidat, vel quod quædam corpora igne dissolvantur. Est secundum naturæ cursum: quidquid continetur inter eos eventus, quorum consecutio naturæ cursum constituit, ut quod verno tempore flores erumpant, vel quod sol certa quadam hora sit cras oriurus.

228. Naturali, prouti dicitur respectu alicujus naturæ particularis opponitur diversimode *voluntarium, violentum, artificiale*; et secundum hanc oppositionem diversimode specificatur naturalis significatio. Versatur autem tota hæc oppositio circa rei mutationes et motus.

Voluntarium est, *quod fit cum cognitione finis*, ac propterea non est per solam entis naturam determinatum ad unum.

Violentum est *id omne quod ab extrinseco rei accidit contra naturæ propensionem*, seu repugnante natura.

Artificiale est *id omne cujus principium non est naturæ insitum*, quemadmodum est in marmore figura Jovis, et in horologio motus indicis.

229. Naturali, prouti dicitur respectu naturæ universæ, opponitur *fortuitum, et supernaturale*; sed fortuitum opponitur naturali, quatenus naturale dicit id quod est *juxta cursum naturæ*; supernaturale vero quatenus naturale significat id quod est *juxta ordinem naturæ*.

Fortuitum enim est *id quod in cursu naturæ non per se continetur, sed per accidens* quia provenit ex concursu causarum, quæ sunt quidem in naturæ ordine, sed quarum operationes non sunt a natura coordinatæ inter se aut subordinatæ. Hinc fortuitum dicimus raro contingere.

Supernaturale est *omne id quod naturam superat*. Potest aliquid superare naturæ universæ *exigentiam*, ut est v. gr. gratia sanctificans; vel *vires universæ naturæ*, ut est recuperatio instantanea sanitatis. Illud est supernaturale *quoad ipsam essentiam*, hoc quoad effectum, et dicitur *miraculum*; de quo mox.

ARTICULUS II. DE LEGUM PHYSICARUM CERTITUDINE

Propositio I

230. *Esse aliquas naturæ leges plane manifestum est.*

Profecto habet suas evidentissimas leges et minerale regnum et vegetale et animale; et in his unaquæque classis, familia, genus, species, imo singulæ viventium partes, singula organa iisdem invariabiliter elementis constant, eadem figura, eodem ornatu, iisdem qualitatibus sensibilibus distinguuntur, easdemque ad cetera corpora relationes servant.

Et hæc omnibus sunt in manifesto. Physicæ vero disciplinæ in eo totæ versantur ut occultiores naturæ leges detegant ac demonstrent. Inde novimus, nullam esse in rerum natura vim, nullum motum, nullum eventum, nullamque eventuum seriem, quæ certis atque invariabilibus normis non subjiciatur.

Liquet ergo, esse naturæ leges, tam naturæ universalis, quam particularis.

Propositio II

231. *Leges physicæ absolute contingentes dicendæ sunt.*

Sane leges physicæ omnes ad hæc generalia facta reducuntur.

1° Quod quædam substantiæ simul componantur, sive imponderabilis illa cum ponderabilibus, sive ponderabiles inter se.

2° Quod hoc aut illo modo elementares atomi disponantur, et major minorve earum multitudo acervetur.

3° Quod motus vel translatus vel molecularis secundum unam alteramve directionem, et cum hac vel illa velocitate, corpori communicetur.

4° Quod ex minerali materia organa quædam efformentur, certam quamdam figuram et usum, certumque inter se ordinem habentia.

5° Postremo quod organicum quoddam corpus anima informetur, sive sentiente tantum, sive sentiente et rationali.

Ut itaque leges physicæ absolute necessariæ probari possent, ostendendum esset, hæc generalia facta ab ipsis materiæ essentialibus proprietatibus, ab extensione videlicet ac resistendi vi (179) necessario dimanare. At quis est adeo vecors, qui non fateatur, hæc omnia a materiæ essentialibus proprietatibus tam parum consequi, quam parum consequitur ex ligni essentia ut fiat scamnum, aut ex essentia ferri ut in machinam conformetur?

Nulli ergo qui sapiat, dubia esse potest legum physicarum contingentia.

Propositio III

252. *Legum physicarum constantia, etiam quoad futuros eventus, indubiis innititur fundamentis.*

Hoc potissimum asseritur contra Humium, qui ostendere conatus est, pronunciatum hoc: *futurum erit præterito simile*, neque a posteriori, neque a priori certum esse.

Sic porro arguimus:

Causa necessaria, positis omnibus quæ ad agendum requiruntur, necessario agit, nisi impediatur. Proinde ad hoc ut naturæ leges mutationem subeant, unum ex his contingat necesse est, vel quod essentielles corporum proprietates mutantur; vel quod mutantur contingentia illa facta, a quibus naturæ leges omnes dependent (251); vel saltem quod naturales corporum actiones Deus impediat.

Atqui nulla ex his suppositionibus labefactare potest certitudinem de legum physicarum constantia.

Non prima; nam essentiæ sunt inmutabiles.

Non secunda; de quo vadem habemus Creatoris sapientiam ac providentiam. Etenim corporea natura in hominis gratiam condita est; pessime autem fuisset homini provisum, si leges, quibus corporea natura regitur, Deus passim immutaret. Omnia enim plena dubitationis essent, plena terroris; hominumque societas consistere non posset.

Non denique tertia suppositio admitti potest. Nam licet fateamur, non repugnare divinæ sapientiæ ac providentiæ, imo maxime eam decere, ut propter fines se dignos Deus quandoque naturalium legum effectus impediat, ta-

men id passim fieri ac sine ratione est Deo prorsus indignum. Hæc enim inconstantia in sapientem non cadit; et ex illa eadem quæ modo notavimus, in hominum vita sequerentur incommoda.

Igitur certa est legum physicarum quoad futuros eventus constantia.

255. Hinc colligemus 4^o duo esse principia a priori, quibus legum physicarum constantia, et futurorum eventuum cum præteritis similitudo stabilitur.

Primum : *Causæ necessariæ, positæ requisitis ad agendum, necessario agunt, nisi impediuntur virtute divina.*

Alterum : *Divina sapientia postulat ut constantibus legibus utatur in mundi administratione, utque causarum naturalium effectus vel nunquam vel rarissime impediat.*

2^o Generale hoc pronunciatum : *Leges naturales sunt constantes, et quod ab ipso immediate consequitur : futuri eventus in iisdem adjunctis similes erunt præteritis,* esse principia a priori, quæ ab inductione non pendent.

5^o Constantiam nihilominus legum physicarum in particulari, per se physice certam esse. Nam si de certitudine objectiva sermo est, hæc supponit effectum de quo agitur, ex naturæ lege fieri; si vero de certitudine subjectiva, hæc supponit naturæ ea de re legem experientia et inductione fuisse cognitam.

4^o Certitudinem demum de constantia legis alicujus in hoc aut illo futuro casu, esse physicam hypotheticam; implicitam enim habet conditionem illam : *nisi per divinam virtutem legi fiat exceptio*; quæ exceptio in casibus peculiaribus, ut diximus, non repugnat. Confer dicta in Logica (L. 480, 4^o.)

ARTICULUS III. QUID SIT MIRACULUM

Propositio

254. *Miraculum proprie est effectus qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedit.*

Sane miraculum proprie acceptum, ut sapienter disputat S. Thomas, cum sit aliquid vere mirabile, ac maxime

mirabile, illud est dicendum in quo duo illa quæ admirationem gignunt, maxima sunt; videlicet in quo causa est occultissima, et effectus est ei qui contingere debere videretur, maxime oppositus. Sed causa occultissima est Deus, qui toti naturæ infinite præcellit; effectus autem ei qui contingere deberet vere ac maxime oppositus ille est, qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedit. Ergo miraculum proprie acceptum est effectus, qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedit.

255. Hinc intelliges 1^o non id omne quod sola virtute divina fieri potest, esse miraculum proprie dictum, sed id tantummodo, quod sola virtute divina fit in rebus illis, in quibus secundum naturæ creatæ ordinem oppositum contingere deberet.

2^o Quapropter creatio rerum ex nihilo in temporis initio, et creatio animarum quæ fit in temporum serie, miracula proprie non sunt. Nam creatio ex nihilo non pertinet secundum naturæ ordinem ad aliquam aliam causam, præter Deum.

3^o Miracula proprie dicta fiunt solo Dei imperio, et ex ejus auctoritate in vires legesque naturæ. Nam si fierent per applicationem alicujus causæ secundæ, jam intra naturalem ordinem continerentur.

4^o Hinc patet discrimen miraculi a *miro*. Mirum enim est quidquid insuetum est in naturæ sensibilis cursu, quod tamen aliquando contingit, vel quia quædam activa quibusdam passivis ab homine conjunguntur per artem vulgo occultam; vel quia agens creatum sed occultum res quasdam movet, aut naturæ sensibilis vires applicat, impedit, determinat. Mirum itaque nec ordinem naturæ creatæ, nec facultatem excedit.

5^o Patet quoque discrimen miraculi a *præstigio*. Præstigium enim est mera illusio per immutationem a vi aliqua intelligente et invisibili effectam in organis sive sensuum sive phantasie. Hoc quoque naturæ creatæ fines non superat.

6^o Atque hinc ulterius intelliges quantum differat miraculum ab *opere magico*.

Magia enim est ars mira^l patrandi, sive per occultas naturæ vires, sive per occultam industriam, sive malorum dæmonum interventu. Prima et altera magiæ ratio dicitur *naturalis*, tertia *diabolica*.

236. Omnia quidem miracula naturæ facultatem excedunt, sed non omnia eodem modo. Hinc triplex miraculorum species : *supra, contra, ac præter naturam.*

1° *Supra naturam* dicuntur, quum effectum illum quem Deus facit, natura nullo modo facere potest, quatenus formam per miraculum inductam natura vel nunquam inducit, vel non in ejusmodi materiam. Hujusmodi sunt corporis glorificatio, et mortui resurrectio.

2° *Contra naturam*, quando in natura est dispositio contraria effectui quem Deus operatur, neque huic naturali dispositioni naturale impedimentum oppositum est : ut quum tres pueri in camino ignis non sunt combusti, vel quum aquæ Jordanis steterunt.

3° *Præter naturam*, quum Deus producit effectum quem natura producere potest, sed non eo modo quo a Deo fit ; ut est instantanea curatio.

ARTICULUS IV. DE MIRACULI CAUSIS

Propositio I

237. *Solus Deus miracula proprie dicta facere potest.*

Etenim omnis finita virtus intra naturalis ordinis ambitum continetur. Quidquid ergo virtus finita quæcumque suis viribus efficiat, hoc utique potest mirum esse ei qui vel ignoret ejusmodi virtute id effici, vel virtutem hanc non comprehendat ; per se tamen non est effectus qui naturæ ordinem ac facultatem excedat. Ii igitur effectus qui naturæ universæ ordinem ac facultatem excedunt, sola Dei virtute effici queunt ; sola enim Dei virtus supra naturæ ordinem est, viresque omnes naturales superat.

238. Notanda. 1° Tam boni quam mali spiritus mirabilia quædam perpetrare possunt, non per modum miraculi, sed *per modum artis*, ut S. Thomas docet. Per modum enim miraculi mirabilia fiunt absque naturalium agentium actionibus : hoc autem omnem naturæ ordinem ac facultatem excedit. Per modum vero artis mira fiunt, quum mediante actione naturalium principiorum, agens intelligentia præditum ea facit, quæ natura efficere nequit ; quæ ideo solum mira sunt, quia vel agens, vel ejus vires, vel res ad opus adhibitæ ignorantur (235, 5°, 4°).

2° Tam boni quam mali angeli providentiæ divinæ ordinationi subditi sunt; propterea malis angelis liberum non est ut mira quæcumque volunt faciant, sed ea solum iis facere licet quæ Deus permittit ut faciant.

3° Boni spiritus etiam miracula proprie dicta facere possunt, non tamen ut causæ principales, sed tanquam Dei instrumenta ac ministri. Hoc autem de malis spiritibus dici nequit: si enim Deus hanc potestatem iis conferret, perversas eorum fraudes testimonio suo confirmare videretur.

Proposito II

239. *Finalis miraculorum causa in eo posita est, ut miraculo, tanquam signo de testimonio divino, aliquid a Deo hominibus manifestetur.*

Id probatur 1° ex omnium consensu populorum, qui semper in monstris et prodigiis quoddam divinitatis sigillum agnoverunt, et quæcumque miraculo confirmarentur, tanquam ipsius Dei testificatione firmari arbitrati sunt.

Probatur 2° ex ipsa rei natura. Nam miraculum est operatio divina. Operatio autem est voluntatis signum: ex natura autem et adjunctis operationis dignoscitur voluntatis intentio. Igitur quum v. gr. miraculum fit in alicujus seu favorem seu punitionem, per hoc ipsum ostenditur Dei in illum benevola voluntas vel ira. Ac tum præsertim quum Dei nomen invocatur, ut vel innocentiam vel sanctitatem alicujus hominis, vel doctrinæ traditæ veritatem confirmet, si revera miraculum fiat, quis neget, velle Deum, ut res de qua agitur, certa habeatur?

240. Ex dictis sequitur 1° quæcumque vel uno miraculo confirmantur, indubia prorsus esse, quantumvis intellectus humani comprehensionem excedant.

2° Idem dicendum, si quædam mira a bonis spiritibus patrata esse constet.

3° Ad divinam pertinere providentiam, ut sicubi permittat a spiritibus malis seu mira seu præstigia fieri, id in ejusmodi permittat adjunctis, ut clara suppetant hominibus judicia, quibus cognoscant, ea divina signa non esse; secus Deus in errores invincibiles homines adduceret.

ARTICULUS V. DE MIRACULORUM POSSIBILITATE

Propositio

241. *Eventus qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedant, et intrinsece et extrinsece possibles sunt.*

Primo : sunt possibles *intrinsicè*.

Ex eo enim in hujusmodi eventibus contradictio reperitur, quod naturæ creatæ vel ordo esset absolute necessarius, vel facultas infinita. Nam si primum verum esset, ordo naturæ esset absolute immutabilis : si verum esset alterum, nulla vis excogitari posset, quæ naturæ facultatem excederet.

Atqui 4° falsum est naturæ ordinem esse absolute necessarium. Etenim physicæ omnes leges, ut supra demonstratum est (251), sunt absolute contingentes.

2° Falsum quoque naturæ facultatem infinitam esse. Nihil enim quod creatum sit et contingens, infinitum esse potest.

242. Secundo : sunt possibles *extrinsicè*.

Causa enim quæ essentia et virtute naturæ universæ ordinem ac facultatem excedit, efficere potest id quod excedit ordinem facultatemque naturæ. Sed certe Deus est ejusmodi causa. Nam cum hunc naturæ ordinem libere constituerit, profecto non est ei subjectus, sed supra ipsum est ; cumque ejus virtus infinita sit, et ad omnia possible se porrigat, proculdubio et naturæ facultatem superat, et quæ præter hanc facultatem sunt, efficere potest. Ergo.

243. Obj. 4° Naturæ leges ex necessitate ac perfectione divinæ naturæ consequuntur ; ac naturæ virtus est ipsa Dei virtus. Ergo nihil contingere potest quod naturæ legibus repugnet, ejusque facultatem excedat.

Resp. *Dist. 1 partem ant.* Naturæ leges sequuntur ex necessitate divinæ naturæ, *nego* (242) ; ex ejus perfectione, *subd.* ut effectus sapientiæ bonitatis et potentiæ, *conc.* ut modi quidam naturæ divinæ, *nego*.

Dist. 2 partem : naturæ virtus est ipsa Dei virtus, quia nempe natura a Deo creatore virtutem accepit, *conc.* per identitatem, *nego* ; et *nego cons.*

Igitur tota hæc objectio ex eo procedit, quod Deus cum mundo juxta pantheistarum errorem confunditur.

244. Obj. 2^o Saltem dedecet Deum suis legibus derogare. Hoc enim tria ostenderet :

- a) Deum in suis decretis mutabilem esse ;
- b) Eundem non satis ab initio omnia prævidisse;
- c) Ejus leges esse insufficientes ad finem, et emendatione egere.

Hæc vero omnia Deo indigna sunt. Ergo.

Resp. *Nego ant.*

Ad 4. *Nego.* Deus enim ab æterno et rebus leges præscripsit, et sibi quædam præter has leges agenda reservavit : utrumque juxta suæ providentiæ ordinem.

Hinc *nego* 2.

Ad 5 *Dist.* Si Deus aliquando suis legibus derogaret, ostenderet eas emendatione egere, *nego*; eas esse insufficientes ad finem, *subd.* ad finem earum proprium in ordine physico, *nego*; ad finem altiorem in ordine providentiæ, *conc.* Leges physicæ ordini providentiæ subordinantur : hinc illis Deus utitur vel non utitur, prouti providentiæ ordo postulat.

245. Obj. 3^o Leges naturæ derogationem pati nequeunt. Nam

- a) Fluunt a rerum essentiis : hæc autem sunt immutabiles.
- b) Legibus honestatis Deus derogare nequit : Ergo a pari.

Resp. ad 4. *Dist. maj.* Fluunt a rerum essentiis absolute, *nego*; positis quibusdam conditionibus contingentibus, *conc.* (254).

Resp. alio modo. *Omissa maj. dist. min.* Essentiæ rerum sunt immutabiles in se, et in determinatione ad certos quosdam effectus producendos, *transeat*; ita ut effectus earum impediri non possint, *nego.* Deus enim miracula efficere potest, solummodo cohibendo vi sua infinita naturales vires ne effectum producant, vel etiam suum concursum iis subtrahendo, sine quo causæ creatæ nihil agere possunt.

Ad 2. *Nego parit.* Nam leges naturæ continent ordinem unius creaturæ ad alteram, leges autem honestatis ordinem creaturæ ad Deum, qui essentialiter est immutabilis.

ARTICULUS VI. DE MIRACULORUM COGNITIONE

246. Ut miracula suum finem assequantur, duo ab hominibus cognosci debent : 1^o factum quod naturæ ordinem excedere dicitur, vere accidisse; 2^o factum idem naturæ ordinem excedere, ac divinum signum esse.

Propositio I

247. *Cognosci cum certitudine potest existentia facti quod naturæ ordinem excedit, si hoc factum sensibile sit.*

Etenim potest 1^o de hujusmodi facto haberi certitudo physica, ab iis qui hoc factum suis sensibus usurpant. Quanquam enim miracula sint facta quædam supra naturam, tamen si facta sensibilia sint, ad ea observanda vis supra naturam nulla requiritur. Possunt itaque sensibus recte dispositis riteque adhibitis cum certitudine cognosci, prorsus ut cetera facta. V. gr. aliquem hominem mortuum vere esse mortuum, hoc sane omnes certo possunt cognoscere : ipsum deinde hominem, si iterum vivat, omnes possunt viventem cernere. Atqui ex duplici hac cognitione exsurgit certitudo de hominis resurrectione. Ergo.

248. Hinc potest 2^o de miraculo haberi certitudo moralis. Sufficit enim ut de testium qui se factum vidisse asserant, scientia et veracitate dubium omne excludatur. Ad hoc autem non supernaturalis quædam critica necessaria est, sed ordinaria illa critica, qua de testimonii historici pondere ex adjunctis judicare solemus. Quod si quis, testium scientia ac veracitate ex criticæ legibus comperta, quia factum de quo illi testantur, supra naturam est, iis fidem habere detrectaret, hic profecto ut divinum in ordine physico miraculum respueret, absurdum quoddam in ordine morali miraculum admittere cogeretur. Homines enim in certis quibusdam adjunctis constitutos mentiri, hoc sane et supra et contra moralis ordinis leges est.

249. Objicit Humius. Infirmior probatio validiori cedat oportet. Jamvero miraculum quodvis, licet pro se auctori-

tatem habeat testimonii, contra se tamen constantem experientiam habet : auctoritas autem est probatio infirmior.

Resp. *Trans. maj. et nego 1 partem min.* i. e. miraculum quodvis constantem contra se experientiam habere. Nam experientia hoc solummodo docet, miracula communiter non fieri; at experientia nulla docet, *miracula fieri non posse*: imo oppositum docet ratio, et hoc quod ratio docet, est metaphysice certum (241, seq.)

Nego quoque 2 partem min. i. e. auctoritatem, si plena sit, esse probationem infirmiore[m] ea quæ ab experientia est. Utraque enim probatio omne errandi periculum æque excludit.

Propositio II

250. *Ex consideratione facti mirabilis una cum ejusdem adjunctis, cognosci potest, ut plurimum, utrum illud sit signum divinum, an non: quum vero hoc cognosci certo nequit, si ejusmodi factum signum divinum non est, semper indicia suppetunt ad dubitandum de ejus origine.*

Probatur 1^a pars.

In æstimanda facti mirabilis origine, hæc dubia esse possunt: 1^o an illud sit ex occultis naturæ corporeæ viribus; 2^o an sit ex hominis arte vel fraude; 3^o an sit a bono vel malo spiritu per modum artis, vel præstigiï; 4^o an totius prorsus naturæ creatæ vires superet.

251. Atqui 1^o *cognosci potest, factum mirabile non esse opus occultarum virium naturæ corporeæ.*

In hunc finem considerandus est effectus in se, et subjectum in quo fit, et modus quo fit. Deinde videndum, an in ipso subjecto sint naturaliter, aut possint esse vires idoneæ ad ejusmodi effectum tali modo producendum, tum etiam an hæ vires sint in corporibus circumstantibus, ac maxime in iis quæ fortasse ad opus adhibita fuerint. Si in his omnibus reperiri non possit sufficiens facti ratio, adscribi opus corporeæ naturæ non poterit.

Hoc autem quandoque est per se manifestissimum, ut si v. gr. tempore plenilunii eclipsis solaris accidat, aut si

ola voce claudus sanetur : sæpe vero peritiam aliquam in re physica ac medica postulat, nec raro peritiam summam. Nunquam tamen requiritur, ut omnes omnino naturæ corporeæ vires, earumque in variis adjunctis efficacia plene cognoscatur, quæ quidem cognitio humani intellectus capacitatem excedit ; sed tantummodo necesse est cognoscere, eas causas quæ effectui interfuerunt, ei præstando pares non esse.

252. 2^o *Potest cognosci, facta quædam mirabilia non esse humana arte vel fraude patrata.*

Quod spectat ad artem, mirabilia arte fiunt vel per motus locales dexteritate quadam contactos, vel per applicationem naturalium agentium ad passiva proportionata. Itaque, si quid per motum localem, aut naturæ viribus ab homine adhibitis fieri nequit, hoc certe non est artis operatio.

Fraude fingi possunt quædam adjuncta, ut opus quoddam miraculosum simuletur, v. gr. infirmitas, ut sanatio dein per miraculum effici videatur. In hoc autem, quoniam de facto agitur, si quando ejusmodi dubium ex personarum ac finis consideratione inciderit, consulendæ sunt criticæ leges.

253. 5^o *Potest cognosci, facta quædam mirabilia nec malorum spirituum opus esse, nec eorundem interventu effecta fuisse.*

Hoc indubitatum erit, quotiescumque certo constet opus de quo agitur, vel simplici motu locali, vel per alicujus agentis naturalis applicationem effici non posse (258, 4^o), ut v. gr. constat in mortui ad vitam reditu.

Quoniam autem de hoc raro constare poterit, idcirco non solum factum considerandum est, sed maxime facti adjuncta, ac nominatim *operans, operandi modus ac finis*. Semper enim ex horum consideratione mali spiritus operationem aliquo modo cognoscere dabitur.

254. 4^o *Opus mirabile, sive sit miraculum proprie dictum, sive a bonis spiritibus vi sua naturali operantibus procedat, semper ut signum divinum habendum erit.*

Hoc per se patet quum opus mirabile est miraculum proprie dictum. Miraculam enim proprie dictum immediata Dei operatio est (237). Si autem opus mirabile sit ex naturali bonorum spirituum virtute, adhuc divinæ vo-

luntatis signum erit : boni enim spiritus, cum in omnibus Deo sint subjecti, nihil agere possunt quod Dei voluntati repugnet; proinde falsitati favere eamque promovere ac suadere nullatenus possunt.

255. Probatur 2^a pars.

Fieri profecto potest, ut factum mirabile iis in adjunctis contingat, ut horum ope criteriorum decerni cum certitudine nequeat, utrum illud sit divinum signum, an non. At si hoc reipsa divinum signum non sit, nunquam esse poterit ejusmodi, ut nullum judicium suppetat ad dubitandum saltem de ejus origine. Hoc enim certum omnibus esse debet quicumque divinam providentiam agnoscunt : non posse a Deo permitti mirum aliquod sive ex occultis naturæ viribus, sive ex hominum aut dæmonum arte vel fraude in talibus adjunctis fieri, ut signum divinum videatur ad aliquid confirmandum, si id de quo agitur, falsum sit, et nullum medium suppetat quo dignosci possit, eventum illum signum divinum, saltem certum, non esse.

LIBER TERTIUS

PSYCHOLOGIA

256. Gradum facimus ad alteram specialis Metaphysicæ partem, quæ est de anima humana. Hanc tractationem disputatio quadruplex complectetur : 1^a erit de ipsius animæ natura ; 2^a de ejus unitione cum corpore ; 3^a de origine ejus et futura vita ; 4^a de ipsius facultatibus.

CAPUT I

DE ANIMÆ HUMANÆ NATURA

257. Quod ad primam disputationem attinet, definienda sunt tria : 1^o quoniam animæ humanæ nomine intelligimus

humanæ vitæ principium, quid sit vita vitæque principium;
 2° an anima humana sit simplex atque spiritalis substantia;
 3° an sit una in unoquoque homine vel multiplex.

ARTICULUS I. DE VITA

258. Vita est *activitas qua ens seipsum movet, seu mutat perficitque seipsum.*

Definitio hæc vel ex eo se probat, quod ea omnia quæ ex se motum aliquem habent, viventia nuncupari solent, ea vero quæ se ad aliquam operationem agere nequeunt, vel vita carere vel vitam amisisse dicuntur. Sic plantas vivere dicimus, quia se nutriunt et augent; et animalia, quia sentiunt et appetunt, membraque contrahunt ac se urgent ad motum; mentem denique, quia se immutat cogitando et volendo. Quinimo eas quoque res quæ seipsas non movent, sed ab exteriori principio moventur, si tamen lateat id a quo motum accipiunt, translata appellatione viuentes appellamus, quia seipsas movere videntur. Hoc pacto fluentes aquas dicimus vivas.

Inde deduces : 1° actionum vitalium tum principium tum terminum in ipso vivente esse oportere.

2° Actiones omnes vitales, immanentes (445) esse, et vice versa.

259. Tres sunt vitæ gradus : vita *vegetativa*, vita *sensitiva*, vita *intellectiva*.

Hoc deducitur ex viventium diversorum, et ex functionum quas ea exercent, consideratione.

Vitæ vegetativæ functiones sunt *nutritio*, qua vivens se conservat, deperdita reparando; *augmentatio*, qua vivens novas in se partes format, vel partes formatas amplificat; *generatio*, qua aliud vivens sibi simile procreat. Hujusmodi vita vivunt plantæ, bruta, homines.

Vitæ sensitivæ functiones, quas dicunt *relationis*, reducuntur ad *facultatem sentiendi et appetendi*, et ad *contractilitatem*. Vita hæc est brutis hominibusque communis.

Vitæ intellectivæ functiones intellectus ac voluntatis actibus continentur. Vita hæc solius hominis, inter res sensibiles, propria est.

260. Vitæ principium est *id quo vivens vivit*, id nempe

cujus ratione vim ad vitales functiones exercendas idoneam possidet.

In plantis, quæ vita vivunt pure vegetali, formale vitæ principium est mirabilis earum organizatio, qua planta unitatem habet, ac materiæ brutæ vires ad vitales operationes exercendas aptat et adhibet.

In brutis autem, quæ præter vegetalem vitam, vita gaudent sensitiva, et in homine, qui præter vegetalem vitam ac sensitivam, vita intellectiva præcellit, vitæ principium vocatur *anima*, de cujus natura jam est quærendum.

ARTICULUS II. SINE ANIMA SIMPLEX ET SPIRITUALIS

261. Controversia hæc est cum *materialistis*, maxime recentioribus. Quorum erroneæ opiniones huc redeunt omnes: animam esse ipsum hominis corpus, vel ejus partem, vel qualitatem aut temperamentum, vel subtiliorem aliquam purioremque materiam; animi vero operationes esse motus vel conatus ad motum. Hinc omnia materialistarum systemata refellemus, si ostenderimus, animam humanam nec corpus esse, nec esse dependenter a corpore. Utrumque ostendemus, demonstrando animam esse simplicem ac spiritualement substantiam.

Animam *simplicem* dicimus, tum *quoad essentiam*, quia ex pluribus partibus essentialibus non coalescit, tum *quoad quantitatem*, ut quæ nullas in se habet partes integrantes, nec actuales, nec possibles, sed prorsus inextensa est, quamvis in corpore vigeat extenso.

Spiritualement autem substantiam vocamus substantiam simplicem, quæ in suis operationibus, saltem quibusdam, ab organorum materialium concursu est independens; adeoque non indiget corpore ut sit et agat.

Propositio I

262. *Anima est simplex.*

1° Quod extensum est, non potest per se extensum, ac proinde corpora, percipere.

Si enim subjectum extensum posset per se triangulum v. gr. percipere, profecto sensilis representatio trianguli

ita in eo fieret, ut singulæ trianguli partes in distinctis extensi percipientis partibus repræsentarentur, quemadmodum fit in speculo. Igitur unaquæque extensi percipientis pars unum trianguli latus ad summum perciperet; nulla vero pars omnia latera simul, totumque triangulum. Singulæ enim partes percipere quidem poterunt id quod ipsas afficit; at ea quæ ceteras partes afficiunt percipere certe non poterunt. Ergo nihil est in extenso, quod triangulum percipere queat.

Diximus quamlibet extensi partem unum trianguli latus ad summum percipere posse: sed neque hoc concedere licet, spectata illa parte per se. Si enim et ipsa extensa est, perciperet per partes; unaquæque igitur pars aliquam lineæ portionem, nulla vero lineam totam perciperet.

Est igitur manifestum, id omne quod extensum est, extensionem percipere non posse per se. Ex quo sic arguere licet. Homo extensionem percipit, quum corporea organa a corporibus circumstantibus afficiuntur. Sed corporea organa, ut quæ extensa sunt, inepta per se sunt extensioni percipiendæ. Ergo præter corpus et organa corporea, est in homine principium aliud inextensum ac plane simplex, quo homo ipse fit extensioni percipiendæ idoneus. Principium autem per quod homo sentit, vocamus animam. Ergo anima hominis est simplex.

2° Unusquisque sibi conscius est, se plures ac diversas eodem tempore sensationes experiri, easque inter se comparare. Sed et ad hæc subjectum quod extensum sit, est per se prorsus ineptum.

Etenim diversæ istæ sensationes vel manent in diversis partibus, vel ad unam confluunt.

Si sunt in diversis partibus, nulla pars omnium simul conscia esset; nulla posset inter diversas sensationes comparisonem instituere.

Si in una parte, quæro ulterius, utrum hæc pars sit simplex, an vero extensa. Si simplex, jam non est extensum quod plures sensationes habet, easque comparat: habemus animam simplicem. Si composita, redibit argumentum.

5° Anima humana se in se reflectit, omnesque suas affectiones relegit et expendit, ita ut vere in se totam redeat tota.

Atqui ens extensum hujusmodi reflexionis capax non est. Reflexio enim extensi in seipsum hoc solummodo fieri potest, ut una pars ejus super aliam inclinetur partem, non vero ut una pars in seipsam, aut totum in totum re-deat; quod est impossibile. Ergo.

4^o Ideæ quas animus habet, haberi nequeunt a subjecto composito. Etenim si idea v. gr. justitiæ est in subjecto composito, vel est per omnes ejus partes divisa, vel in una tantum parte residet, vel tota est in singulis partibus.

Si primum dicas, unaquæque pars percipiet, si placet, elementum justitiæ, aut melius dimidiã, decimã, centesimã partem integrantem hujus ideæ; quod quidem plane absurdum est: sed nulla pars compositi hujus percipientis, neque etiam partium collectio ideam habebit justitiæ. Præterea ideæ illæ simplicissimæ, v. gr. entis, veritatis, aliæque hujusmodi, in quibus compositio nulla est, quomodo possunt concipi divisæ in partes?

Si alterum, in primis hæc una pars esset animus, non totum compositum: deinde hæc pars quæ justitiæ ideam habere ponitur, vel est simplex vel composita. Si simplex, ergo fatentur simplex esse quod cogitat; si composita, redibit argumentum, donec pervenias ad simplex.

Si tertium, a) admittis tot cogitantes, quot partes sunt in composito; quod quidem est gratuitum, inutile, et absurdum; b) redit interrogatio: singulæ istæ partes sunt ne simplices, an vero compositæ? Et sic redit argumentum.

5^o Volitio est tendentia quædam in objectum cognitum. Nullus ergo potest exseri voluntatis actus, nisi cognitio aliqua voluntati præluceat, objectumque proponat.

Pone nunc in subjecto non simplici volitionem. Erit in illo etiam cognitio. Dic quæso, utrum cognitio et volitio pertineant ad diversas partes, an vero utraque in una eademque parte resideat.

Si primum dicitur, absurdum dicitur, et quia est contra intimum sensum, et quia impossibilis volitio est, nisi in eo qui vult, sit cognitio.

Si alterum, non te extricabis, nisi subjectum in quo est et cognitio et volitio, dicas esse simplex.

263. Patet itaque 4^o animam humanam neque esse corpus humanum, neque ejus partem, neque ullum plane

corpus. Omne enim corpus compositum est, extensum, divisibile : anima autem simplex.

Patet 2^o animam non esse qualitatem, affectionem, temperamentum qualitatum corporis. Hæc enim omnia composita sunt, extensa et divisibilia, quemadmodum est corpus.

Patet igitur 3^o animam esse substantiam a corpore distinctam.

Inferes 4^o animam quoque brutorum, quia sensitivæ facultatis ac sensitivi appetitus principium est, simplicem esse indivisibilemque substantiam, et a corpore omnino distinctam.

Propositio II

264. *Anima est spiritualis substantia.*

Principium simplex quod in quibusdam suis operationibus a materiali organo sit independens, est ens spirituale (264). Atqui anima humana est hujusmodi, tum in intellectus, tum in voluntatis operationibus. Nam

4^o Si quæ sunt operationes ab organo materiali independentes, sane illæ sunt quæ non solum hujusmodi adjumento non egent, sed etiam per illud exerceri nullo pacto possunt. Jamvero operationes intellectus per organum materiale exerceri non posse, certissimum est.

Etenim a) ea cognoscit intellectus, quibus organum materiale nullatenus affici potest. Hujusmodi sunt possibilitas, impossibilitas, necessitas, contingentia, negationes et privationes, simplicitas, æternitas, honestas, turpitudine, jus, officium et alia hujusmodi mere idealia objecta. Ad hæc de spiritu, de Deo cogitat, et simplicissimas animi affectiones per conscientiam relegit. Hæc omnia, cum materialia objecta non sint, sed materia multo sublimiora, corporali instrumento attingi non possunt; corpus enim non potest nisi corpus tangere.

b) Intellectus insuper ipsas res sensibiles modo multo nobiliori cognoscit, quam per impressiones organicas percipi queant. Dum enim sensus individuorum præsentia afficitur, mens universales in illis rationes contemplatur, cujusmodi sunt ratio entis, unius, veri, boni, rationesque omnes genericæ ac specificæ, quas abstrahit a concretis, et separatim concipit, et inter se conjungit, aliisque applicat

objectis. Relationes præterea multiplices inter experientiae objecta cognoscit, similitudinis, æqualitatis, causalitatis, et dependentiæ, mediæ et finis, successioni, ordinemque rerum et pulcritudinem.

c) Cogitat insuper et cognoscit multa, quæ quanquam sensibilia sint, sensus tamen nunquam affecerunt. Sic uno quovis individuo objecto percepto, cognoscit infinita alia huic similia posse existere; et cognita causa ejusque natura, effectus futuros, aut loco dissitos, vel certo prænuntiat, vel probabiliter divinatur, et vicissim cognito effectu, causæ existentiam ac naturam ratiocinando deducit. Atqui materiale organum iis solum affici potest, quæ præsentem in illud actionem exercent, aut olim exercuerunt. Ergo.

d) Postremo de rebus sensibilibus quandoque mens discernit contra id quod sensibus percipitur; dumque v. gr. oculi vident remum sub aqua contractum, aut solem bipedalis magnitudinis, mens illusionem corrigit, et remum judicat integrum, solemque tellure multo majorem. At facultas quæ hoc pacto judicat, organica esse nequit. Omnis enim organica facultas ab impressionibus in organo receptis ad actum determinatur.

2º Si voluntatem hominis consideres.

a) Ejus appetitio non est ad bonum quod organa sensitiva afficit, quod est bonum animalis vitæ, limitata; sed immensitatem quamdam habet capacitatis ac desiderii. Etenim quemadmodum intellectus bonum in genere apprehendit, ita hæc ad omne bonum fertur.

b) Et ad illud in primis quod omnem corporum ac materiæ conditionem excedit. Quare maxime delectatur veritate, scientia, virtute, honore, ordine, pulcro, sublimes et similibus; præ quibus interdum bona omnia sensibilia et corporea contemnit. His autem objectis omnibus moveri non potest organica potentia, quia ab his organa affici nequeunt.

c) Demum hominis voluntas est libera, nimirum quam ad agendum excitetur ab objecto, tamen per arbitrii indifferentiam, ad agendum vel non agendum se ipsa determinare potest.

265. Ex his omnibus 4º iterum deduces: *animam humanam esse substantiam*. Nam a) per se multa agit et

independenter a corpore. Præterea *b*) est subjectum unum et constans plurimarum affectionum. Tale autem subjectum est substantia.

Deduces 2° *ne divina quidem virtute fieri posse, ut materialis substantia intelligendi ornetur facultate*. Nam quanquam anima materiã informans, in ea et per eam sentire queat, tamen materia per se neque sensitivæ perceptionis capax est, ut vidimus (262, 4°). Multo magis ergo repugnat, intelligentiæ operationes ab ipsa exerceri; cum ad has operationes exercendas ne instrumenti quidem munus sortiri possit, ut modo demonstratum est. Lockius ergo qui de hoc dubitat, vehementer errat.

266. Opp. 4° Affirmari nequit cogitandi facultatem non posse exsistere in materia. Etenim

a) Ideas tum materiæ tum cogitationis plane inadæquatas habemus.

b) Materia organica mirabiles acquirit proprietates. Ergo si exquisitiori quadam organizatione conformaretur, fortasse etiam cogitare posset.

c) Eoque magis quod insunt materiæ proprietates quædam simplices, ut sunt velocitas, vis motrix, attractio, vegetatio, vires multiplices. Ergo.

267. Resp. *Nego ant.*

Ad 4. *Dist.* Ita tamen ut cognoscamus ejusmodi proprietates, tum materiæ, tum cogitationis, quæ simul consistere non possunt, *conc. secus, nego*. Materia enim est essentialiter composita et extensa, et non potest agere nisi in materiam. Cogitandi autem facultas requirit subjectum incompositum, et inextensum, et objecta prorsus immaterialia attingit.

Ad 2. *Conc. ant. neg. consequentiam*. Organizatio enim, utcumque perfecta, materiæ essentiam non mutat.

Ad 3. *Dist.* Ideæ abstractæ harum proprietatum exhibent aliquid simplex, *conc.* ipsæ proprietates, ut sunt in materia, simplices sunt, *nego*. Insuper *nego consequentiam*.

Proprietates istæ relationem continent, quæ est aliquid indivisibile, prouti ab intellectu concipitur. At relationum istarum fundamentum, seu proprietates ipsæ in se, non sunt aliquid a materia distinctum, adeoque sunt aliquid compositum et divisibile.

268. Opp. 2° Saltem nihil vetat quin existimemus ultima materiæ elementa vi cogitandi donari posse.

Resp. *Nego*. Etenim si elementa materiæ ultima ponantur extensa, ea posse cogitare, ex dictis est manifeste impossibile. Si vero ponantur esse puncta simplicia,

1° Difficultas non est ad rem : etenim elementum materiæ simplex non est materia, nec corpus, nec res extensa ;

2° Negari posset hæc suppositio ex dictis alibi (174); sed non est modo ineunda hujusmodi quæstio.

3° Etiam data hypothese, negandum est hoc elementum posse esse sentiendi principium. Punctum enim non potest contingere aut sentire nisi punctum, si tamen punctum contingere et sentire queat (174).

4° Quomodo vero veritas, virtus, universalialia puncto attingi poterunt? Multo magis ergo repugnat punctum intelligere.

Igitur ultima materiæ elementa, etiamsi simplicia ponantur, cogitandi vi donari non possunt.

269. Opp. 5° Cogitatio non pugnat cum extensione et compositione.

Etenim *a*) diversæ partes compositi, incompleta vi cogitandi præditæ, ita conspirare inter se possunt, ut una exinde cogitatio nascatur; quemadmodum ex. gr. in horologio singulæ partes horas non designant, sed ex omnium conspiratione horæ designantur.

b) Cogitatio omnis explicari potest per motum partium subtilissimarum.

270. Resp. *Nego ant.*

Ad 4. *Nego*. In primis vis cogitandi incompleta absurde supponitur. Vis enim cogitandi est vis sibi repræsentandi objecta, ac potissimum objecta simplicissima, quæ organo corporeo attingi nequeunt (264, 4°). Vel ergo habetur ex toto, vel nullatenus habetur. Præterea, data etiam hac suppositione, nunquam posset ex hisce incompletis cogitationibus cogitatio completa exurgere. Cogitatio enim non est actio transiens ad terminum externum, sed actio immanens (115), cujus terminus est essentialiter intra ipsum agens : subjectum enim cogitans sibi ipsi objectum repræsentat, non alteri. Jam vires illæ, quarum actio transiens est, et in termino externo completur, possunt utique ita disponi, ut omnium virium, vel immediate vel

mediate, unus idemque sit terminus, utque omnes simul id efficiant, quod seorsum singulæ efficere non valent. At vires quæ terminum externum non habent, sed solum internum, non possunt simul ita confluere, ut ex virium conjunctione una activitas conflatur.

Ex his patet nullam esse adductam paritatem.

271. Ad 2. *Neg.* Assertionis falsitas pluribus argumentis evidenter ostenditur : unum hoc nobis sufficiet.

Si omnis cogitatio motu constat, quum plures habeo perceptiones, plures in partibus illis tenuissimis excitari motus dicere oportebit. Peto jam, an motus isti sint in diversis partibus, an vero in una tantum.

Si sunt in diversis, nulla pars omnium simul perceptionum sedes esset, nulla esset omnium conscia.

Si sunt in una tantum, jam una eademque pars pluribus motibus distinctis inter se atque diversis gaudere posset. Sed duo hæc supra modum absona sunt.

Absurdum primum, quia motuum materialium lex est, ut quum duo motus idem punctum materiale urgent, confundantur in unum motum compositum, qui a componentibus est plane diversus.

Absurdum secundum, quia diversitas motuum a diversa celeritate vel directione puncti materialis exoritur. Sed plane absurdum est, unum idemque punctum moveri simul in plures directiones; absurdum pariter, moveri simul diversis celeritatibus, quia excessum majoris spatii supra minus percurreret simul et non percurreret.

Nec juvat si dicas, motus sibi succedere rapidissimos. Si enim singuli sunt in diversis partibus, nihil proficit hypothesis. Si vero in eadem, aut secundus motus sit durante adhuc primo, aut non.

Si primum, redit argumentum; si alterum, non satisficit experientiæ.

272. *Opp.* 4^o Anima subest iisdem omnino vicissitudinibus ac corpus. Etenim

a) Crescit et senescit crescente ac senescente corpore.

b) Si organicæ functiones perturbantur, perturbantur quoque intelligentiæ operationes.

Resp. Dist. ant. non tamen semper, nec eodem modo, *conc.* semper et eodem modo, *nego.*

Dico primo generatim : *non semper* animum iisdem

omnino vicissitudinibus subesse, quibus corpus subest. Nam v. gr. sæpe corpore crescente, animi facultates non perficiuntur, et in juventute, quum corpus est maxime robustum, vis mentis et judicii maturitas minor est, quam in senectute, quum corpus sit debile et langueseit.

275. Dico secundo : *non eodem modo*, ut ex dicendis patebit.

Ad 1. *Dist.* Anima crescit et seneseit eodem modo ac corpus, *nego*; diverso, *subd.* quia est identica cum corpore, *nego*; ratione unitionis cum corpore, et dependentiæ ab illo, *conc.*

Crescit corpus quoad ipsam substantiam, novarum partium susceptione : crescit animus solum quoad habitus, experientia videlicet, scientia, arte, virtute et aliis. Ad hæc autem recipienda incrementa, diuturnum actuum exercitium, ac præterea organorum materialium usus multiplex neenon perfectio quædam requiritur. Hinc patet, cur animus ætate perficiatur, quemadmodum ætate perficitur corpus, sed diversa ratione.

Patet etiam, cur in senibus senescere dicatur senescente corpore. Senescit enim animus in eo quod, senescente corpore, decrescit phantasie ac sensitivæ facultatis vigor. Cum enim hæc facultates per organa exerceantur, debilitatis organis, et ipsæ languescant oportet.

Ad 2. *Dist.* perturbantur ratione sui, *nego*; per accedens, *conc.*

Vitiatis organis, perturbatur exercitium facultatum earum, quæ ab organis dependent, quæ sunt sensus et phantasia. Quoniam vero harum facultatum usus ad intellectus operationes tanquam conditio requiritur, hinc fit, ut organorum perturbatio intelligentiæ quoque exercitium perturbet.

ARTICULUS III. DE ANIMÆ HUMANÆ UNITATE

274. Hic articulus eo spectat, ut refellatur error eorum qui plures in homine animas posuerunt. Hujusmodi sunt inter veteres, Plato, Galenus et Averroes; apollinariæ item et manichæi. Nec desunt inter recentiores, qui principium sensitivæ vitæ ab anima rationali distingui opinentur. Contra quos errores tenendum omnino est cum

communi philosophorum, imo vero humani generis sententia, unam esse in homine animam quæ intellectiva sit atque sensitiva.

Propositio I

275. *Eadem est in homine anima sensitiva et rationalis.*

Probatur 1^o ex unitate intimi sensus. Idem enim subjectum, quod in variis sensuum organis varias sensationes experitur, quodque sensitivi appetitus actus elicit, idem est quod intelligit ac ratiocinatur. Hæc enim omnia unum idemque subjectum, ut ad se pertinentia, in se experitur; eademque intelligentia quæ ad proprias intellectiones se convertit, sensationes quoque et appetitiones reflectendo relegit. Fieri autem nequit, ut una anima experiat ut suum quod sit ab altera, aut ut reflexione redeat in actus alterius. Actus enim immanentes sunt essentialiter in solo agente.

2^o Idipsum ostendit nexus multiplex inter facultates sensitivi ordinis et intellectivi. Nam operationes sensus, si valde intensæ sint, operationes intelligentiæ impediunt; et ad operationes rationis exercendas, experientia sensuum et phantasia juvamus.

276. Præcipua adversus statutam veritatem objectio hæc est. Experimur intra nos intestinam quamdam pugnam. Sed pugna non potest esse ejusdem cum seipso. Ergo sunt intra nos duo quæ pugnant, nempe duæ animæ.

Resp. *Dist. maj.* Experimur intra nos pugnam animarum, *nego*; pugnam inclinationum ad bona opposita, *concedo*. *contradist. min.* et *neg. cons.*

Quemadmodum videlicet mens trahitur hinc inde ab oppositis motivis ad oppositas propositiones, vel corpus idem ab oppositis viribus ad oppositas partes, ita una eademque anima a bono sensibili, et a bono rationis hinc inde trahitur. Imo vero pugna hæc ipsa luculenter ostendit animæ unitatem. Hæc enim pugna in variis inclinationibus ac motibus ad opposita bona sita est: inclinationes autem ac motus hujusmodi sunt actus immanentes, qui in agente, toti quanti sunt, manent, nec ad aliud transire possunt. Si igitur anima mente pollens ab anima concu-

piscente distincta ac divisa esset, unaquæque suas affectiones experiretur, suisque motibus moveretur, nullumque esset in nobis subjectum, quod oppositorum bonorum illecebras in se experiretur.

Propositio II

277. *Quanquam vegetalis vita, ex se et generatim, anima aliqua ut sui principio non indigeat (260); in homine tamen, idemque de brutis animantibus proportione dicendum, ipsa vegetalis vita ab anima originem habere dicenda est.*

In quibusdam enim hæc certo ab anima dependet. Nam v. gr. functiones nutritionis in animalibus sensationes et sensitivi appetitus motum supponunt, et a motricis facultatis actibus initium sumunt. Ceteras autem functiones ad nutritionem pertinentes, ut sunt *digestio, circulatio, respiratio involuntaria, secretiones* item et *assimilationes*, ab anima immediate dependere, probabilissimum est. Cum enim hæ functiones nervorum ministerio in animalibus compleantur, fieri non posse videtur, animam quæ nervos informat, nihil suis viribus agere quum corpus agit suis; viresque corporis nulla in re ex tali societate modificari et augeri. Hac autem organicæ vitæ ab animæ influxu immediata dependentia admissa, facile intelligitur, unde sit nexus ille arctissimus, qui inter organicæ animalisque vitæ functiones existit.

CAPUT II

DE UNITIONE ANIMÆ ET CORPORIS

278. Dicendum secundo de unitiione animæ et corporis. Cujus consideratio tres nobis quæstiones offert: 1^a est, an anima sit in toto corpore; 2^a cujusmodi sit unitio animæ cum corpore; 3^a in quo sita sit humanæ personæ identitas.

ARTICULUS I. DE ANIMÆ SEDE

279. Prænotandum est, quosdam philosophos animam in corde, plures in cerebro, atque adeo in aliqua cerebri parte collocasse; Aristotelis autem et scolasticorum, quibus nonnulli recentiores accesserunt, sententiam esse, animam toti corpori se exhibere præsentem. Ab hac sententia nobis non discedendum videtur.

Propositio

280. *Anima est in toto corpore ipsi conjuncto.*

Videlicet in nervæo systemate, quod toto corpore expanditur, atque in omnem ejus partem fibrillis ac filamentis suis serpit. Cetera enim quæ sunt in humano corpore, instrumenta sunt ac media vitalium operationum, vel etiam effectus.

Probatur propositio 4^o ex intimo sensu. Profecto non modo corporum externorum impressiones, sed ipsum sentiendi actum sentimus. Unusquisque autem qui sentit, nullatenus dubitat, quo in loco sit sensationum sedes, sed certus est se videre in oculo, se gustare in lingua, se calore, frigore, dolore affici modo in una corporis parte, modo in altera, ut vel ipsa loquendi ratio continenter manifestat.

Qui contra sentiunt, aiunt nos sentire quidem in cerebro, sed ex consuetudine quadam, sensum quem experimur, ad nervorum extremitates in sensoriis, ubi motus initium factum est, referre. At explicandum iis manet, quomodo consuetudo hæc adquiratur, et unde originem habeat. Consuetudo enim repetitis actibus adquiritur: multi vero actus a primo aliquo exordiantur necesse est. Qua igitur ratione fit ut animus sensationem habitam in membra primo referat? Vel sentit animus ut sibi præsentia sibi-que conjuncta omnia corporis membra, vel secus. Si proprii corporis membra non sentit, profecto nescit se illa habere; quomodo ergo poterit sensationem aliquam ad membra primo referre? Si vero animus omnia proprii corporis membra sentit, jam non sentit solum in cerebro;

nec refert ad membra sensationes, sed eas in membris experitur.

2° In hac hypothese anima qualitates sensibiles perciperet ubi illæ non sunt. Nam ad cerebrum neque lux, neque calor objecti, neque undæ sonoræ pertingunt; sed solummodo nervorum motus ac fluidi nervei. Cur ergo non potius nervos, nec fluidi hujus motum anima percipit? Mirabile sane est, animam non percipere ea quæ cerebrum afficiunt, eaque solum percipere quæ cerebrum nunquam affecerunt.

3° Animus vel residere dicitur in puncto cerebri indivisibili, vel in aliqua ejus portione extensa, vel in toto cerebro.

Si in puncto indivisibili, huc motus omnes coibunt, multiplices sane et tam directione oppositi, quam impressionum, quas referre debent, natura. At quum motus diversi in unum punctum coeunt, confunduntur. Animus ergo diversas impressiones, quæ eodem tempore ad cerebrum deferantur, distincte sentire nequit. Hoc vero contra experientiam est: scimus enim nos plures, easque inter se diversas sensationes excipere distincte posse. Ergo.

Si vero dicas, animam vel aliquam cerebri partem, vel totum cerebrum occupare, fateris jam animam, licet simplicem, extensam sedem occupare posse. Ex quo concludemus, non repugnare quod toto illa corpore resideat; eamque reipsa in toto corpore residere, si toto corpore virtutem suam manifestet.

Ex his patet quod propositum est.

284. Notanda. 4° Quoniam anima simplex est et quantitate carens non potest ita esse in toto corpore ut sit secundum unam sui partem in una corporis parte, et secundum alteram in altera; sed tota est in toto corpore ac tota in singulis ejus partibus (209). Id quod non difficulter concipies, si mente teneas, animam non esse simplicem ut punctum, quod est simplex in genere quantitatis; sed ut substantiam quæ quantitatis naturam excedit.

2° Solum anima, ac spiritus generatim, potest esse in corpore proprie ac vere, illudque totum penetrare ac pervadere. Etenim potest quidem unum corpus in poros alterius penetrare, sed non in ipsius moleculas; ac proinde unum corpus nunquam est in altero proprie ac vere.

5° Anima quæ tota est in singulis corporis partibus totalitate essentiæ, non est tamen in singulis partibus *totalitate virtutis*: virtus enim ejus ad quosdam actus exercendos diversa organa tanquam instrumenta requirit. Est igitur in diversis organis secundum varias potentias.

282. Opp. 4° Cessat omnis sensus omnisque motus, si nervi cum cerebro non amplius communicent. Ergo sensatio fit in cerebro.

2° Ii quibus membrum aliquod amputatum est, doloris sensum in illo experiuntur: videlicet dolorem experiuntur in cerebro et ad membrum referunt.

3° Si anima tota est in unaquaque corporis parte, esset in toto corpore cum omnibus suis potentiis; quod est falsum.

283. Resp. ad 4 *negando consequentiam*. Ex his enim factis hoc solum sequitur, ad sensationes et ad motus necessariam esse nervorum cum cerebro conjunctionem: non vero animam in cerebro sentire, et in solo cerebro degere. Nam conjunctionis hujus necessitas aliis hypothesis explicari potest; v. gr. quod sensatio fiat in organis, sed ad senticendum requiratur fluidum nerveum et reactio aliqua cerebralis.

Ad 2. Petatur responsio ex alibi dictis (L. 201). Ii quibus membrum aliquod amputatum est, dolorem *confuse* experiuntur in iis nervorum ramulis, qui prius in membrum illud ac in varias ejus partes extendebantur. Vi autem phantasie et assuetudinis, de hujus doloris sede judicant ut prius.

Ad 3. *Dist. maj.* cum omnibus suis potentiis inorganicis, *omitto*; cum omnibus suis potentiis organicis, *nego*.

Potentie animæ inorganicæ, cum instrumento corporeo non egeant, neque in hac, neque in illa corporis parte, proprie loquendo, exercentur. At potentie organicæ, cum non solius animæ sint, sed animæ conjunctæ organo, in ea solum corporis parte esse possunt, quæ ad ejusmodi potentiarum actus idonea sunt instrumenta (281, 3°). Hinc facultatum istarum distributio ab organis dependet.

ARTICULUS II. DE UNITIONIS MODO

Propositio I

284. *Animæ humanæ cum corpore conjunctio physica est et substantialis, ejusmodi nempe ut e duabus distinctis substantiis una composita substantia, una natura exsurgat.*

Unitio physica et substantialis in eo sita est, quod binæ substantiæ, quum ad se invicem accedunt, physicas suas proprietates in unum conferunt, ita ut proprietates, vires, operationes compositi a proprietatibus, viribus, operationibus utriusque componentis diversæ sint. Quo pacto ex duabus componentibus substantiis unum subjectum constituitur, unumque operationum passionumque principium, videlicet una natura (13). Igitur si ex animæ corporisque unitione resultant in homine proprietates et operationes diversæ a proprietatibus et operationibus tum animæ tum corporis, certe animæ et corporis unitio physica et substantialis dicenda erit. Atqui sunt in homine proprietates hujusmodi.

285. Probatur 1^o ut omittamus ea quæ ad vitam vegetativam pertinent, ex sensu proprii subjecti. Homo sentit se extensum, atque in se varias partes distinguit, propriasque affectiones modo in una parte, modo in altera experitur. Jam corpus nequit sentire se; anima vero, ut est in se, nequit se extensam sentire. Ergo.

2^o Ex facultate sensus externi. Anima simplex et inextensa materialium objectorum impressiones excipere non potest; nullam enim habet superficiem quæ ab altera superficie tangi queat, et impenetrabilis non est. Aliunde corpus extensum est et impenetrabile; proindeque impressiones alterius corporis excipere potest, sed eas experiri nequit.

3^o Ex motu spontaneo. Corpus est iners, ac seipsum ad motum determinare non valet. Anima autem ex se non movetur ad modum corporum, quia non est in loco ad corporis modum. Homo autem seipsum ad motum localem determinat.

4^o Appetitus item sensitivi passiones ad solam animam pertinere non possunt, quia corpoream immutationem in suo conceptu includunt; nec ad solum corpus, quia corpus appetitus est incapax.

Patet igitur assertum.

286. Nota. 4^o In substantiali hac unitione utraque substantia suppositi rationem amittit. Utraque enim est pars, quæ alterius consortio aliquo modo perficitur.

Hinc 2^o persona humana non est anima, multoque minus corpus, sed compositum ex anima et corpore.

5^o Substantialis hæc animæ cum corpore conjunctio constitui videtur per hoc, quod anima corpus pervadens ac penetrans, vim suam vi corporis propriæ associet admisceatque.

287. Ex his quæ statuimus, facile erit, de variis systematibus quæ ad animæ et corporis unionem explicandam excogitata sunt, judicium ferre.

Propositio II

4^o *Falsum est animam corpori uniri ut motor mobili conjungitur.*

Censuit Plato animam totum esse hominem, eam vero corpori præesse ut nauta navi, et corpore uti tanquam instrumento.

Hanc autem opinionem falsam esse patet ex dictis. Nam ex motore et mobili non fit una natura. Fit autem ex anima et corpore.

Propositio III

2^o *Falsum est systema causarum occasionalium.*

Opinatus est Malebranchius, corporis motus esse causas solum occasionales (120) affectionum animi, et voluntates animi causas occasionales motuum corporis; Deumque esse qui positis quibusdam motibus in corpore, ideas affectionesque his consentientes in mente producit et ex æquo motus in corpore excitat, animæ affectionibus ac revolutionibus respondentes.

Hæc vero hypothesis multo magis rejicienda est quam præcedens. Nam et falso supponit causarum secundarum

ipsorumque spirituum activitatem nullam esse (121, 122), et physicam ac substantialem corporis animæque unitiōnem penitus aufert, humanæque naturæ conceptum prorsus evertit.

Propositio IV

3^o. *Falsum est systema harmoniæ præstabilitæ.*

Anima juxta Leibnitzium agit plane independenter a corpore, et corpus independenter ab omni animæ influxu; in utraque vero actionum serie actio consequens est præcedentis effectus. At cuius animæ tale corpus a Deo attributum est, ut binæ series independentes affectionum animæ et motuum corporis ita sibi consonent, ac si altera in alteram influeret.

Præter arbitraria et incredibilia quæ hoc figmentum supponit, nemo non videt, physicam unionem atque humanam naturam hoc quoque systemate penitus tolli.

Propositio V

4^o. *Systema quoque physici influxus admitti nequit.*

Systema hoc satis communiter receptum, statuit animam agere in corpus seu in fluidum nerveum, determinando ipsum ad motum; et corpus in animam agere, determinando illam ad objectorum externorum perceptionem.

Sed in hac quoque hypothese humanæ naturæ perimitur unitas. Mutua enim actio non facit ut ex duabus substantiis unum fiat operandi patiendique principium. Præterea negandum est, corpus in animam agere posse. Corpus enim movere quidquam nequit, nisi illi applicetur. Applicatur autem corpus objecto in quo agit, per quantitatis contactum. Sed quantitatis contactus exerceri non potest, nisi in alia quantitate. Atqui anima quantitate prorsus caret.

Propositio VI

5^o. *Verum est systema aristotelicum, animam corpori conjungi ut formam materiæ.*

Sane, sepositis opinionum varietatibus, quæ de mutua materiæ ac formæ habitudine apud aristotelicos viguere,

hæc erant communi omnium consensione recepta : materiam esse substantiam incompletam, quæ potentia solum esse illud habet, quod per formam in ea receptam ipsi communicatur : formam vero esse et ipsam substantiam incompletam, quæ ad certum aliquem essendi actum materiam determinat, sui que communicatione facit ut sit actu illa essentia, quæ prius in materiæ potentia fuit (166).

Atqui constat ex dictis corpus esse hominem incompletum, illudque ab anima totum penetrari ac repleti (281), itemque non habere ex se esse viventis ; animam vero partem hominis esse non totum hominem, eamque determinare corpus ad hoc ut actu vitam habeat, atque homo sit. Ergo anima humana vere dici potest ac debet corporis forma.

ARTICULUS III. DE HUMANÆ PERSONÆ IDENTITATE

Propositio I

288. *Absurde prorsus humanæ personæ identitatem in conscientia seu in conscientiæ extensione Lockius reposuit.*

Conscientia enim sine dubio est medium quo unusquisque propriam identitatem cognoscit, ac de ea certus est. At perperam objectum quod per hoc medium cognoscitur, cum eodem medio confunditur. Ex hac enim theoria sequeretur oblivionem, ebrietatem, amentiam in uno eodemque homine personas multiplicare, et eos qui rei sunt facere innocentes ; quæ quidem penitus absurda sunt. Demum persona non est ulla facultas nec ullus actus. sed est substantia completa (144). Non ergo in hominis conscientia, sed in ejus substantia humanæ personæ identitas quærenda est.

Propositio II

289. *Humanæ personæ identitas ex his tribus conjunctim consurgit : 1º ex identitate absoluta quoad animæ substantiam ; 2º ex identitate relativa et ad sensum quoad corpus ; 3º ex identitate modi quo binæ substantiæ simul unitæ sunt.*

Sane persona humana est substantia composita hominis individui, prouti in se est aliquid integrum atque comple-

tum (144). Igitur eadem manente individua hac substantia, eadem manet humana persona. Atqui substantia composita eadem manet, si et componentia maneant eadem, et unionis ratio eadem perseveret (58, 4^o). Ergo si eadem manet anima, idem corpus, eadem utriusque conjunctio, eadem quoque manet humana persona.

Jam anima, quoniam substantia est simplex et quantitate carens, quoad ipsam substantiam, absolute immutabilis est. Corpus autem humanum, cum sit compositum organicum, eam servat identitatem quæ hujusmodi compositorum est propria, quæque in eo sita est, ut particulæ sensim in organismum invecetæ, cum organica massa ita commisceantur, ut hæc ad sensum sit stabilis; organismus, figura, functiones essentielles sensibilem mutationem non patiantur; ac status sequens organicæ vitæ sit status antecedentis effectus. Demum unionis ratio inter animam et corpus est jugiter eadem; quomodocumque enim corpus immutetur, semper illi anima ut forma conjungitur.

CAPUT III

DE ANIMÆ ORIGINE AC FUTURA VITA

290. Disputatio tertio loco proposita est de animæ origine deque ejus futura vita. Quo loco veniunt investiganda quinque: 1^o cujusmodi sit animæ origo; 2^o quo tempore anima existere incipiat; 3^o utrum eadem separata a corpore vivere possit; 4^o utrum reipsa victura sit; 5^o si victura sit, utrum semper vivet.

ARTICULUS I. DE ORIGINIS MODO

291. Quod ad originis modum attinet, duo sunt refutandi errores, alter eorum qui opinati sunt, animas humanas ex Dei substantia decerpi; alter eorum qui contenderunt, animas a parentibus in filios per generationem propagari ac traduci.

Propositio I

292. *Repugnat animas humanas e divina substantia esse decerptas.*

Etenim divina substantia est incorporea, immutabilis, perfectissima. Proinde non habet partes in quas dividi possit; nihilque in se continet quod mutationi esse obnoxium aut imperfectionibus animæ humanæ propriis subjici queat.

Propositio II

293. *Anima humana non est ens a se, sed ab alio.*

Ens enim a se est infinitum et absolute immutabile. Anima autem est multipliciter finita, ac perpetuo mutatur.

Si vero anima humana non est ens a se, non est absolute necessaria, est contingens. Ergo ab alio est producta (140).

Propositio III

294. *Animæ humanæ non propagantur per traducem.*

Nam parentes qui animam in filios traducere dicuntur, vel eam educunt ex propria anima, vel ex proprio corpore, vel ex nihilo.

Atqui anima filiorum educi nequit ex parentum anima. Anima enim parentum simplex est, et in partes resolveri non potest. Repugnat igitur partem aliquam ex ea decidi aut effluere, atque alteri communicari.

Neque potest educi ex parentum corpore. Nam substantia simplex et spiritualis e substantia composita, extensa, inertis, quæque proprietates habet naturæ spiritus prorsus oppositas, decerpi, erui, aut quomodocumque educi nequit.

Neque ex nihilo. Creatio enim infinitam virtutem postulat, quam nulla creatura possidet. Præterea si filiorum animæ a parentibus ex nihilo crearentur, jam falsum esset eas transfundi ac traduci.

Propositio IV

295. *Anima humana produci aliter nequit, quam per creationem ex nihilo.*

Anima enim est substantia simplex et indivisibilis. Substantia autem huiusmodi non potest ex præexistente subjecto produci (294), sed solum ex nihilo absolute.

Cum autem solus Deus creandi virtute potiat, anima humana immediate a Deo producat necesse est.

ARTICULUS II. DE ORIGINIS TEMPORE

296. Notus est Pythagoræ ac Platonis error, juxta quos animæ omnes in mundi exordiis a Deo conditæ sunt et in astris collocatæ; deinde in admissi criminis pœnam, corporibus tanquam carceribus inclusæ sunt; e quibus, si male agunt, in inferiora corpora migrare coguntur, atque adeo in bruta permutantur. Hunc animæ transitum a corpore in corpus vocant *metempsychosin*. Alii quoque philosophi deinde opinati sunt, omnes humanas animas in rerum initio simul creatas fuisse.

Propositio I

297. *Animæ humanæ productæ non sunt in mundi exordiis, ante corpora ab iis informanda.*

Nam 4^o doctrina de præexistentia animarum cum illa altera nectitur: animam non esse natura sua aptam namque ad hoc ut cum corpore uniat; hinc corpori non uniri unitione physica et substantiali, sed tantum accidentali, et ut motor mobili. Quæ doctrina falsa est, ut supra demonstravimus.

2^o Animæ antequam corporibus unirentur, vixissent dicuntur vita sibi propria, an secus? Non vixisse vix concipi potest. Sed fac non vixisse: cur ergo tanto ante tempore conditæ sunt? Si vero vixerunt, si multa intellexerunt, voluerunt, fecerunt; cur aut quomodo eorum omnium oblitæ sunt? Nunc sane anima actuum facultatum inorganicarum quos exercuit in corpore, oblivisci potest, quia actus hu-

jusmodi aliquo modo a phantasmatibus dependent; unde obliterated organorum vitio phantasmatibus, memoria intellectiva suo fundamento destituitur; ast actus quos anima extra corpus posuit, nullo modo a phantasmatibus dependent; non potest igitur ex corporis influxu eorum memoria deleri. Horum igitur actuum memoria ex conjunctione cum corpore deleri non poterat, sed indelebilis permaneret.

Propositio II

298. *Metempsychoseos doctrina inter humanæ mentis aberrationes merito adnumeratur.*

Etenim 1^o doctrina hæc supponit animæ unionem cum corpore pœnalem esse, ac proinde violentam. Atqui conjunctio animæ cum corpore est prorsus naturalis. Anima enim ex se aptitudinem habet ad hoc ut corpori uniatur, et corpus vicissim ut uniatur animæ: utraque insuper substantia hæc unione percipitur, unamque naturam constituunt. Ergo hæc utriusque conjunctio violenta non est.

2^o Quam stulte et crudeliter hæc pœna infligeretur, quæ tunc animis ad emendationem infligitur, quum scelorum a se patralorum prorsus oblita sunt! Juste enim ac sapientis pœnæ ratio postulat, ut qui pœna afficitur, agnoscat se puniri, præsertim si ex pœna quam patitur, ad scelus detestandum illudque in posterum cavendum moveri debeat. Quis igitur dicat hujusmodi pœnam a Deo infligi potuisse?

3^o Illud nominatim in hoc figmento rationi repugnat, quod anima hæc nostra belluino corpori æque ac humano conjungi, et utrumque indiscriminatim vivificare posse dicitur. Nam, ut cetera omittam, si animæ humanæ in brutorum corporibus habitant, jam bruta personarum jura possident, nec sunt amplius res, quibus pro arbitrio uti possimus.

Propositio III

299. *Anima humana creatur quum corpori jungenda est.*

Est corollarium ex præcedentibus. Si enim animæ a rerum exordio conditæ non sunt, cur postea creari debuerint,

antequam corporibus conjungerentur? Pars profecto est propter totum. Si ergo intentio naturæ est ut hominem producat, anima est propter hominem; ac proinde tunc animam creari oportet, quum procreandi hominis tempus advenit. Homo autem procreatur, quum corpori anima conjungitur.

300. Quo autem tempore animam corpori conjungi dicendum sit, opiniones discrepant. Probabilius est infundi animam in ipso conceptionis momento: 1^o quia tunc ex communi hominum sensu homo procreari dicitur; 2^o quia ad functiones vegetativas in animali perficiendas, animæ quoque influxus verosimilius requiritur, ut supra dictum est (277). Igitur quum fœtus vitam vegetativam sibi propriam vivere incipit, anima informetur oportet.

301. Obj. 4^o Indignum Deo videtur, ut omnibus generationibus invigilet, ad momentum captandum, quo animam creare debeat.

2^o Intelligi nequit, cur Deus animas in hæc tam misera corpora immittat, nisi supponamus aliquod scelus ab iis esse patratum.

5^o Revera corpus a piis quoque viris appellari solet animæ carcer.

302. Resp. Ad 4. *Nego*. Quod enim Deus singulis generationibus intersit, indignum eo non est; nec mirum esse debet iis qui noverunt Deum omnia perpetuo conservare, et cum omnium agentium operationibus semper concurrere, quin tamen anxietate ulla sollicitetur, aut labore lassescat.

Ad 2. *Nego*. In primis falsum est, dolores solummodo et ærumnas ex sua cum corpore conjunctione animæ obtinere. Nam multa quoque bona ex hac conjunctione anima consequitur. Quod si quibusdam malis homo est obnoxius, hinc utique inferemus, præsentem vitam ultimum hominis finem non esse, sed solum palæstram ad merendum ipsi attributam; inferemus quoque hominem in hac vita indigere stimulo ac medicina; sed nullo jure inferre licebit, animas in hac vita pœnas luere delictorum, quorum sibi consciæ non sunt. Ceterum de hujus vitæ malis fusius disputabitur in Theologia.

Ad 5. Dici quidem solet corpus animæ carcer; neque hæc locatio improbanda ullo modo est, ut a piis viris acci-

pitur. Corpus enim animæ carcerem appellant, non quia simpliciter malum sit animæ esse corpori conjunctam, sed ratione boni majoris quam sit vita præsens, quod bonum juxta hunc providentiæ ordinem assequi non possumus nisi prius mortem subeamus.

ARTICULUS III. UTRUM ANIMA A CORPORE SEPARATA ESSE
ET VIVERE POSSIT

Propositio

503. *Anima humana a corpore separata existere potest ac vivere.*

Potest existere. Est enim substantia a corpore distincta, non corporis accidens aut aliquid ipsi utcumque inhærens, ut supra demonstratum est. Igitur ejus existentia a corpore non dependet; potest ergo existere a corpore separata, quemadmodum et corpus ejusque elementa post separationem ab anima existere pergunt, quia substantiæ sunt.

504. *Potest vivere.* Propria enim animæ vita continetur actibus intelligentiæ ac voluntatis, qui sunt actus vitales omnium nobilissimi. Igitur si potest anima a corpore secreta hosce actus exercere, ea profecto vivere potest. Atqui ita est: nam et intellectus et voluntas, ut supra vidimus (264), non sunt facultates compositi propriæ, atque organis corporeis indigentes. Possunt ergo in anima permanere etiamsi ipsa a corpore separetur. Imo vero cum in ipsa animæ essentia radicem habeant, fieri nequit ut manente anima, ipsæ non maneant. Quoad igitur anima existentiam suam continuabit, tandiu his facultatibus ornabitur.

505. Obj. 4^o Nulla est in mente cogitatio sine præcedente sensatione; nulla imo idea sine phantasmate. Sed nulla sensatio sine corpore nullumque phantasma. Ergo sine corpore nulla erit in mente cogitatio, nulla idea.

2^o Etiamsi anima a corpore separata cogitandi facultatem retineat, caret tamen objecto circa quod eam exercere possit.

506. Resp. ad 4 quoad 4 partem. *Dist. maj.* Nulla cogitatio in mente est sine præcedente sensatione, et hoc

provenit ab intrinseca dependentia cogitationis a sensatione, *nego*; a dependentia extrinseca et pro præsentis mentis statu, *conc*.

Cum sit mens corpori conjuncta, in eoque propemodum demersa, omnis ejus cognitio de rebus a se distinctis sensatione incipiat necesse est. Igitur sensatio est occasio, seu etiam conditio, quæ in præsentis statu vim excitat intellectivam, objectum ipsi primo proponens. Non est autem conditio ex se, et absolute necessaria ad intelligentiæ exercitium. Quamobrem inferri nequit, animam a corpore solutam non posse quidquam cogitare, quia sensationibus caret.

Quoad 2 partem, *dist. maj*. Nulla idea sine phantasmato, ex connexionione intrinseca et absoluta, *nego*; ex connexionione extrinseca et pro præsentis statu, *conc*. Est videlicet ex unionione animi cum corpore, non ex cogitationis natura.

Ad 2. *Nego*. Nam anima cum sit sibi ipsi intime et essentialiter præsens, potest semper in semetipsam intelligentiam reverti, ideasque omnes quarum memoriam intellectivam conservat, affectionesque proprias relegere, comparare, ex iisque ratiocinari. Ac præterea novus ille status ac societas illa spirituum nova suggeret objecta cognoscenda, novosque cognoscendi modos suppediet. Deus autem, qui modo per sensationes objecta menti offert, potest profecto mentem ad cognoscendum immediate per se determinare.

ARTICULUS IV. UTRUM ANIMA SEPARATA REIPSA VIVET

Propositio I

307. *Anima humana a nulla vi creata potest existentia vitæque privari.*

a) Non potest privari *existentia*. Etenim duobus modis substantia perire potest, vel corruptione vel annihilatione (441). Corrupti autem nequit substantia, nisi partibus constet: corruptio enim est compositi dissolutio. Anima igitur humana, ut quæ simplex substantia est, ac partibus non constans, incorruptibilis est. Hinc non aliter amittere existentiam potest, quam per annihilationem.

Ast annihilationis causa solus Deus esse potest: ipse enim solus res creat et conservat. Solus ergo Deus, non aliqua creata vis animam humanam existentia privare potest.

Sed fac esse vim creatam, quæ aliquid in nihilum redigere valeat. Certe cum omnis vis creata sit a Deo dependens, ejusque providentiæ ac potentiæ subjecta, si Deus absolute vult animam humanam post hominis mortem existere, nulla vis, etiamsi posset, eam perimere valebit. Deus enim cui nihil resistit, hoc impedit. Jam mox demonstrabimus, Dei voluntatem absolutam esse ut anima hominis post mortem existat ac vivat. Ergo.

b) Non potest privari *vita*. Nulla enim creata vis cogitandi facultatem ac volendi ab anima humana divellere potest: facultates enim hujusmodi cum ab ipsa ejus essentia necessario dimanent, nec organis indigeant corporeis, avelli ab ipsa nequeunt, nisi ipsa destruat.

308. Obj. 1^o Quod est contingens, ex se in nihilum tendit. Anima autem humana contingens est.

2^o Anima habet morbos suos, puta ignorantiam, dementiam et vehementissimarum febres cupiditatum. Morbi vero sunt corruptionis initium.

3^o Quamvis perimi non possit per partium dissolutionem, potest tamen per successivam remissionem in gradu suæ realitatis evanescere et in nihil abire.

309. Resp. ad 4. *Dist. maj.* quatenus indiget causa conservante, ut creante indiguit, *conc. secus, nego. Conc. min.* et eodem modo *dist. cons.*

Ad 2. Noto in primis, morbos qui animæ esse dicuntur, si ignorantiam excipias, non animæ esse proprie, sed compositi ex anima et corpore. Sed hoc omisso, *resp. generatim: dist. maj.* Anima habet morbos suos, dissimiles omnino a morbis corporis, *fr.* ejusdem naturæ cum illis, *nego.*

Dist. min. Morbi sunt corruptionis initium, morbi nempe corporis, *conc.* morbi animæ, *supd.* sunt corruptionis initium quoad corpus, *conc.* quoad ipsam animam, *nego.*

Morbi corporis tendunt ad ipsum dissolvendum: hinc sunt corruptionis initium. Sed morbi animæ proprii non possunt, ut patet, ipsam corrumpere, aut annihilare (307). Ii tamen morbi qui sunt proprii compositi, ut v. gr. cupi-

ditates seu passiones affectivæ, possunt profecto, ut experientia ostendit, graves ipsi corpori læsiones inferre, ex quibus compositi dissolutio consequatur, animæ autem substantiam lædere nequeunt.

Ad 3. *Nego.* Etenim animæ substantia, cum sit prorsus simplex, nec intendi potest nec remitti. Potentiæ item ejus, quæ ab essentia dimanant, nec crescere possunt nec minui in seipsis (75). Major itaque vel minor intensio reperitur solum in actibus potentiæ, propter conditiones quas potentia ad agendum requirit, ut alibi (74) notavimus, et in habitibus qui per actus generantur. Falsum itaque animam constare gradibus, ex quorum successiva remissione evanescere possit.

Propositio II

310. *Anima humana post separationem a corpore superstes vivet.*

Cum anima non aliter perimi possit, quam a Deo per annihilationem, ut modo dictum est (307), hoc quod asseruimus demonstrabitur, si probaverimus, Deum non esse animam in nihilum redacturum, saltem aliquo tempore post ejus separationem a corpore; nam utrum animæ futura vita sempiterna sit, infra videbimus.

Atqui prorsus indubitatum est Deum, post animæ separationem a corpore, non esse eam in nihilum redacturum.

311. Sane 4^o In tot mutationibus ac vicissitudinibus corporeæ naturæ, nulla materiæ particula a Deo in nihilum redigitur. Quanto minus ergo nobilissimam animæ substantiam omnium Creator in nihilum abire sinet? In humani corporis dissolutione, ejus primitiva elementa non pereunt, quia naturaliter destrui non possunt: cur igitur animus pereat?

2^o Si tamen Deus aliquid annihilare dicatur, certe unusquisque fatebitur enim ad id non adduci, nisi aliquod motivum, quod infinita sapientia dignum sit, hoc postulet. Atqui nihil plane est quod postulet, ut anima humana post separationem a corpore in nihilum redigatur. Imo vero ea quæ subjicientur ostendent, Deum non modo nullum habere motivum ut animam conservare desinat, sed prorsus

debere sibi, debere suis attributis, ut illius existentiam post fatum perennem velit.

3° Deus infinite bonus non potuit rationalem animam creare ut misera semper esset, sed solum ut ipsi beneficeret, felicemque eam redderet; præsertim cum vehemētissimum felicitatis amorem ipsi inseruerit. Hoc enim desiderium necessaria naturæ nostræ ac principalis tendentia est: necessaria vero ac principalis naturæ tendentia est ad finem. Per hoc ergo desiderium nobis inditum, manifestat Deus se ad felicitatem hominem creasse.

Atqui si altera, post præsentem, vita non superest, in qua beatitatem nancisci contingat, fateri necesse est, nos ad miseriam ærumnasque natos esse. Nam in hac vita innumera mala et corpus et spiritum discruciant, ita ut omnis homo aliqua ex parte sit miser, maxima vero hominum pars sit omnino miserrima. Ergo.

4° Deus infinite sapiens et rectus et bonus, non potuit hominem in peiori conditione collocare, quam sit brutorum conditio. Atqui sic plane egisset Deus, si vitam aliquam, hac quam vivimus meliorem, nobis non præparavit.

Bruta enim bona solum sensibilia appetunt, nec multis egent; quæ vero ipsis necessaria sunt, facile assequuntur, omnia abunde suppeditante natura; iisque plene satiantur. Ast homo bona multo præstantiora desiderat, imo felicitatem illam perfectam appetit, quam ratio cognoscit. Hanc autem nemo assequitur: minuta hæc præsentis vitæ bona pauci obtinent, idque labore summo et angustia perpetua; maxima vero mortalium pars his quoque bonis fere omnibus caret. Ergo homo nunquam assequitur quod natura desiderat, cum ex alia parte innumeris malis afflicteatur, quæ irrationalium pecudum genus ignorat.

5° Repugnat divinæ sapientiæ et bonitati excitasse in humana natura inclinationes contrarias quas conciliare impossibile sit. Atqui sunt in humana natura inclinationes contrariæ, quæ, si altera vita non datur, nunquam conciliabuntur.

Est enim in homine hinc quidem, ut diximus naturale felicitatis desiderium; inde vero 4° inclinatio ad virtutem, et naturalis lex quam Deus servari vult; 2° inclinatio ad societatem, et naturalis necessitas qua homo adstringitur in societate gendi.

Prima contradictio manifesta est, quia virtutis via aspera est et magnis plena laboribus, vitiorum vero semita proclivis et sensibus jucunda. Si igitur tota felicitas nostra præsentium bonorum fruitione contineretur, jam virtus quasi quoddam naturæ malum esset, et inimica virtutis felicitas. Adeoque desiderio felicitatis virtutem fugere, et ex virtutis amore felicitati valedicere oportet.

Quomodo conciliantur hæc, nisi felicitas, quam in fugaci hac vita præ virtute despiciere oportet, alibi cumulatius invenienda sit, tanquam ipsius virtutis præmium?

Secunda contradictio non est manifesta minus. Ex eo enim quod homo in societate degit, necesse est ut privatum bonum publico postponat, incommoda multa et pericula subeat, nec infrequenter vitam ipsam profundat.

6^o Postremo Deus, qui sanctissimus est et justissimus, non potest erga virtutem et vitium indifferenter se habere, ita ut eodem in pretio tam bonos quam malos habere videatur. Sed si altera vita non datur, ubi præmia ac pœnas pro meritis retribuatur, tali modo se gereret Deus. Nam in præsentis vitæ curriculo eum rerum administrandarum ordinem tenet, ut hujus vitæ bonis indifferenter, ut plurimum, fruantur boni et mali, adversis item casibus indifferenter utrique obnoxii sint. Ergo.

512. Obj. 4^o Forma non potest existere extra subjectum. Anima autem est corporis forma.

2^o Per mortem cessat animæ finis, qui est corporis informatio.

5^o Propterea animæ belluarum in morte annihilantur.

513. Resp. ad 4. *Dist. maj.* Forma quæ sit accidens, aut quæ ratione solum a subjecto distinguatur, *conc.* forma quæ sit substantia, et a subjecto realiter distincta, *nego.* Et *contradist. min.*

Ad 2. *Dist.* Informatio corporis est finis animæ proximus et inadæquatus, *conc.* ultimus et totalis, *nego.*

Finis enim animæ humanæ ultimus et adæquatus est felicitas, et Dei gloria; informatio vero corporis est finis secundarius, seu medium ad finem ultimum assequendum.

Ad 3. *Tr. ant. nego conseq. et paritatem.*

514. Animæ brutorum sunt substantiæ simplices, prouti ex facultate sentiendi qua gaudent, manifeste colligitur (262; 4°, 2°). Igitur nequeunt in partes dissolvi, et per dissolutionem perire, sed solum per annihilationem. Eas vero annihilari corrupto corpore quod informant, hoc quanquam proprie demonstrari non posse videatur, tamen communi sententia receptum est, tum quia bruti anima corpore exuta non est amplius vitæ capax: ejus enim vita, cum sensitivæ facultatis operationibus tota contineatur, sine corporeis organis exerceri nequit; tum etiam quia belluinæ animæ finis informatio tantummodo est corporis, non vero perfecta felicitas in Creatoris sui cognitione et amore constituta; ac demum quia anima ejusmodi nec meriti nec demeriti capax est, ex quo nulla ipsi præmia, pœnæ nullæ debentur.

Hæc autem de anima humana dici nequeunt, imo contraria omnia de ipsa dicenda sunt. Recole quæ hucusque disputavimus.

515. Obj. 4° Deus non tenetur mercedem ullam virtuti rependere; omnia enim sua homo illi debet: eoque magis quod virtus sibi ipsi præmium sit.

Resp. *Nego ant.* Ad 4° rationem: *Dist.* non tenetur propter solum hominis meritum, *conc.* propter sua attributa, *nego.*

Ad 2° rationem: *Dist.* Tale præmium quod sit sufficiens, attento hominum desiderio divinisque attributis, *nego*; tale præmium quod sufficiens non est, *conc.* (344, 5°).

516. Obj. 5° Si futura superesset vita, homines mortem non timerent.

Resp. *Dist.* mortem non timerent, quatenus est violenta separatio a corpore, *nego*; quatenus est transitus ab hac vita ad futuram, *subd.* si rebus sensibilibus non adhærerent, et certi essent de sorte quæ eos manet in futura vita, *conc.* secus, *nego.*

Horroris quo mortem aversamur duplex causa est: alia physica, alia moralis. Physica est ex lege unionis animæ cum corpore, ex qua fit ut anima compositi conservationem amet, illiusque dissolutionem, quantum potest, arceri aut differri cupiat. Hunc autem horrorem non exclu-

dit persuasio de vita futura, quemadmodum medicinæ horrorem non excludit persuasio de ejus utilitate ad valetudinem recuperandam.

Causa moralis duplex est, amor nempe bonorum sensibilibium, quibus omnibus morte privamur, et anxietas de sorte quæ in futura vita nobis continget. Et hæc quidem anxietas causa præcipua est qua horror mortis excitatur. Ex quo fit ut horrore isto improbi homines vehementer perturbentur, cum e contrario qui innoxii sunt, læto vultu mortem opperiuntur.

ARTICULUS V. UTRUM ANIMA SIT FUTURA IMMORTALIS

Propositio

317. *Anima humana post separationem a corpore perpetuo existet ac vivet.*

1^o Redit primum argumentum allatum in superiore propositione. Quomodo probabitur Deum velle tandem animam hanc nostram extinguere? Anne aliquando anima ad finem suum inepta fiet? Anne aliquando rerum ordinem ejus existentia perturbabit?

2^o Imo ex materia, molitione ac natura operum, temporis duratio cui hæc ab artifice destinata sunt, dignoscitur. Sic dicimus Ægyptios ad æternitatem ædificasse pyramides, quum earum soliditatem adspicimus. Jamvero Deus animam humanam creavit simplicem, incorruptibilem, quæ corpore non eget ut sit ac vivat, quæ a nulla vi finita existentia vitæque privari potest; eandemque insuper capacem fecit ut nobilissimo fine summaque felicitate perpetuo frueretur. Ergo non ad tempus determinatum, sed ad æternitatem opus hoc destinavit.

3^o Natura ipsa cogente felices esse volumus, et quidem ea felicitate quam ratio cognoscit, i. e. omnino perfecta. Desiderium hoc felicitatis est maximum imo unicum naturæ desiderium, eique essenziale ac summopere necessarium: hoc enim solo desiderio movetur homo ad agendum, humanaque conservatur societas. Profecto desiderium hujusmodi nequit esse homini datum ad ludibrium atque tormentum.

Sed si anima non est immortalis, hoc felicitatis desiderium revera ad ludibrium ac tormentum homini datum fuisset. Nam si anima non est immortalis, huic desiderio nunquam satisfiet.

Etenim ad perfectam felicitatem tria requiruntur: 4^o absentia omnis mali; 2^o possessio omnis boni quod naturæ conveniat; 3^o securitas nunquam excidendi ab hoc statu. Quæ postrema conditio potissima est: si enim hæc desit, desunt et reliquæ. Nam non abest amplius omne malum, quia timor amittendi summum bonum magnum est malum: nec possidetur omne bonum naturæ conveniens, quia bonum enti intelligenti maxime conveniens est esse perpetuum.

Dico igitur: si anima non est immortalis, felicitatis desiderio nunquam satisfiet. Etenim in hoc mortalis vitæ curriculo huic desiderio certe non fit satis. Nemo enim mortalium in terra constitutus beatitatem possidet, tribus illis conditionibus perfectam. Restat ut ei satisfiat in altero illo existentie nostræ stadio, quo properamus. At quæcumque sit felicitas illic nobis parata, si anima immortalis non est, deest tertia illa conditio, sine qua beata vita esse non potest. Ergo si anima immortalis non est, neque in futura illa vita felicitatis desiderium explebitur. Nunquam itaque explebitur.

4^o Concludat omnia argumentum a communi hominum suffragio deductum. Huc spectant sepulcrorum monumenta, ritus funebres, expiationes et sacrificia pro mortuis, apotheoses, mortuorum consultationes, aliaque hujusmodi. Testimonia scripto tradita sive ab historicis, sive a philosophis, sive a poetis innumera plane sunt: imo perenne consensus hujus testimonium est ipsa humana societas. Etenim sine futuræ vitæ persuasionem, nullibi hominum convictus ad aliquod tempus permanere potuisset.

318. Obj. 4^o Animi immortalitas non potest philosophice demonstrari.

a) Quod enim dependet a libera Creatoris voluntate, nequit ratione sola cognosci. Atqui animi immortalitas a libera Creatoris voluntate dependet.

b) Nulla vero proportio est inter brevem hanc hujus vitæ militiam et felicitatem æternam.

319. Resp. *Nego ant.* Ad 4. *Dist.* si hæc voluntas nullo

modo sit rationi manifesta, *conc.* secus, *nego.* Unde autem hæc in re Dei voluntas sit nobis manifesta, argumenta allata demonstrant.

Dist. insuper *min.* quatenus Deus liber fuit ad hominem creandum, *conc.* posita hominis creatione, *nego.* Patet ex dictis (314, 5^o, 4^o; 317, 2^o, 5^o).

Ad 2. *Dist.* Nulla est proportio hæc, spectato tempore quo virtus exercetur, *tr.* spectata natura ac fine subjecti a quo exercetur, *nego.* Virtutis namque exercitium homini proponitur tanquam medium ad assequendam eam quam natura desiderat, felicitatem. Felicitatem autem desiderat perfectam, nec perfecta felicitas esse potest nisi æterna sit.

520. Obj. 2^o Argumentum quod ex felicitatis desiderio deducitur, nullum pondus habet.

Nam multa sunt naturalia desideria quæ non implentur, ut desiderium scientiæ, divitiarum, honorum, vitæ, etc.

Resp. *Nego ant.* Ad rationem additam, *dist.* desideria hæc naturalia sunt quatenus felicitatis desiderio subordinantur tanquam media ad finem, *conc.* secus, *nego.*

Felicitatem solummodo, tanquam ultimum finem, naturaliter ac necessario desideramus. Desideria vero particularium bonorum, quæquam ea appetant ut media ad hunc finem conducentia, non semper tamen naturalia sunt, i. e. juxta naturam. Si enim quandoque bonum aliquod sit vere medium ad felicitatem necessarium, ejus desiderium erit juxta naturam; secus non erit.

Jam bona de quibus sermo est in difficultate, neque felicitatem constituunt, neque sunt media ad felicitatem necessaria; quia tam illorum possessio quam illorum defectus medium ad felicitatem futuram esse potest. Quare sæpe ratio nos urget, ut quædam ex his bonis despiciamus atque adeo abjiciamus.

521. Obj. 5^o Si argumentum hoc admittatur, unum aut alterum ex his duobus admitti quoque debet: videlicet vel ipsas impiorum animas futuras felices, vel saltem eas non futuras immortales.

Primum, quia desiderium naturale non potest esse inane. Sed impii quoque homines felicitatem naturaliter desiderant. Ergo hoc desiderium non potest in illis esse inane: proinde ipsi quoque felicitatem assequuntur.

Alterum, quia destinatio ad immortalitatem consequitur

destinationem ad felicitatem. Sed impii ad felicitatem non destinantur. Ergo neque destinantur ad immortalitatem.

522. Resp. *Neg. ant. Ad. 4. Dist. maj.* Desiderium naturale non potest esse inane, ita ut natura non destinetur ad id quod desiderat, *conc.* ita ut individua non assequantur id ad quod destinantur, *subd.* si ad hoc destinentur absolute, *conc.* si ad hoc destinentur conditionate, *nego.*

Conc. min. Dist. 4 cons. juxta distinctionem majoris et *neg. 2 cons.*

Ad 2. *Dist. maj.* Destinatio ad immortalitatem consequitur destinationem ad felicitatem; nempe destinationem ad capacitatem felicitatis, *conc.* ad ejusdem assecutionem, *nego.*

Contradist. min. Impii ad felicitatem non destinantur; i. e. non destinantur ad hoc ut sint capaces felicitatis, *nego*; ad assequendam felicitatem, *subd.* absolute, *conc.* conditionate, *nego.* Et *nego consequens et consequentiam.*

Immortalitas animi una est ex proprietatibus naturæ humanæ essentialibus. Quemadmodum igitur ex eo quod homo aliquis finem suum assecuturus non erat, homo esse non desiit, nec cessavit finis iste esse ejus finis, nec ipse capacitatem ejus assequendi amisit; ita quoque non fuit immortalitate privatus.

525. Obj. 4^o Ex dictis inferendum esset, impiorum in futura vita pœnas fore æternas. Hoc autem cum Dei bonitate ac justitia pugnare videtur. Dicendum ergo, Deum, postquam aliquo tempore impiorum animæ suorum scelerum pœnas exsolverint, ad felicem vitam quæ bonis parata est, eas esse translaturum. Sed etiam hoc inconveniens videtur.

Respondendum ad hæc: de pœnarum duratione divinam in primis revelationem consulendam esse; quemadmodum ipsa est quæ de earumdem pœnarum natura nos edocere debet: nihilominus rationem ipsam humanam sibi relictam, si hac de re decernere quidpiam tentet, pœnarum æternitatem validissimo suadere, omnemque in futuro veniæ spem præcludere.

Nam 1^o qui Deo rebellat, majestatem offendit infinitam, et jus lædit infinite magnum. Peccatum igitur malitiam habet objective infinitam. Sed proportio justitiæ postulat,

ut pœna cum culpa æqualitatem aliquam habeat. Culpa ergo infinite injusta pœna infinita reparari debet. Cum autem pœna nulla infinita esse possit intensitate, superest ut duratione saltem infinita esse debeat.

2^o Peccatum natura sua malum est irreparabile et æternum. Nam homo per se non potest unquam pro infinita hac injuria Deo condigne satisfacere; nec Deus tenetur injuriam hanc offensori suo condonare. Peccatum ergo irreparabilem æternamque pœnam meretur.

3^o Vita hæc quam in terra vivimus, via quædam est et palæstra, ideo nobis attributa, ut finem, qui felicitas est, per ordinis custodiam assequi possimus: vita vero futura terminus est, in quo præmia vel pœnæ pro meritis cuique retribuendæ sunt. Morte igitur merendi tempus omnino intercitur, ac tempus incipit retributionis. Si quis ergo, culpa quam admisit, illigatus decedit, in culpa irreparabiliter maneat oportet. Æquum est igitur ut irreparabiliter a fine excidat; utque Deus qui in hac præsentī vita misericordiam clementiamque suam erga sones latissime dominari voluit, justitiæ propemodum oblitus, in vita altera justitiam suam in omnibus exercent, oblitus veluti misericordiæ: ne eos qui misericordiæ tempore abusi sunt, eosque qui illo recte sunt usi, sors eadem tandem excipiat.

4^o His adde, quod spectata hominis natura et adjunctis pœna finem habitura non foret medium ex se sufficiens ad homines in officio semper et quibusvis in adjunctis continendos. Quod et facto ipsi suo flagitiosi quique homines ostendunt, qui ut licentius vivant, hoc maxime percipiunt, ac non raro suadere sibi conantur, pœnas nempe futuræ vitæ finem habituras esse.

524. Ad ea quæ primo objecta sunt, facilis est responsio. Nam Dei bonitas nec sapientiam excludit, nec justitiam impedit. Nec Deus amore pœnæ, sed amore ordinis pœnas infligit. Ergo pœnarum æternitas Dei bonitati non opponitur. Multo minus justitiæ, justa enim pœna non durationi culpæ, sed ejus naturæ ac gravitati proportionata esse debet.

CAPUT IV

DE SENTIENDI FACULTATE

523. Disputatio postremo loco proposita est de potentiis, quarum anima humana principium est. Omissis quæ ad vitam vegetalem pertinent, potentiæ quæis vita hominis animalis et intellectualis continetur, ad triplex genus revocantur, videlicet ad facultates *cognoscendi*, *appetendi*, *exsequendi*. Facultas vero percipiendi duplex est; quarum altera est homini communis cum brutis, et vocatur *sensus*, altera illius est propria, et vocatur *intellectus* ac *ratio*. Appetitus item duplex duplicem hanc percipiendi facultatem consequitur, *sensitivus* et *intellectivus*. Utrique autem perceptivæ potentiæ conjuncta est vis conservandi ac reproducendi quæ percepta sunt. Vis quæ sensationes reproducit *phantasia* seu *memoria sensitiva* dicitur; quæ actus intelligentiæ ac rationis, *memoria intellectiva*. De his omnibus triplici disputatione disseremus: quarum 1^a erit de sensu; 2^a de intellectu; 3^a de duplici appetitu, ac de facultate exsequendi, quæ est appetitus instrumentum.

Quod ad primum caput attinet, de quatuor erit quæstio: 1^o de sensu intimo; 2^o de sensu externo; 3^o de sensationis objecto; 4^o de phantasia.

ARTICULUS I. DE SENSU INTIMO

Propositio I

326. *Sensus intimus non solas subjecti affectiones, sed ipsum quoque subjectum attingit.*

Etenim sensus intimus affectiones attingit subjecti, ut sunt in re ante quamvis mentis operationem. Sensus enim intimus officium mentis omne antecedit. Atqui ante

omnem mentis operationem, affectiones sunt concretæ, non abstractæ, nec distinctæ a subjecto. Non est enim in rerum natura hinc v. g. dolor aut cogitatio sine substantia, inde substantia a suis affectionibus præcisa, quemadmodum in statu ideali fit per mentis abstractionem; sed est tantummodo dolens aut cogitans. Ergo sensus intimus concretum hoc ipsum, *dolens* aut *cogitans*, attingit, videlicet modificationem una cum subjecto, tanquam quid unum.

Propositio II

527. *Sensus actualis suiipsius cujuscumque affectionis sensum præcedit.*

Nam si anima ab aliqua affectione excitari posset ad sentiendam seipsam, proculdubio affectionem illam experiiri deberet ut suam. Atqui si anima ante omnem affectionem non sentit se, nullam affectionem experiiri potest ut suam. Quare enim anima aliquam affectionem experitur ut suam? Profecto quia illam experitur in se, quia sentit se per illam immutari. Quomodo vero sentire posset aliquid in se, nisi prius sentiret se? quomodo posset sentire se mutari, nisi et quum mutatur, et antequam mutaretur, adesset sibi? Ergo si anima ante omnem affectionem se non sentit, a nulla affectione excitari potest ad seipsam sentiendam.

Propositio III

528. *Anima sentit perenniter suam in corpore, quod ipsa informat, præsentiam.*

Nam 1^o Si seipsam anima sentit, necesse est ut simul sentiat statum in quo est. Nunc autem est corpori intime conjuncta, atque ita conjuncta, ut unam cum corpore naturam constituat (284). Oportet ergo animam sentire se corpori conjunctam, et unum quid cum illo constituentem.

2^o Illipsum experientia probat. Nemo enim est qui se extensum non sentiat; nemo est qui proprium subjectum sentire unquam potuerit partibus carens. Atqui si anima

se solam sentiret, extensionem in se sentire non posset. Si ergo anima extensum perenniter sentit, non se solam, sed se in corpore, et cum corpore sentit.

529. Notanda. 1^o Quum anima determinatum aliquem essendi modum semper obtineat, nunquam potest se ipsam sentire, quin aliquam simul affectionem sui sentiat.

2^o Sensus quem anima sui corporis habet, non differt quoad rem ab eo interiori sensu, quem Aristoteles sensum communem appellat, quia est *communis radix et principium exteriorum sensuum*. Ideo enim rerum externarum impressiones sentire possumus, quia perpetuo sentimus organa, in quibus impressiones excipiuntur.

3^o Anima immediate sentit se in corpore quod informat; videlicet in toto nervo systemate (279). Ceteras vero substantias humani corporis constitutivas, ut v. gr. ossa, sanguinem, adipem, sentit ad modum exteriorum corporum, quatenus nervos premunt, vellicant, contingunt utcumquo.

4^o Cum se et corpus anima sentiat, non tamen se ut agentem et corpus ut actionis subjectum sentit, aut vice-versa; imo se et corpus non ut duo sentit, sed per modum unius; sentit videlicet extensum, quo secundum suam virtutem ipsa extenditur. Hoc autem liquet ex eo, quod nemo est inter mortales, qui solo sensu animam a corpore distinguere possit. Unde communis loquendi usus unica illa voce, *ego*, et anima et corpus designat.

ARTICULUS II. DE SENSU EXTERNO

530. Plato et Cartesius existimarunt sensationem esse operationem solius animæ propriam. Juxta hos immutationes seu motus, quos externa objecta in corpore perficiunt, mera sunt sensationum occasio. Sensatio vero in eo continetur, quod anima hos motus percipit, atque hoc ipso corpus externum, quod harum motionum causa est, sibi representat. Hanc opinionem refutandam ducimus.

Propositio I

551. *Non anima sola, sed compositum ex anima et corpore facultatis sentiendi subjectum est.*

Etenim 4^o esto animam percipere posse motum in corpore quod inhabitat, excitatum. Percipiet profecto nervorum seu fluidi nervei vibrationes; at objectum a quo nervi moti sunt, nullatenus percipiet. Poterit ad summum, hoc motu percepto, ex effectu ratiocinando ad causam ascendere, atque concludere secum ipsa, eum quoque motum aliquam causam habere. Sed in primis quænam sit hujusmodi causa, et qualis sit, cognoscere ipsa non poterit. Ac præterea aliud est objecti alicujus existentiam per ratiocinium inferre; aliud, objectum percipere, atque eo modo percipere quo in sensatione exhibetur.

2^o Sensitiva perceptio requirit subjectum extensum; nam extensio repræsentari nequit concrete ac materialiter, nisi in subjecto extenso: sed simul requirit subjectum quod totam simul extensionem repræsentatione una et indivisibili attingat, ut alibi dictum est (262, 4^o). Atqui subjectum hujusmodi nec anima est, nec corpus: non anima, quia anima extensa non est; non corpus, quia corpus non est aptum nisi ad hoc, ut secundum varias sui partes varias extensi partes attingat. Corpus autem anima informatum, et extensum est, et totam extensionem una et indivisibili repræsentatione percipere potest; anima enim informans tota est in toto corpore et tota in singulis ejus partibus. Ergo solummodo corpus anima informatum est subjectum idoneum sensitivæ perceptionis.

552. Externa sentiendi facultas in quinque peculiare seusus dividitur. Quorum subjectum sunt animata organa iis attributa (L. 194). Horum autem *sensuum diversa irritabilitas non ab anima dependet, sed ab organis et a nervis*. Id enim quod anima de suo confert ad sensitivam facultatem, semper idem est, nempe sensus sui (529, 2^o). Diversitas igitur omnis oriri nequit, nisi ex eo quod confert corpus. Facile vero concipitur, unum aliquid organum aptum esse posse ad hoc, ut a certa quadam vi immutetur, reliqua vera non ita.

Propositio II

553. *Ad sentiendi actum requiritur objecti in organum impressio; at sensatio non hujus impressionis receptione, sed operatione aliqua eam consequente absolvitur.*

Probatur 4^a pars. Cognitio omnis in eo est, ut res cognita sit in cognoscente. Hoc omnes intelligunt cognitionis nomine, non quod cognoscens ad rem cognitam trahatur, sed quod eam ad se trahat; id quod exprimentur vocos illæ *apprehendere, percipere, capere, tenere, habere aliquid in mente, incidere, venire, defixam esse rem in mente, aut a mente dilabi*, et similes, quibus omnes homines perpetuo utuntur. Liquet autem, res externas in cognoscente esse non posse secundum suum esse reale ac materiale. Superest ergo ut sint in ipso secundum aliquam sui similitudinem.

Jam sensatio est cognitio quædam; per sensationes enim, quomodocumque demum hoc fiat, rerum externarum notitiam adquirimus. Ergo sensationis natura requirit, ut res per eam cognita sit in sensu cognoscente per aliquam sui similitudinem. Hujusmodi autem similitudo est objecti in organum animatum impressio. Effectus enim suæ causæ aliquo modo similis est; ac proinde licet impressionem hanc veterum vocabulo *speciem impressam* appellare. Patet igitur, ad sentiendi actum objecti in organum impressionem requiri; id quod ceteroqui per experimentales scientias manifestum est.

554. Probatur 2^a pars. Si sensatio sita esset in sola speciei receptione, esset solummodo passio sensus, et actio objecti. Proinde non foret actio immanens et vitalis; actio enim hujusmodi a principio intrinseco dimanet, et in eodem a quo oritur subjecto recipiatur necesse est. Atqui sensatio et est, et ab omnibus habetur actio viventis propria, non actio rerum externarum. Ergo.

Hæc vero operatio qua sensatio absolvitur, videtur esse reactio animali cerebri, qua fluidum nerveum in sensoria refunditur.

ARTICULUS III. DE SENSATIONIS OBJECTO

355. De sensationis objecto binæ sunt definiendæ quæstiones apud recentiores philosophos celebres : 1^a an sensibilis cognitionis objectum, videlicet an id quod per sentiendi actum cognoscitur, sint impressiones organi seu species a corporeis objectis receptæ, an vero ipsa corporea objecta; 2^a an omnes sensus objectum a subjecto discretum exhibeant.

Propositio I.

356. *Sensibilis cognitionis objectum non sunt species sensibus impressæ, sed sensibiles corporum qualitates a quibus illæ imprimuntur. Has tamen qualitates sensus cognoscunt per species.*

Prob. 1^a pars. Voces illæ : *videre, tangere*, et similes, in communi sermone actus sentiendi exhibent. Atqui nemo dicit se videre retinæ motum a luminis radiis excitatum, aut se tangere pressionem proprii corporis ex alterius corporis resistantia; sed dicunt omnes se videre lumen aut objectum luminosum, se tangere corpus externum resistens, et generatim se sentire id quod sensus afficit. Ergo id in quod actus sentiendi fertur, non est propria passio, sed objectum agens. Falso quidem dictum est a quibusdam, voces illas : *color, sonus, durities, dulcedo* et ceteras, quibus significamus ea quæ sentiendo cognoscimus, sentiendi actum significare. Sed non minus falsum est, iis vocibus significari passiones organi, seu species quibus actus sentiendi determinatur.

357. Probatur 2^a pars. Objecti perceptio pro diverso organorum statu ac dispositione diversa est. Diversa est item sensatio pro varia objecti distantia et positione, ac medii natura (L. 206, 207). Hæc experimento cuique proprio, et ex sensuum, ut aiunt, illusionibus notissima sunt. Cur autem hæc diversitas habetur, nisi quia sive ex diverso organorum statu, sive ex diversis objecti adjunctis diversimode sensus afficitur? Liquet ergo, objectum sensu non percipi, nisi per speciem ab eo impressam.

558. Ex dictis hæc colliges :

1^o Sensatio recte ita describi potest : *actus quo animal objectum externum cognoscit per impressionem ab eo receptam.*

2^o Species sunt medium quo sensus objecta sua percipiunt, non vero medium *in quo* ea percipiunt. Si quis enim hoc postremum diceret, is assereret, id quod modo improbatum est, sensum directe percipere speciem, in eaque, tanquam in quadam imagine, objectum apprehendere.

5^o Quæstio illa apud ideologos celeberrima *de ponte*, videlicet quo pacto in sensationibus mens transeat a suis affectionibus ad objecta realia (282), non inutiliter modo proponitur, sed perperam. Est enim plane falsum id quod hæc quæstio supponit, in cognitione haberi transitum a subjecto ad objectum. Si enim pontem ullum quærere necesse est, quæri non debet ad hoc, ut subjectum transeat ad objectum, sed potius ad hoc ut objectum in subjectum introeat (553). Pons autem hujusmodi est sensus, in quem objectum ingreditur per speciem quam ipsi actione sua imprimit.

559. Contra secundam assertionis supra positæ partem objicitur ; 4^o Si in sensatione visus imago colorum in retina pingitur, plerique mortalium eam se recipere prorsus ignorant. Nequeant igitur per eam res apprehendere.

2^o Etsi daretur, inter impressiones organicas et sensuum objecta similitudinem aliquam esse, adhuc tamen anima per hasce objectorum imagines objecta percipere non posset. Ad hoc enim ut per imaginem in rei quam illa repræsentat, cognitionem veniamus, cognoscere oportet imaginem ut objecti imaginem, nempe ut objecto conformem ; quod quidem cognosci nequit, nisi prius cognoscatur objectum.

540. Resp. ad 1. *Transeat ant. et dist. cons.* Nequeunt homines res apprehendere per imaginem in retina depictam, tanquam per medium *in quo* res cognoscatur, *conc.* tanquam per medium *quo* cognoscatur, *nego* (558 2^o).

Ilac eadem distinctione dissolvitur 2^a objectio. Certe enim quum in imagine res aliqua solo obtutu percipienda est, oportet, ut et imaginem et rem cognoscamus, et utriusque similitudo sit nobis comperta. At quum imago est tantummodo principium quod cognoscentem ad actum determinat, nulla hujusmodi cognitio prævia requiritur.

541. Contra primam quoque ejusdem assertionis partem objicitur:

1^o Oculus immediate non videt nisi radios ab objecto diffusos; hi enim retinam percussunt. Sed radii deferunt ad oculum objecti imaginem. Ergo.

2^o Videtur negari non posse nos affectiones nostras in sensatione percipere. Nam unusquisque sibi conscius est, se videre, se audire; et ita de reliquis.

542. Resp. ad 1. *Conc. maj. dist. min.* Radii sunt imago objecti oculorum proprii et immediati, *nego*, sunt imago objecti proprii sed mediati, *transeat*. Proprium visus objectum sunt colores. Colores autem sunt motus vibratorii ætheris, qui uniformiter quaquaversus diffunditur, ac denique retinam immediate afficit. Radii igitur non sunt imago objecti immediati oculorum, sed immediatum eorumdem objectum. Undæ vero ætheris quæ retinam non tangunt, ac primæ quoque undæ quæ in corpore et a corpore gignuntur, sunt objectum oculorum mediatum; quod tamen in omnibus cum objecto immediato convenit, ac solo numero ab eo distinguitur.

Ad 2. *Dist.* In sensatione nos affectionem perceptionemque nostram experimur sensu interno, cujus objectum est ipse sentiendi actus, *conc.* eas percipimus ut objectum per ipsum sentiendi actum, *nego*. Utiq; conscii sumus nos v. gr. videre, non tamen per actum visionis, sed per sensum intimum, qui omnes actus comitatur ac revelat subjecto.

Propositio II

545. *Tactus certe est discretivus objecti a subjecto, non tamen solus, sed etiam visus. Reliqui vero sensus, quanquam ipsi quoque suum objectum cognoscant, non tamen ipsum a subjecto per se clare discernunt.*

Probatur 1^a pars de tactu.

Subjectum sentiens per tactum experitur extensum resistens ei parti proprii corporis, qua ipsum tangit, puta manui vel pedi. Sed extensum resistens subjecto tangenti, ei se offert ut distinctum a tangente, i. e. ut aliquid objectivum. Ergo tactus est ex se vere discretivus subjecti ab objecto.

344. Prob. 2^a pars de visu.

Visus objectum suum proprium, i. e. colores, percipere nequit, quin simul extensionem percipiat, et primo quidem superficies, deinde vero accedente motu, etiam volumen ac distantiam. Sed extensionem colorum quos videt, percipit ut a subjecto distinctam.

Etenim quum oculus motu mediante volumen percipit et distantiam, non potest non agnoscere, extensionem quam percipit, a subjecto sentiente esse distinctam. Duplex enim extensum oculis percipimus: alterum est solidum unum, nobis perpetuo præsens, a quo nos, etsi velimus, separare nosmetipsos non possumus, quodque interno sensu ad nos pertinere experimur (328); alterum vero in quo varia solida sunt, eaque semper variabilia, etiam ad voluntatis nutum, ac magis minusve distantia, ad quæ omnia sensus ille internus sese non porrigit. Ergo primum illud extensum ut nostrum, hoc alterum ut a nobis distinctum visus exhibet.

345. Probatur 5^a pars propositionis de reliquis sensibus.

Quod reliqui quoque sensus non subjecti affectiones sed objectum directe cognoscant, res est ex dictis (356) manifesta. Sed aliud est quod hi sensus suum objectum cognoscant, aliud quod objectum percipiant a subjecto distinctum. Jam distinctionem hanc hi sensus non videntur per se clare cognoscere. Actio enim objecti, quam saporem aut odorem dicimus, si a tactu eam comitante præscindas, adeo est dissimulata ac latens, ut ab interna quadam causa videri possit producta. At quoniam hæ sensationes solitariae non sunt, sed cum visus ac tactus sensationibus in uno eodemque interno sensu conjunctæ, brevi ac facile ipsæ quoque discretivæ fiunt.

346. Ex dictis inferes 1^o esse generatim falsum, quod quidam philosophi opinati sunt, discretionem subjecti ab objecto per sensus nullam fieri, sed ab intellectu post experientiam per ratiocinium inferri: atque hinc sensationes haberi ut *cognitiones* non posse. Id quod ex eo quoque falsum apparet, quod non infantes solummodo, sed etiam bruta objecta externa a seipsis se discernere, perpetuo demonstrant.

2^o Multo magis falsum esse quod Kant docuit, intuitio-

nes sensiles ex conjunctione sensationum cum formis subjectivis spatii ac temporis effici. In primis enim sensationes ex se objectorum sunt perceptiones; quædam autem ex iis objectum a subjecto discretum natura sua exhibent; ac cum iis reliquæ. Præterea quis non videat, quam absurde dicatur, sensationes per elementum subjectivum objectivas fieri? Spatium enim est conditio ac forma subjectiva sensus; corpora autem in spatio apparere debent. Ergo in subjecto, non a subjecto discreta, appareant necesse est.

ARTICULUS IV. DE IMAGINATIONE AC MEMORIA SENSITIVA

547. Ut experientia patet, nōs possumus a) sensationes olim habitas, et quasi latenter retentas, in nobis reproducere: b) componere ex his reproductis sensationibus varia objecta, quæ sensu nunquam percipimus: c) recognoscere sensationes reproductas ut olim a nobis habitas.

Jam facultatem reproducendi et componendi, *imaginationem* seu *phantasiam* appellare solemus: quanquam quidam philosophi facultatem reproducendi phantasiam, facultatem vero componendi imaginationem proprio nomine appellent. Imagines vero quas uno modo aut altero rebus absentibus fingimus, *phantasmata* nuncupamus.

Facultatem reproducendi simul ac recognoscendi dicimus *memoriam*.

548. Lex phantasticæ reproductionis est lex *associationis*; videlicet: sensatio præsens vel reproducta restaurat præteritas sensationes, quibus nexu aliquo conjuncta est.

549. Nexus autem iste potest esse *objectivus* et *subjectivus*. Objectivus est *relatio aliqua quam inter se habent objecta sensibilia*; v. gr. similitudo, oppositio, causalitas, loci propinquitas, simultaneitas vel successio. Subjectivus est *relatio inter sensationes quibus objecta nobis representata sunt*; ut quum sensationes fuerint simultaneæ, aut sibi succedentes, vel in similibus aut in oppositis adjunctis habitæ sunt, vel similes aut oppositos effectus produxerunt.

Propositio I

550. *Sensationis reproductæ sedes est organum animatum; ac verisimiliter illud in quo primo habita est.*

Primum indubium est ex eo quod sensilis repræsentatio extensum subjectum postulat. Ut ergo sensatio est in organo animato, ita quoque ejus simulacrum eandem sedem habeat oportet.

Alterum inferri posse videtur ex similitudine simulacri cum reali sensatione. Deinde etiam ex intimo sensu. Visibilia enim quæ imaginamur, videmur oculis percipere, et sonos auribus, et lingua sapes, itemque stomachi v. gr. dolorem in stomacho reproduci sentimus. Demum ex identitate effectuum. Quum enim v. gr. acrem imaginamur saporem, segregari incipit saliva, eodem fore modo ac quum gustatio realis est.

551. *Causa reproductionis efficiens ex pluribus coalescere videtur. Primo quidem supponenda est dispositio quædam seu habitus a sensitiva affectione tum in organo sensus, tum in cerebro relictus ad eandem affectionem instaurandam. Est enim omnino inverisimile manere actu in cerebri fibrillis, seu motus a sensationibus excitos, seu materialia quædam rerum perceptarum vestigia. Huic dispositioni accedit motus fluidi nervi in cerebro inchoatus, qui dispositionem illam ad actum reducit. Atque hinc est, quod cerebrum imaginationis organum communiter existimatur. Demum id quod hanc cerebri actionem determinat, est præcedens aliqua sensatio aut imaginatio, ut eruitur ex associationis lege (348).*

Propositio II

552. *Memoria sensitiva nihil aliud esse videtur, quam sensus internus simultaneus sensationis præsentis et phantasmatis ejus vi reproducti una cum adjunctis sensationis præteritæ.*

Si enim una cum præsentis sensatione phantasma rei ejusdem, quam sensus percipit, reviviscat, et cum eo adjuncta perceptionis præteritæ quæ nunc objectum idem non

amplius circumstant, sensus intimus experietur simul sensationem præsentem per sensum hauriri, phantasma vero reproductum per sensum non hauriri. Non existimo facultates mere sensitivas ulterius procedere posse; in facultatibus enim sensitivi ordinis nec comparatio ulla nec comparativa apprehensio potest habere locum: sed illa duplex consociata cognitio sufficit ut dici possit, subjectum sentiens aliquo modo distinguere a præsentem id quod præteritum est. Neque aliquid aliud necessarium est, ut explicentur eæ brutorum actiones, quæ præteritarum rerum memoriam requirere videntur.

Propositio III

355. *Reproductio phantastica in homine quandoque naturalis est, quandoque voluntaria.*

Naturalis est, quum phantasmata sensationibus, vel aliis phantasmatis succedunt ex mera associationis lege. Voluntaria est, quum voluntatis influxu pertentatur prope modum imaginatio, ut repræsentationem quam illa cupit, emittat. Fit autem hoc intellectu dirigente, et ostendente vi ratiocinii ea phantasmata, quibus possibile est phantasma quæsitum associatione esse connexum. Reproductionem hujusmodi veteres *reminiscentiam* appellabant; quæ quidem in brutis animalibus, ut per se patet, esse nequit.

CAPUT V

DE HUMANO INTELLECTU

554. Dicendum modo de humano intellectu ac de ejus operationibus. Quem in finem consideranda sunt octo: 1^o an intellectus a sensu distinguatur; negant enim hoc qui *sensistæ* dicuntur; 2^o quodnam sit ejus objectum; 3^o an ideas in Deo intueamur; 4^o an sint ideæ innatæ; 5^o an ideæ per verbum externum communicentur; 6^o an

abstrahantur a sensilibus repræsentationibus ; 7° quomodo intellectus noster immaterialia cognoscat ; 8° quid sit iudicium.

ARTICULUS I. QUID SIT INTELLECTUS

Propositio

555. *Præter sentiendi facultatem, est in anima humana superior quædam cognoscendi facultas, quam intellectum dicimus.*

Nam 4° si non esset in homine superior hæc cognoscendi facultas, humana cognitio a brutorum cognitione, ac proinde homo a brutis non differret secundum essentiam, at solummodo secundum majorem vel minorem sensus perfectionem. Atqui conclusio hæc non modo humanæ dignitati et communi sensui, sed obviæ quoque experientiæ repugnat. Homo enim ea cognoscendi vi pollet, qua sensibilia omnia transcendit, universalia apprehendit, in se suosque actus reflectitur, ad suos fines nova semper media excogitat, interque opposita bona quasi iudex eligit. Nihil autem horum in brutis perspicitur. Humana ergo cognitio a brutorum cognitione ipsa differt essentia.

2° Sensus est facultas quæ per organi corporei affectiones exercetur. In homine vero est facultas quædam cognoscendi, quæ per corporeum organum nec exercetur, nec exerceri potest, ut alio in loco demonstratum est (264). Ergo.

5° Ideæ quas intellectui tribuimus, tantum abest ut sint sensiles ipsæ repræsentationes, aut earum reproductiones, ut imo ab iis infinite differant. Etenim

a) Repræsentationes sensiles sunt tantummodo de rebus singularibus : singularia enim sunt quæ sensus afficiunt ; intellectuales autem ideæ sunt de universalibus rationibus, non v. gr. de hoc aut de illo homine, sed de ratione hominis propria, de eo quod est esse hominem.

b) Repræsentationes sensiles sunt semper de rebus corporeis ; nam qualitates sensibiles, quæ sunt propria sensuum objecta, sunt tantummodo in rebus corporeis. Ideæ autem vel sunt de rebus incorporeis quæ nihil habent cum sensibilibus qualitatibus commune, vel si de rebus

corporeis, eas repræsentant sine iis conditionibus, quæ a repræsentatione sensili aut imaginaria sunt prorsus inseparabiles. Idea enim v. gr. trianguli ab ejus magnitudine et ab omni determinata laterum inclinatione præscindit, unde fit ut triangulis quibuscumque conveniat.

Necesse est igitur concludere, sensum ab intellectu essentialiter differre.

4^o Sine facultate cognoscendi quæ sensum excedat, nulla veritas necessaria cognosci posset; ac propterea nullum principium a priori possibile foret, nec certitudini proprie dictæ ullus superesset locus. Ratio in promptu est. Sensus enim singularia percipiunt. Singularia autem et quæcumque eis insunt, contingentia sunt. In contingentibus autem necessarium reperiri nequit.

5^o Denique juris et officii notiones nec per sensus adquirere, nec sensibilia elementa utcumque conjungendo aut separando formare possumus. Sensationes enim obligationis moralis conceptum nullo pacto continent; ac solum inducere possunt ad prosequendum id quod voluptatem affert, et ad vitandum quod doloris molestiæ causam esse perspeximus. Ens itaque mere sensitivum, juris et officii notiones habere nequit; ac proinde nec moralitatis et obligationis, nec meriti vel demeriti, nec præmii vel pænæ capax est. Atqui homo eas notiones habet, et est ens moralitatis capax. Ergo non sola cognitione sensitiva gaudet.

536. Hinc 4^o plane errat Lockius, quum omnes humanæ mentis ideas revocat ad eas repræsentationes, quæ sensui sive externo sive interno objiciuntur, et ad eas quas horum sensilium elementorum compositione, juxta-positione, abstractione efformamus.

2^o Multo turpius hallucinatur Condillachius, in eo quod asserit, omnes animæ facultates ad sensationem transformatam reduci. Quod quam sit inconsiderate dictum vel ex eo manifestum est, quod ut ponamus esse in anima sensationes transformatas, præter sensationes et sentiendi facultatem, necessario tribuenda animæ est vis aliqua activa a sensu ac sensationibus diversa, quæ in sensationes agat, easque transformet. Quam vero falsa sit Condillachii theoria facile deduces, et ex iis quæ diximus, et ex consideratione apprehensionis comparativæ, judicii ac ratiocinii, quæ evidenter sunt quiddam a sensatione omnino diversum.

ARTICULUS II. DE INTELLECTUS OBJECTO

Propositio I

557. *Essentia rerum est objectum formale intellectus, nempe id quod in rebus intellectus apprehendit.*

Notandum 1^o Essentiam apprehendi posse duplici idea, concreta et abstracta (L. 45). Essentia quæ intellectus objectum dicitur, est essentia concepta non per ideam abstractam, sed per concretam; non humanitas v. gr sed homo. Potest tamen intellectus, postquam essentiam hoc modo concepit, eam abstracte concipere, ut formam quamdam metaphysicam (402, a).

2^o Essentiam esse humani intellectus objectum, prouti exprimitur per rationes illas communissimas et maxime indeterminatas, *ens, unum, bonum, subjectum* et similes, vel solas, ut primo contingit, vel per qualitatam et effectuum cognitionem coarctatas, id quod fit experientia crescente.

558. Probatur propositio.

1^o Res a diversis potentiis diversimode cognoscuntur. Attingi autem res cognitione possunt vel *relative*, i. e. quatenus afficiunt immutantque ipsum cognoscens, vel *absolute*, quatenus videlicet sunt aliquid in seipsis. Jam sensus, ut supra dictum est (555), res percipiunt, prouti hæc diversis modis organa afficiunt; visus enim videt colores, quatenus retinam movent, aures audiunt sonos, secundum quod nervum acousticum agitant, idemque dicito de reliquis. Intellectus vero non afficitur ab objectis. Percipit enim corpora quæ in ipsum agere non possunt, cum sit inorganica facultas (264). Igitur non relative res cognoscit; superest ergo ut eas cognoscat absolute, nempe secundum id quod sunt.

2^o Hoc ipsum inferri potest ex intellectus præ sensu præstantia. Quo enim cognoscendi potentia nobilior est, eo profundius ac perfectius res apprehendat oportet. Sensus autem unam aut alteram qualitatem percipiunt, prouti qualitates sub experientiam cujusque sensus cadere possunt; imaginatio quæ superior facultas est, non unam

tantum qualitatem, sed omnes, tam divisim quam conjunctim, amplectitur. Intellectus autem cum sit his omnibus altior, non qualitates rerum, quæ sunt extimæ illis, et ut ita dicam earum cortex, sed quod rebus intimum est percipiat oportet. Id autem quod est rebus intimum, est essentia; quæ qualitatum omnium est radix atque subjectum. Hanc ergo intellectus percipere dicendus est. Atque hinc intellectus nomen sortitur : *intelligere* enim est quasi *intus legere*.

3^o Manifestum cuique est, nos in rebus rationem *entis* percipere; quam quidem non sensus percipiunt, sed intellectus. Hanc autem rationem semper intelligimus, quotiescumque intellectu aliquid percipimus; quia omnes mentis conceptus hunc conceptum continent et in hunc resolvuntur. Ens autem pertinet ad rerum essentiam. Ergo.

Propositio II

559. *Omne ens est objectum intellectus materiale et adæquatum; sed objectum materiale primo ac per se illi proportionatum sunt res corporeæ.*

Primæ partis ratio est in promptu. Id omne quod est aliquid in se, id omne quod essentiam habet, ab intellectu cognosci potest, ut patet ex dictis. Omne autem ens est hujusmodi.

Probatur pars altera.

Objectum intellectui proportionatum ac proprium est illud, quod per naturalia media ei primo ac per se cognoscendum offertur. Atqui tale objectum sunt res materiales; hæ enim per sensus ei sponte offeruntur ante quodvis aliud objectum intelligenda. Nam intellectus, ceteros spiritus ac Deum cognoscit post experientiam ac per ratiocinium; seipsum vero per reflexionem in actus, quibus objecta externa intellexit. Ergo.

Propositio III

360. *Conceptus intellectus in se spectati rationem aliquam universalem natura sua semper exprimunt. Hinc ut intellectus singulare qua tale cognoscat, necesse est, ut ad sensationis seu præsentis seu revocatæ factum se convertat.*

Probatur 1^a pars; quæ quidem solummodo quantum ad conceptus singularium proprios, probatione eget. Probandum videlicet, hosce ipsos conceptus ex se universale aliquid exprimere, licet non cognitum ut universale.

Sane si intima singularitatum diversarum constitutiva, ut in Dei cognitione sunt, intellectus noster conspiciere posset, hoc quod dicimus verum non esset. Illi enim conceptus vere, et ex se, et essentialiter singularium essent proprii. Sed non ita noster intellectus singularia cognoscit; nostræ enim ideæ singulares notis aliquibus communibus, et accidentalium quorundam modorum collectione constant (L. 44). Atqui quævis hujusmodi collectio talis est ex se, et in statu pure intelligibili posita, ut pluribus individuis possibilibus conveniat. Existere enim certo loco certoque tempore, tali forma, figura, nomine, relationibus, non est profecto aliquid quod necessario uni tantum individuo possibili conveniat.

361. Concedo equidem, hæc omnia simul, si ut factum considerentur, pluribus amplius convenire non posse. Etsi enim v. gr. plura individua similia in certo quodam loco diversis temporibus existere possint, non tamen eodem tempore. Solum itaque factum cognitum ut factum est illud, quod rejectis ceteris possibilibus, quibus conceptus ex se communis applicari potest, hunc in uno tantum defigit, hypothetica necessitate. Solum ergo factum cognitum ut factum, singulare ut singulare nobis manifestare potest. Noster autem intellectus a facto præscindit, quia experientiæ limites transcendens, solam objecti quod ipsi offertur, entitatem intelligibilem naturaliter apprehendit. Ergo.

362. Hinc patet ratio 2 partis.

Nam ut singulare, qua tale, cognoscatur, necesse est,

ut intellecta individui *entitas* ad factam reducatur. Hæc autem reductio fieri nequit nisi conversione ad sensationes. Factum enim ut factum solo sensu a nobis attingitur. Ipsa namque *sensatio* purum factum est, illudque immediate nobis præsens; res vero externæ *sensatione* exhibentur, ut facti hujus terminus et objectum.

363. Conversio porro ista est reflexio intellectus in representationes sensiles vel phantasmata, prouti per intimum sensum sunt quiddam animæ præsens. Actualis enim intimus sensus, est essentialiter factum, atque ita est factum, ut neque in statu intelligibili facti naturam exuere possit, atque ut universale quid apprehendi. Est enim natura sua fluens, ac proinde nec multiplicabilis est, nec iterabilis, etiam in eodem subjecto. Proinde representatio sensilis, quum respicitur ut hujus facti terminus, non potest non apprehendi ut factum.

Propositio IV

364. *Veritas aliter dicitur objectum intellectus apprehendentis, aliter intellectus judicantis.*

Dicitur enim objectum intellectus apprehendentis, quatenus est *terminus* in quem tendit apprehendendi actus. Nam per apprehendendi actum intellectus fit rei cognitæ conformis. Hæc autem intellectus cum re conformitas est intellectus veritas (L. 468, 4^o).

Dicitur autem veritas objectum intellectus judicantis, secundum quod est *ratio formalis*, *vi cujus* intellectus enunciabilibus sibi propositis assensum præbet. Intellectus enim ex se ad assensum non fertur, nisi veritatis evidentia pertractus (L. 270, 5^o).

ARTICULUS III. DE ONTOLOGISMO

365. Articulus præsens est adversus ontologos, quorum doctrina originem suam Malebranchio debet, ontologismi vero appellationem Giobertio. Ontologorum doctrina, neglectis iis quæ apud diversos auctores varia sunt, huc redit: Deum immediate perceptum omnis cognitionis fontem et originem esse; ideas entis simpliciter, veri, pulcri, honesti

et similes esse ipsum Ens infinitum sub diverso respectu consideratum; ideas quoque omnes quæ rerum essentiam intelligibilem exhibent, in Ente infinito immediate conspici, primo directe, deinde reflexe; directamque cognitionem perpetuam esse et indeterminatam; reflexam vero determinatam, et successive augeri, ejusque occasionem esse sensationes et vocabula. Sed talis doctrina rejicienda est.

Propositio

566. *Ontologismi theoria omnino falsa est.*

Etenim 1^o falsum est nos immediate Deum intueri.

Nam a) huic intuitioni constanter adversatur conscientiæ testimonium. Omnibus enim hominibus, ontologis ipsis minime exceptis, conscientia pernegat, se hunc intuitum in animo deprehendere, quantumlibet intimas ejusdem latebras perscrutetur. Atqui hunc maxime intuitum, si is vere in nobis esset, præ aliis omnibus internis factis, occurrere conscientiæ necesse foret: esset enim factum internum, ad solum pertinens spiritum, non compositi proprium (L. 195), illudque perpetuum, totumque ad se rapiens intellectum, atque omnis cognitionis et appetitionis elementum. Si ergo hic intuitus in intellectu esset, non posset intellectus in se rediens, ipsum non deprehendere.

b) Si Deum in seipso immediate intueremur, ipsam ejus essentiam immediate conspiceremus; id quod adeo absurdum est, ut ab ipsis ontologis negetur; qui dicunt Deum a nobis videri ut ens absolutum, ut Ens perfectissimum et infinitum, ut Ens creans finitas existentias; nequaquam tamen ipsam ejus essentiam nobis manifestari. Ast immerito ontologi hoc negant. Etenim Deus in seipso simplicissimus est: nulla penitus est in eo essentiæ ab existentia, aut attributorum vel operationum a natura distinctio, vel etiam distinctionis fundamentum. Nequit igitur in se inspectus concipi per partes: nequit in se percipi ut Ens, ut perfectum, ut necessarium, quin hoc ipso ejus essentia percipiatur. Vel itaque Deus nullo modo in seipso et immediate videtur, vel videtur ut est in se, ac secundum ipsam essentiam.

2^o Falsum æque est, *immediatam Dei visionem esse*

medium ceterarum cognitionum, ita ut in Deo cognito rerum rationes, atque æternæ veritates a nobis cognoscantur.

Nam exemplares, quæ in Deo sunt, rerum rationes videri nequeunt, nisi ipsa divina essentia prius videatur. Rationes enim hujusmodi nihil aliud in Deo sunt, quam divina essentia, prouti per res a se distinctas imitabilis est. Prius autem aliquid cognoscitur ut est in se, quam ut est per comparationem ad aliquid aliud. Atqui divina essentia ut est in se, ontologis consentientibus, nec videtur a nobis, nec videri potest. Ergo.

5^o Doctrina catholica est, Deum in se cognitum esse beatitudinis objectum : hinc ab homine mortali nullatenus immediate videri, sed solummodo cognitione abstractiva et deducta ex rebus creatis cognosci posse. Quæ sententia non modo apud Ecclesiæ Patres et in catholicis scholis communis est, sed etiam in sacris litteris non dubia habet fundamenta. Hæc autem doctrina, si vera sunt ontologorum placita, nonne esset deserenda, aut saltem limitanda multipliciter, et explicationibus, certe non obviis, interpretanda?

4^o Quemadmodum ontologi contendunt intellectum res finitas non cognoscere, nisi quatenus summum Ens cognoscit, ita quoque ratum habent, voluntatem nullum finitum bonum appetere, nisi quatenus summum bonum appetit. Ast ex hoc nonne illud consequi videtur, omnes voluntatis motus honestos esse? Recta siquidem et honesta est dilectio, qua aliquid propter Deum et in Deo diligimus. Hoc autem si semel admittatur, homo amplius peccare non potest, quia nulla actio inhonesta est amplius possibilis.

5^o Demum ontologismus ad pantheismum quoque viam complanare videtur.

Nam si res non sunt in seipsis intelligibiles, sed solum in Deo, nonne iuferre licebit, res non habere esse proprium, sed ad esse divinum pertinere? Intelligibilitas enim cum realitate convertitur.

Quid vero, si cum plurimis ontologis dicamus, ipsam *entis* ideam nihil aliud esse, quam Deum cognitum ut Ens? Hoc enim posito, concludi poterit : quum dicimus v. gr. *hominem esse ens*, non esse hoc ita intelligendum : *homo*

est aliquod ens, sed ita : homo est ipsum Ens contractum, ac certo quodam modo determinatum.

567. Aiunt ontologi 4^o Entia finita cognosci nequeunt, nisi prius Deus cognoscatur. Etenim

a) Varios entitatis gradus cognoscere non possumus, nisi per comparationem cum summa perfectione, a qua res finitæ plus minusve deficiunt.

b) Ens contingens cogitari nequit, nisi Ens quoque absolutum, a quo contingens dependet, cogitetur.

568. Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Nego.* Nam ad cognoscendum alicujus perfectionis in aliquo ente defectum, sufficit ut perfectionem quam in aliquo ente animadverto, in alio ente desiderari cognoscam. Sic v. gr. vitam organicam quam in planta admiror, in lapide non reperiō, et rursus plantam sensu quo animalia pollent, carere video. Hoc pacto agnosco hæc entia finita esse, variosque entitatis gradus distinguo.

Ad 2. *Dist.* Ens contingens cogitari nequit, nisi Ens quoque absolutum cogitetur, nempe si ens contingens cogitetur secundum quod realitatem quamdam habet, *nego*; si cogitetur ut est contingens, *subd.* nequit ut tale cogitari, nisi cogitetur aliquid aliud a quo esse acceperit, *conc.* nisi cogitetur ipsum Ens absolutum, *nego.*

Homo v. gr. cognosci potest secundum quod est homo vel animal, quin ejus contingentia aut dependentia a Deo cogitetur, ut est manifestum. Sed potest etiam cognosci secundum quod est ens contingens, quin Ens necessarium cognoscatur. Ad contingentiam enim entis alicujus cognoscendam, illud cognoscere sufficit : ens modo esse, modo non esse. Cognita vero entis contingentia, per applicationem principii causalitatis cognoscitur ejus dependentia ab aliqua causa. Ac demum ulterius ratiocinando, deprehendimus primam causam non posse esse contingentem.

569. Opp. 2^o Idea entis simpliciter, quæ est omnium prima, omniumque elementum idearum, nihil aliud est nisi ens infinitum. Ergo.

Resp. *Nego.* Ontologi quum hæc obijciunt, binos conceptus simul confundunt, conceptum scilicet *entis communis* et *entis infiniti*, qui inter se maxime differunt.

Ens enim commune, quod est idea omnium prima, est infinitum potentia (432), et quidem quoad extensionem,

quia quicquid potest esse, est aliquod ens. Ens autem infinitum est infinitum actu, et infinitum quoad suæ perfectionis amplitudinem, et est essentialiter unicum. Hinc idea Entis infiniti certam ac determinatam essentialitatem exhibet: idea vero entis in genere nullam determinatam essentialitatem repræsentat, sed est plane indeterminata.

Hinc diversa prorsus ratione ens commune et Ens infinitum dicuntur *ens simpliciter*, i. e. *ens sine addito*. Ens enim commune dicitur ens simpliciter, quia ab omni determinata perfectione præscindit, ac simul omnibus convenit; Ens vero infinitum, quia nihil habet imperfectionis, seu non-entis, nec pluribus convenire potest.

370. Opp. 5^o Qui universale videt, rem creatam non videt: ergo videt objectum increatum nempe Deum.

2^o Nisi dicamus unam esse rationem quæ omnes intelligentias illuminat, nunquam certi esse possemus, omnes homines easdem veritates videre, quas videt unusquisque.

571. Resp. Ad 4. *Dist.* Qui videt universale, rem creatam non videt; i. e. videt rem idealem, quæ nec existit ut videtur, nec creari potest, *conc.* videt aliquid reale et increatum, *subd.* si videat ideas æternas Dei, *conc.* si percipiat universale, quod est in rebus, vel si in universalem ideam acquisitam reflexione redeat, *nego.* Universale enim in rebus, quod fundamentale dicunt (L. 225, 2^o), reale est, licet in rebus universalitatis formam non habeat: quatenus autem reale est, creatum est. Itemque idea universalis quæ in mente existit, aliquid reale est, et aliquid creatum, scilicet spiritus creati modificatio, activitate ejusdem producta: objectum autem quod ab ipsa repræsentatur, reale non est, nec creari potest, sed solum mente abstrahi.

572. Ad 2. quod attinet, hæ distinctiones adhibeantur.

a) *Una est ratio quæ omnes intelligentias illuminat*, nempe causaliter, i. e. sui similitudinem omnibus communicando, seu lumen intelligentiæ nostræ creando, *conc.* præfulgens singulis, ut objectum et lumen increatum, *nego.*

b) *Omnes homines easdem veritates vident, quas videt unusquisque*; h. e. easdem veritates expressas in una eademque ratione superiori, *nego*; easdem veritates, ut ex-

primendas ab omnibus, qui in rebus easdem rationes apprehendant quas nos apprehendimus, *conc.*

c) Hinc patet, cur certi simus, *omnes homines easdem veritates videre, quas nos videmus.* Et enim certi sumus, nos percipere res rerumque relationes, prouti sunt objective: sentimus item, evidentia relationum perceptarum nos cogi ad sic et non aliter judicandum. Hinc concludimus fieri non posse, ut quicumque sit intelligendi capax, ea quæ nos percipimus, non percipiat, et ad eadem quæ nos proferimus judicia proferenda, evidentia eadem non cogatur.

ARTICULUS IV. DE IDEIS INNATIS

375. Nunc agendum est de ideis innatis, quæ ad explicandas cognitionum nostrarum origines, a non paucis adhibitæ sunt, sed diversimode a variis intellectæ.

Plato sensit ideas a summa mente humanis animis primo inditas, quum dein hæ corporibus conjunctæ sunt, obscuratas esse, atque a sensationibus iterum excitari. Cartesius innatas vocavit ideas quæ a sola cogitandi facultate procederent. At complures ejus sectatores censuerunt, impressas esse a Creatore hominum mentibus eas omnes ideas, ex quibus prima ac notissima principia eruuntur, et præterea ideam Dei. Denique, ut nihil dicam de Leibnitzio (287, 5^o) et Kantio (L. 216, 2^o), Rosminius docuit unicam esse ideam innatam, nempe ideam entis possibilis et universalis, quæ accedentibus sensationibus multipliciter limitetur, et in reliquis omnes ideas transformetur.

Propositio I

374. *Ideæ non sunt in humana mente insertæ ac latentes, ut docuit Plato.*

1^o Quia hæc opinio duabus falsis hypothesis tota innititur. Prima est animas corporibus præexistisse et unionem animæ cum corpore pœnalem esse. Altera, immediatum nostri intellectus objectum esse ideas divinas, atque adeo, juxta platonicos quosdam, ideas immateriales separatas. Utraque hypothesis supra rejecta est (297, 366).

2^o Animæ rationalis cum corpore conjunctio naturalis est, ac pulcherrimum naturæ opus. Est ergo in animæ rationalis bonum, non in detrimentum. In magnum autem ejus detrimentum cederet conjunctio ista, si naturalem ejus cognitionem non modo non promoveret, verum etiam impediret ac pene aboleret, ut a Platone ponitur.

Propositio II

375. *Nullæ sunt ideæ quæ a sola cogitandi facultate procedant.*

Nam si ponamus cogitandi facultatem esse ex se ad hasce ideas determinatam, eæ statim ab ipso suo ortu in mente vigerent. Id quod est contra experientiam. Ideæ enim quæ hoc pacto innatæ dicuntur, solum post experientiam, ac post plures alias cognitiones, in humana mente versari incipiunt. Reponet Cartesius, tunc ex habitualibus fieri actuales, et ex directis reflexas. Hoc autem quomodo probabit?

Deinde nulla est necessitas, cur cuiquam ideæ hujusmodi originem assignemus; ut ex dicendis patebit.

Propositio III

376. *Nullæ sunt ideæ menti insculptæ.*

Nam 1^o præterquamquod hypothesis ista nullatenus necessaria est; quid sint illæ formæ menti impressæ, et habituali cognitione intellectæ, quin de hac cognitione sensus intimus nos monere possit; quomodo illæ consopitæ delitescant, aut quomodo deinde mens ad eas reflexe contuendas determinetur, hæc profecto omnia nescio an intelligi possint; probari vero nullatenus possunt.

2^o Eadem opinio non sufficit ad idearum originem explicandam, Ceteræ enim ideæ, quæ innatæ non sunt, si cum sensationibus, ut par est, non confundantur, quomodo, aut qua vi produci dicuntur? Sane aut a Deo, aut a mente occasione sensationis. Si dicant a Deo, dicent quod probare nullatenus possunt. Si a mente, inferemus, eadem vi mentis eas quoque ideas quæ innatæ dicuntur, produci posse.

377. Objiciunt. 1^o Humanæ menti essentialis est aliqua

actualis cogitatio. Ergo mens nec in primo existentiae suae exordio, omni cogitatione etiam habituali, destituta esse potest.

2^o Naturæ instinctu perfectam felicitatem desideramus et inquirimus. Sed perfecta felicitas in summo duntaxat bono reperiri potest. Ergo humana voluntas summum bonum, nempe Deum, naturaliter appetit. Ergo Deum naturaliter cognoscit.

378. Resp. ad 4. *Nego ant.* Aliquam enim *intellectus* actualem operationem humanæ menti essentialem esse, gratis assertitur, et falsum est. Quod si dicere solemus primum habitum principiorum intellectui naturalem esse, hoc intelligi debet non de quibusdam cognitionibus in eo impressis et latitantibus, sed de naturali dispositione ad prima principia formanda, per primitivarum idearum analysim. Solum actualis sui sensus est animo essentialis (527).

Ad 2. *Dist. maj.* Felicitatem perfectam naturaliter desideramus, i. e. desideramus ut expleantur animi tendentiæ ad bonum nobis conveniens, quodcumque illud sit, *conc.* desideramus determinatum illud objectum, in quo bonum nobis conveniens est positum, *nego.*

Conc. min. et dist. cons. Humana voluntas Deum naturaliter appetit; nempe Deus per naturale hoc desiderium hominem ad se ordinavit, *conc.* homo per hoc desiderium se ordinat ad Deum, *nego.*

Summum bonum est Deus: nos autem bonum nostrum perfectum desideramus, antequam cognoscamus, atque adeo quantumvis ignoremus hoc in Deo solo reperiri. Hoc itaque desiderium, quamvis indicio sit, Deum esse ultimum finem humanæ naturæ, non tamen a Dei cognitione ullo modo dependet nec ad Deum per se explicite tendit.

Propositio IV

379. *Rosminii systema recipi nequit.*

1^o Totum hoc systema huic innititur fundamento: ens in omni idea contineri: entis autem, si hoc abstracte spectetur, attributa propria esse universalitatem, necessitatem, infinitatem, æternitatem. Notandum hujus systematis auctorem ita de ente ideali quandoque disserere, ut difficile sit definire quid illud sit. Sed certe quomodo proprietates illæ entis in genere intelligendæ sint, deduces

ex dictis in superiore articulo. Si vero illæ ita ut par est intelligantur, nihil ex iis Rosminius conficiet. Idea enim entis idcirco in omni idea continetur, quia hæc est prima nota, quæ ab intellectu vi sibi propria in rebus deprehenditur. Cumque intellectus ens reale apprehendens, ab existentie contingentis conditionibus præscindat (560), statim intelligitur, cur ens ab eo conceptum sit ex se et in ordine ideali aliquid universale, necessarium, indefinitum, quemadmodum sunt omnes rerum essentia (18).

2º Ut alia omittam, in hoc systemate sensatio in ideam transformari dicitur, quia sensatio ens ideale determinat. Jam sensatione posita, mens, præter ideam entis possibilis quam contemplatur, vel deprehendit in ipsis objectis illud esse reale quod ipsis est proprium, vel secus. Primum dici nequit, quin totum systema funditus subruatur. Si vero dicatur alterum, jam quum affirmamus: *id quod sentio existit*, subjecto prædicatum tribuimus, non quia hoc illi convenire perspiciamus, sed ex subjectiva necessitate, ac sine fundamento: quo posito, objectiva intellectualium cognitionum realitas problematica efficitur.

ARTICULUS V. DE TRADITIONALISMO

380. Traditionalium recentissimi systematis hæc est summa: mentem humanam sibi relictam, ideas universales ac notiones abstractas sibi cudere non posse, sed egere auxilio rationis alterius, quæ et ideas universales, et veritates quæ ex his ideis efflorescunt, ei tradat atque communicet; traditionem hanc fieri mediante loquela, quæ ideas nobis præsentat ac perceptibiles facit. Rigidiores traditionales ita de mente humana sine ulla limitatione sentiunt: quidam vero traditionis hujusmodi necessitatem ad eas solas veritates, quæ ad religiosum ac moralem ordinem pertinent, coarctant.

Propositio I

381. *Primæ ideæ per verbum aut signum quodcumque arbitrarium recipi nequeunt.*

Sane 1º ideas per verbum tradi aut gigni non minus absurde dictum videtur, quam ideas fieri per sensationis

transformationem. Verbum enim auditum ex se mera sensatio est : quomodo itaque mera hæc sensatio ideas, quæ sunt quiddam a sensatione prorsus diversum, quæque nullam relationem naturalem cum vocabulis habent, in mente producit ?

2^o Verbum aut signum quodcumque, nullum subsidium intelligentiæ afferre potest, nisi mens ejus significationem intelligat. Significatio autem est nexus quidam inter signum ac rem significatam ; et in signis arbitrariis est nexus ex arbitrio institutoque hominum inductus. Quum itaque verbum in aure sonat, vel hunc nexum mens jam cognoscit, vel secus. Si non cognoscit, nunquam per signum in rei significatæ cognitionem deveniet. Si vero hunc nexum cognoscit, hunc cognoscere nequit, nisi rei significatæ ideam jam possideat, aut vi sibi propria efformet. Ergo ut verba utilia sint, supponendæ sunt in mente audientis ideæ quas illa significant : proindeque verba ideas in mente producere primo non possunt.

Propositio II

382. *Fieri nequit ut homo hominem veritatem aliquam doceat, nisi ratio discantis vi sibi propria veritatem cognoscere possit, atque adeo nisi aliquid sciat, antequam instruat.*

Probatur 4^a pars. Instructio enim hoc tantum discenti conferre potest, ut ejus rationem dirigat, ac propemodum manuducat, ad quasdam operationes successive et ordine quodam exerendas ; ut v. gr. revocet primo quasdam ideas vel adquirat, deinde ut quasdam idearum relationes percipiat, et ut quædam principia ipsi nota ad particularem aliquam materiam applicet, et exinde particulares aliquas conclusiones inferat. Pone nunc discipuli rationem non esse potentiam activam, sed mere passivam, ut ponitur a rigidis traditionalibus, quid, quæso, poterit ex instructione proficere ?

383. Prob. 2^a pars. Si prima rationis principia discipulus ignorat, ac certa non habet, conclusiones addiscere nunquam poterit. At prima principia nec addisci possunt, nec certa haberi, nisi per idearum intuitionem. In his enim

prædicatum ex ipsa subjecti notione eruitur; atque ideo evidentissima sunt ac certissima, quia prædicatum quod in iis est, de ipsa subjecti ratione esse immediate cernitur. Ergo nisi hæc principia per se addisceret mens, addiscere ea nunquam posset per disciplinam.

Propositio III

384. *Falso asseritur revelationem traditione communicatam physice necessariam esse, saltem ad ideas ac veritates, quæ ad ordinem seu religiosum seu moralem pertinent, assequendas.*

a) Etenim ad cognoscendam supremi alicujus Numinis existentiam, hæc tria requiruntur ac sufficiunt: ideæ primitivæ entis, causæ et effectus, et ex his principium causalitatis; deinde hujus mundi conspectus; ac demum impulsus aliquis ad reflectendum in ea quæ videntur, et ad eorum causam requirendam. Atqui ad hæc omnia rationem suis viribus pervenire posse negari nequit, nisi ab eo qui vim omnem rationi denegaverit. Ergo negari nequit, rationem, postquam se satis explicuerit, Dei existentiam posse cognoscere.

b) Idem dicendum de primis ac fundamentalibus moralis ordinis idejs ac veritatibus. Ad eas assequendas veritates quæ deductione plus minusve implexa ex hisce primis inferuntur, profecto quilibet homo per se non sufficit; multo minus ad perfectam moralis legis cognitionem assequendam. Sed ad prima moralitatis principia cognoscenda cujuslibet hominis ratio, quæ primis idejs primisque theoreticis principiis ditata sit, sufficere dicenda est.

Idea enim ordinis una est ex primitivis idejs: hanc ergo ideam ratio assequi potest, fatentibus adversariis. Potest ergo ratio entium ordinem cognoscere; v. gr. parentes esse supra se; ceteros homines natura sibi æquales; rerum omnium auctorem supra omnes. Quod si ordinem entium cognoscit, cognoscet quoque, saltem ubi deliberandum ipsi sit quid agere oporteat, cognoscet, inquam, actiones quasdam juxta ordinem, quasdam contra illum esse. Ad plures enim cognitiones hujusmodi satis est facilis aliqua idearum comparatio, et ratiocinandi facultas. Quum autem cognoverit,

aliquid juxta ordinem, aliquid contra esse, nil facilius, nil magis in promptu positum deductione illa : ordinem a se in suis actionibus servandum esse. Sane plurimæ rerum naturalium theoreticæ cognitiones primis moralibus cognitionibus sunt longe difficiliore. Si itaque ad illas rationem pertingere posse adversarii fatentur, multo magis fateri debent, has extra ejus naturalis activitatis limites non esse constitutas.

Propositio IV

385. *Vocabula quanquam ad intellectus perfectionem promovendam sint summopere utilia, quod nemo negat, non sunt tamen ad cogitandum adminicula absolute necessaria.*

Nam 1^o intellectus noster multarum rerum, quas sive sensu usurpavimus, sive imaginatione composuimus, ideas habet claras oppido atque distinctas : iisque in suis operationibus utitur, quin tamen vocabula, quibus illæ significantur, cognoverimus.

2^o Sæpe recordamur quorundam conceptuum, quin verba iis significandis attributa memoria retineamus. Unde fit, ut circumlocutiones aliquas quærere debeamus, quum ii conceptus manifestandi sunt.

3^o Quandoque adeo velox ac fulguri similis est apprehensio nostra, ut impossibile sit, eam vocabulorum seriem, quæ ad illam exprimendam in imaginatione ordinate reproducenda fuisset, adeo celeriter fuisse productam. Ita contingit v. gr. quum aliquam ratiocinationem audientes, extemplo vitium in ea latens intelligimus.

4^o Plures experimur affectiones internas, quas reflexione adhibita, non modo sine vocabulis cogitamus, sed nec vocabula invenire possumus, quibus ea significemus, nisi illud : *nescio quid*. Appetitus item ac voluntatis inclinationes et actus, sine ullius vocabuli phantasmate, mente relegimus.

Est itaque manifesta assertionis nostræ veritas.

386. Potissima traditionalium objectio hæc est.

Quicumque quavis de causa, sociali institutione caruerint, usu quoque rationis carere reperti sunt. Id videre licuit in pueris quibusdam, qui extra hominum societatem quan

doque adoleverunt; idemque perspicimus in surdo-mutis, qui antequam instruantur, omni idea intellectuali ac morali carent.

Resp. *Dist.* Hi de quibus sermo, carebant usu rationis, i. e. omnibus omnino ideis rationis, atque omni veritatis cognitione, *nego*; carebant ideis Dei et moralium officiorum, *subd.* ex aliqua causa accidentali, *trans.* ex nativo rationis humanæ defectu, *nego*.

587. Quod attinet ad particularia facta, quæ objici solent, notandum est a) facta hæc esse pauca, nec criticæ libra satis ponderata. Quis enim tuto æstimare possit, illorum puerorum internum statum vel satis exploratum fuisse, vel satis potuisse explorari? Non sunt igitur facta hæc tanti ponderis, ut tota de rationis humanæ viribus theoria iis superstrui queat.

b) Fieri non posse, ut positis sensationibus, aliquas ideas, v. gr. entis, unitatis, multitudinis, æqualitatis, similitudinis, causæ, effectus, aliasque hujusmodi ii non essent assecuti; id quod nonnulli eorum satis ostenderunt. Libenter tamen concedam, hosce homines ita eas ideas possedissee, ut non idcirco easdem sub abstractissima illa forma, reflexa cognitione, statim deprehenderent. Nam rudes omnes, etiamsi a pueris loqui didicerint, vix unquam communissimos hosce conceptus a concretis, a quibus eos abstraunt, reflectendo sejungunt.

c) Si ideis religiosæ ac moralibus carebant, id non tantummodo ad instructionis defectum, sed potissimum ad accidentalem aliquam causam referri posse ac debere, ut ad idiotismum iis peculiarem, vel ad defectum temporis convenientis, vel quia adhuc in ea adjuncta non inciderant, in quibus hujusmodi ideæ sponte progerminant.

Hoc unum ex hisce factis concludendum est: institutionem socialem rationis progressibus summopere utilem esse, et quoad aliqua necessarium: non autem, ante illam ac sine illa, rationalem nullam cognitionem haberi posse.

588. De surdo-mutis vero hæc jam certa sunt.

1° Ante educationem ideis primitivis ac fundamentalibus eos noncarere.

2° Non sine exaggeratione dictum fuisse, eos nullam ideam religiosam et moralem spontanea rationis operatione fuisse adeptos.

3° Eos instrui per signa maxime naturalia, ac certe per hæc ante omnia alia signa.

4° Si diu simul degant aliqui surdo-muti, eos signa quædam artificialia ex se ipsis invenire, ut se mutuo intelligant.

ARTICULUS VI. EXPLICATUR IDEARUM ORIGO

589. Articulus hic idearum originem aperiet, si tamen rite intelligatur, quid veniat nomine *abstractionis a sensilibus repræsentationibus*.

Abstractio hæc a sensilibus repræsentationibus duplici modo intelligi potest.

a) quod ideæ nihil aliud sint quam elementa contenta in sensatione, quæque postea separentur ac diversimode componantur. Abstractio ita intellecta est sensismus, quem jam refutavimus (555).

b) quod animus, oblata sibi per sensum re materiali, vi sibi propria præscindens a facto sensationis, essentiam rei intelligibilem, quæ vere in illa est, deprehendat. Hæc autem est, saltem quod ad doctrinæ substantiam attinet, sententia Aristotelis et scholasticorum, quos in hac quæstione sequendos arbitramur.

590. Explicanda primo est hypothesis isthæc :

Anima quatenus organis corporeis inserta est atque immixta, sentiendi et imaginandi actus exercet. Per hosce autem actus repræsentatio sensilis elicitur, quæ objectum quidem a subjecto discretum exhibet (545, seq.), sed non ut objectum, ut ens. Perceptio enim sensitiva non absolute, sed relative objecta attingit (556, 557). Ast animæ virtus non est penitus organis mancipata, sed potest absque organorum ministerio operari. Potest igitur anima a regione, ut ita dicam, organica ad superiorem se regionem attollere. At quomodo? Videlicet præscindendo a facto subjectivo impressionis, quam ab objecto corporeo una cum organo excepit, et per hoc a facto existentie objecti quod ipsam affecit. Hac præcisione facta, hoc objectum, ut objectum, ut ens percipit. Ad hanc vero præcisionem exsequendam, ipsa illa modificatio quam in sensatione recipit, eam determinat; ac propterea præcisio hæc non est voluntaria, sed naturalis.

Propositio I

391. *Nihil est in hac scholasticorum hypothesi quod possibile ac maxime verisimile non sit:*

Tota enim hæc hypothesis huc redit, quod anima vim habeat 1° percipiendi ut objectum id quod in sensatione percipitur ut afficiens subjectum ; ac 2° determinandi se, posita sensatione, ad hanc absolutam perceptionem.

Jamvero 1° non est absurda vis illa percipiendi objectum corporeum ut objectum. Nam objectum omne revera est in se aliquid quod sua constat essentia. Rursus per sensationem anima objectum corporeum a se distinguit. Quid igitur repugnantiae est in hoc, quod possit ulterius procedere, et hoc ipsum objectum percipere ut in se est, nempe ut objectum, ut ens? Anima profecto res materiales per unum organum diversimode percipit, ac per organum alterum : v. gr. id quod oculis coloratum percipit, tactu percipit resistens ac gustu sapidum. Quidni possit absque organorum ministerio non relative amplius hoc ipsum, sed absolute percipere?

2° Non est absurdum, imo maxime congruum, quod anima ad objectum ita percipiendum seipsa determinare valeat. Non enim repugnat, imo experientia certissimum est, unam animæ facultatem per alteram determinari posse; quemadmodum v. gr. intellectus appetitum, et appetitus intellectum aliquo modo determinant. Utraque enim facultas ad unam eandemque pertinet animam : seu potius utraque facultas est una eademque animæ virtus, quæ ideo in plures facultates distinguitur, quia circa diversa objecta distinctis actibus diversa munia exercere potest.

Præterea cum hæc determinatio nihil aliud sit, quam præcisio a facto subjectivo sensationis, profecto naturæ animæ valde consentaneum est, ut cum non tota sit organis demersa, sed superiori suæ virtutis parte organis superemineat, semetipsam naturaliter determinet ut ab actuum organicorum ordine ad superiorem ordinem transeat.

Propositio II

392. *Si hæc hypothesis recipiatur, explicatur optime, quomodo intellectus noster objectorum materialium ideas adquirat.*

Nam ad harum idearum originem explicandam, explicare oportet, quomodo anima, quæ sensuum ministerio relative solum res materiales cognoscit, easque individuas et contingentes, ad essentiæ universalis et necessariæ cognitionem provehatur. Atqui hunc transitum commode explicant binæ illæ vires, *abstractiva et perceptiva*, quæ animam humanam instructam ponimus. Nam si anima potest percipere ut objectum et ens, præscindensque ab existentie factio, id quod in sensatione relative percipiebat, jam essentiam rei percipiet (557, 2^o), ac propterea aliquid ex se universale et necessarium (560). At nos ponimus animam instructam vi naturali percipiendi objectum ut objectum; eam insuper ponimus præditam vi præscindendi a factio subjectivo sensationis, et per hoc a factio objectivo, i. e. ab existentia objecti; ponimus denique per hanc ipsam præcisionem vim perceptivam superiorem naturaliter ad actum reduci. Ergo hæc hypothesis optime explicat quomodo, posita sensatione, intellectus noster objectorum materialium ideas adquirat. Cumque aliæ hypotheses omnes exclusæ sint, hæc una admittenda superest.

593. Notanda. 4^o Intellectus noster objectum percipit primo notione maxime indeterminata *objecti*, seu *entis*, deinde ulteriore accedente experientia, notionibus magis determinatis. Cum enim principio omni cognitione careat, ac successive perficiatur, necesse est ut ab actibus imperfectis et a notionibus obscuris, ad actus perfectiores et ad claros distinctosque conceptus gradu quodam ascendat.

2^o Ex eadem ratione colligitur, intellectum, in ordine cognitionis directo ac spontaneo, magis universalialia ante minus universalialia cognoscere.

5^o Intellectiva perceptio non est mera passio intellectus, sed operatio quam ipse exserit, determinatione recepta. Per hanc vero operationem exprimit in seipso *verbum* seu *ideam*, qua rei quam percipit, essentiam exprimit.

594. Hinc facile solves quæ objiciuntur.

Obj. 1^o Malebranchius. Animo non potest esse virtus qua ideas producat. Nam

a) Animus vim creandi non habet. Si autem ideas produceret, eas crearet: hæ enim ex impressionibus materialibus formari nequeunt.

b) Animus ideas producere non posset, nisi prius rem producendam cognosceret. Sed cognoscere rem perinde est ac ejus ideam habere.

595. Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Nego* animum *creare* ideas. Ideæ enim non sunt realitates, quæ ex nihilo educi debeant, sed intellectus modificationes. Neque ex impressionibus materialibus formantur, sed ex activitate intellectus resultant, objecto per sensus proposito, ut supra explicatum est.

Ad 2. *Nego maj.* Intellectus enim producit ideas ad modum naturæ; ad quam productionem non requiritur prævia rei producendæ cognitio quemadmodum requiritur in artis operationibus, atque etiam in reminiscencia vel in ratiocinio.

596. Obj. 2^o Rosminius. Non omnis idea universalis effici formari abstractione potest.

Etenim abstractio in hoc sita est, quod assumpta idea quapiam particulari, notæ communes quæ in illa sunt, a notis propriis separentur. Sed notæ communes sunt ipsa idea universalis quam quærimus. Ergo ante abstractionem supponi debet idea universalis jam in mente existens, et in particularibus ideis contenta.

597. Resp. Animadvertendum primo, universale duplex distingui oportere, *directum* videlicet et *reflexum*, ut in Logica declaratum est (L. 222).

Animadvertendum secundo, duplicem quoque abstractionem esse, alteram *simplicem*, seu *directam*, de qua modo locuti sumus, alteram *comparativam*, seu *reflexam*, quæ ex ideis specificis quas mens possidet, notas genericas elicit, præcisis differentiis (L. 48; 1^o, 2^o, 5^o).

Hinc resp. ad difficultatem objectam: *Nego ant.* Ad prob. *Dist. maj.* Abstractio simplex et directa separat notas communes quæ sunt in idea particulari, a notis propriis, *nego*; abstractio comparativa et reflexa, *transeat*. Abstractio enim simplex non circa ideam, sed circa objec-

tum per sensus oblatum exercetur; nec notas communes a propriis, sed essentiam ab existentiae conditionibus separat. Hæc autem abstractio est, quæ universale directum facit, ut dictum est.

Omitto min. et dist. consequens distinctione majoris.

ARTICULUS VII. DE COGNITIONE IMMATERIALIUM

598. Quæstio nunc occurrit de cognitione immaterialium. Alia porro sunt immaterialia secundum rem, alia secundum mentis considerationem. Immaterialia secundum rem naturaliter nobis nota, sunt anima nostra, et prima rerum causa Deus; immaterialia secundum mentis considerationem sunt ideæ puræ, quæ nullum sensibile elementum continent, ut ideæ entis, simplicis, veri, honesti aliæque hujusmodi.

Propositio I

399. *Anima non intelligit se immediate ac per seipsam, sed per actus suos.*

Id patet ex notione animæ ut est in humano intellectu. Omnes enim hanc animæ ideam in mente gerere reperiuntur, quod anima sit *principium vitalium operationum; subjectum variarum affectionum; substantia quæ sentit in corpore, quæ intelligit ac vult*. Jamvero hujusmodi notio similis est prorsus notionibus rerum externarum, quas ex effectibus cognoscimus. Ergo.

400. Hinc colliges 1^o quinam actus intellectualem sui cognitionem præcedere debeant, et quo ordine. Primo anima sui sensum habeat oportet: deinde sentire incipit externorum corporum impressiones, et objecta externa percipere sensu, dein intellectu. Dum hos actus exercet, intimo sensu omnes experitur ut suos; sed adhuc in hunc sensum intelligentia non reflectitur, saltem reflexione perfecta. Post aliquantum tempus, quum intelligentia satis se explicuit, anima in facta interna intelligentiæ obtutum convertit, intelligit se sentientem, se intelligentem, se appetentem, ac tandem notionem illam, *ego*, efformat.

Colliges 2^o in conscientiæ actu dualitatem haberi sub-

jecti et objecti, quæ perceptionis est propria. Nam hoc ipso quod animus in intellectus sui objectum seipsum assumit, me perceptum a me percipiente distinguit; quæ distinctio in sensu intimo non fit.

Propositio II

401. *Idea Dei est idea deducta ex rebus finitis; cujus elementa sunt ideæ perfectionum finitarum, adjecta notione excessus, et negatione imperfectionum omnium.*

Idea Dei alia est confusa et initialis, alia explicita et formalis. Prior illa idea Deum exhibet ut *ens quod est prima rerum causa, et a quo omnia dependent*. Utraque vero nota constat elementis indeterminatis, et ex rerum finitarum consideratione depromptis, addito conceptu eminentiæ cujusdam, et negatione dependentiæ ab alio. Conceptus autem eminentiæ est a rerum finitarum consideratione: una enim res alteri excellit; ex eodemque fonte negationem dependentiæ intelligimus; multas enim res videmus a quibusdam aliis dependere, ab aliis non dependere, ut v. gr. sol ab homine non dependet. Quod ergo ad primam hanc Dei notionem attinet, manifestum est quod asseruimus.

402. Ratio altera perfectior Deum exhibet, ut ens infinitum infiniteque perfectum. Quid autem intelligimus, quum infinitam hanc Dei perfectionem cogitamus? Sane eum esse intelligentem, liberum, potentem, justum, beneficium, providum, sed multo magis ac melius, quam quælibet alia natura quam animo fingere possimus; ad hæc, esse sine causa a qua dependeat, sine initio, sine mutatione, sine compositione, sine ullo limite perfectionis. Hæc est perfectissima Dei notio quæ in humana mente reperitur; nec vel mortalium sapientissimi nobiliores aut sublimiores Entis infiniti conceptum assequi possunt, ut experientia constat. Jam si in hoc conceptu consideres quod positivum est, nihil invenies quod non sit experientia cognitum; quod superest reliquum, est affirmatio excessus, et negatio defectus. Patet itaque assertum, etiam quoad Dei notionem explicitam et formalem.

403. Hinc colliges, quid reponendum sit iis, qui illud perpetuo objiciunt: infinitum per finitas perfectiones con-

cipi non posse. Qui enim ita loquuntur, supponunt, ideam qua infinitum concipimus, positivis ac propriis notis ipsum repræsentare. Quod si verum foret, profecto hæc idea elementis a rebus finitis abstractis componi non posset. Sed infiniti notio non est ejusmodi, ut dictum est, illudque ipsum quod in ea positivum est, non per proprias notas Deum refert, sed solum per analogicas, ut in Theologia explicabitur. Nullum itaque absurdum, si hæc notæ a rebus finitis desumantur, adjecta tamen affirmatione excessus, ac negatione defectus; quibus duobus Dei incomprehensibilitas exprimitur.

Propositio III

404. *Rationes rerum immateriales mens nostra vel cognoscit abstractione a sensationibus sive internis sive externis, vel ex aliis immaterialibus rationibus per comparisonem et judicium componit.*

Immediate abstrahit intellectus conceptus communissimos *entis, unius, multitudinis, boni et mali*, saltem physici; tum vero perceptione comparativa notiones accipit *relationum, ordinis, pulcritudinis*, aliasque cum his connexas.

Inter has ideas quas intellectus immediate abstrahit, quædam sunt, quas illi reflexio solum in internos actus suppeditare potest. Ex his v. gr. ideam *simplicis* adipiscitur; itemque ex reflexione in proprias cognitiones, in propriam activitatem, in prima principia, ideas *veri, causæ, necessitatis* educit.

Mediate vero ex rerum eventuumque collatione ideas *contingentiæ et possibilitatis, substantiæ et accidentis, spatii ac temporis*, aliasque hujusmodi colligit. Ex idea vero *ordinis*, et per varias apprehensiones comparativas, quibus, sive in genere sive in specie, ordinem servandum esse intelligit (584), ideas morales *honesti et inhonesti, meriti ac demeriti, juris et officii, virtutis et vitii*, tam generatim quam specialim efformat.

Ex his omnibus patet, cunctas humani intellectus ideas a sensibus, vel proxime vel remote, originem ducere.

ARTICULUS VIII. DE JUDICIO

Propositio I

405. *Mentis judicium silum non est in apprehensione convenientiæ vel discrepantiæ inter ideas.*

Sane a) actus causa seu motivum, ab hoc ipso actu differt. Atqui apprehensio convenientiæ idearum vel discrepantiæ, judicii causa seu motivum est. Revera, quum a nobis quæritur, cur hoc aut illud judicium protulerimus, respondere solemus : *quia sic mihi res videbatur esse* ; videlicet : judicavi sic, quia percepi huic subjecto hoc prædicatum convenire. Ex hoc præterea aliquando errantes condemnare solemus, ac vehementer improbare, quod de ignoratis judicium ferunt.

b) Certum est apud omnes, judicium posse esse imprudens ac temerarium (L. 74 ; 479, 4^o). Atqui si judicium est convenientiæ vel discrepantiæ perceptio, nullum judicium temerarium esse posset. Etenim convenientiam aut discrepantiam idearum vel apprehendo ut certam, vel ut dubiam, vel nullatenus apprehendo. Si ut certam apprehendo, nulla est in hoc temeritas : idem dicendum, si apprehendo ut dubiam : si vero nullatenus apprehendo, juxta sententiam quam refellimus, nullum est judicium. Ergo ex hac sententia infertur, judicium temerarium nullum esse.

c) Si judicium perceptio est, nullum judicium falsum esse posset. Perceptio enim, etiam quæ comparativa est, ex se falsa esse nequit, ut in Logica probatum est (L. 472). Judicium itaque, si esset perceptio convenientiæ idearum, omnes perceptionis proprietates participaret, ac propterea nunquam *ex se* falsum esset. Non posset autem esse falsum per accidens : quia perceptio non est falsa per accidens, nisi per alicujus judicii influxum (L. 474). Nisi ergo sit aliquod judicium falsum ex se, nulla potest in perceptione esse falsitas per accidens. Igitur si judicium perceptio est, nullo modo falsum esse unquam posset.

Propositio II

406. *Judicium non est actus a voluntate elicitus, sed ab intellectu.*

Hæc assertio impetit Cartesium et Malebranchium, qui oppositum docuerunt. Nota autem judicium dici actum ab intellectu *elicited*. Nemo enim inficiatur, multa judicia esse actus a voluntate *impeatos*.

Prob. propositio.

a) Actus queis tendimus in ens sub ratione veri, ad intellectum pertinent, quemadmodum actus queis tendimus in ens sub ratione boni, ad voluntatem. Verum enim est objectum intellectus, ac bonum voluntatis. Atqui judicium in suum objectum tendit sub ratione veri. Nam judicii objectum formale est enuntiabile (L. 469, 4^o), non ut bonum ac nobis conveniens, red ut verum est ac verum apparet. Ideo enim intellectus, saltem ex se, prædicatum subjecto conjungit, quia hoc est illi conforme, atque hæc conformitas ipsi evidentè manifestatur (L. 269). Ergo.

b) In pluribus judiciis, evidentia coacti, affirmamus id a quo voluntas abhorret, quodque maxime cuperet non esse; et e converso negamus esse id quod vellemus esse. Ergo.

407. Cartesiani ut oppositum suadeant, illud præsertim urgent: judicium esse assensum quemdam propositæ veritati, vel a falsitate dissensum; assensum autem et dissensum idem esse ac velle et nolle: esse igitur voluntatis actus.

408. Sed hæc argumentatio facile dissolvitur, *negata minori*. Assensus enim non solum ad voluntatem pertinet, sed etiam ad intellectum: qui duo assensus licet hoc eodem nomine subinde appellari soleant, re tamen omnino discrepant. Assentitur enim intellectus quatenus verbum affirmationis profert; voluntas vero secundum quod sibi complacet in agendis. Falsum igitur, assensum ac dissensum idem esse semper ac velle et nolle.

Propositio III

409. *Judicium est actus, quo mens binos conceptus in unum componit.*

Probatur assertio hæc, ut S. Thomas acute notavit, ex humanæ mentis limitatione ac perfectibilitate. Intellectus enim noster non unica apprehensione rem quamlibet perfecte cognoscit, sed apprehensionibus pluribus ac successivis, quarum unaquæque rem eandem exhibet, primo ut ens, deinde ut ens hac proprietate instructum, hoc modo variabili affectum, hos effectus producens, has habitudines ad alia præferens. Proinde hanc conceptuum, quos divisim format, pluralitatem ac varietatem in unum redigat necesse est, conferatque ejusdem rei repræsentationibus eam unitatem quam in re habent rationes variæ ab illis expressæ. Hoc autem fit iudicio. Iudicio enim dicimus, id quod unus conceptus repræsentat, esse idipsum quod repræsentat alter. Hoc autem qui dicit, conceptui primitivo et imperfecto novam addit notam, qua accedente rei expressio fit in mente plenior atque perfectior. Patet ergo quod assertum est.

410. Fortasse objicies : non omne iudicium compositionem videri ; iudicium enim negans non componit conceptus, sed separat, ac proinde potius divisio est ; quemadmodum etiam a veteribus appellabatur.

Respondendum, iudicium considerari posse dupliciter, scilicet et secundum se, et secundum objectivas rationes quas complectitur. Si primo modo consideretur, ut psychologicè considerari debet, semper est conceptuum compositio ; semper enim iudicium fit per comparisonem conceptuum, semperque uni conceptui conceptum alterum, sive positivum sive negativum, adjungit. Si vero iudicium consideretur secundum rationes objectivas, quæ sunt ejus materia, quandoque compositio nuncupatur, quandoque divisio. Compositio quidem, quum res quarum conceptus comparat, objective conjunctas esse decernit, divisio vero quum affirmat esse sejunctas.

Propositio IV

411. *Nulla sunt legitima mentis judicia, quæ sine ulla convenientiæ vel discrepantiæ prævia perceptione, ex cæco quodam instinctu ponantur.*

Contrarius est Reidius cum aliis philosophis : quorum sententia est, judicia quædam primitiva omnibusque communia ex humana mente necessario erumpere, non vi experientiæ, aut immediati intuitus, aut ratiocinii, sed quadam naturæ instigatione et impulsu, quo ad assentiendum cogimur, etsi cur assentiendum sit, non videamus. Legitima porro judicia voco, quæ non procedunt ex animi temeritate ac levitate, sed recte et ordinate fiunt, et ut natura intellectus postulat.

412. Prob. propositio. a) Cæca hæc judicia humanæ mentis naturæ prorsus repugnant. Mens enim humana est facultas intelligendi ac ratiocinandi, ad hoc facta, ut a veritate moveatur ad actum; unde etiam quando credit, ideo credit, quia percipit esse credendum. At veritates illæ, quas cæco iudicio amplecti dicimur, nullo modo a mente cognoscuntur aut mentem movent; nam nec immediato patent intuitu, nec ratiocinio inferuntur, nec ita creduntur ut prius cognosci queat. sive cui credantur sive cur credendæ sint. Ergo cæca hæc judicia mentis naturæ nullatenus congruunt.

b) Theoria hæc scepticis valida arma suppeditat, et omnia certitudinis propugnacula subruit. Si enim hæc enunciata necessitate quadam naturæ recipiuntur, annc idcirco vera sunt? Utile est illa credere : sine hac fide societas stare non posset. Esto. Ergone utilitas veritatis norma erit? Aut timor exitii certitudinis motivum? Natura, inquit, me propellit. Quid si in falsitatem te adducat? Nec ad Deum naturæ auctorem confugere juvat. Undenam enim novi et Deum esse, et me esse a Deo, nisi per hanc fatalem iudicandi necessitatem? Patet itaque, actum esse de cognitionis certitudine, si hæc ejusmodi fundamento incumbit.

413. Nec obstat illud, rudes vulgaresque homines hæc principia distincte exponere, eorumque rationem reddere

nescire; nec ab iis eruditos intelligi, quum principia eadem propriis vocabulis distinctisque enunciant. Etenim exinde solum inferri poterit, homines communiter quasdam veritates confuse percipere, non autem omni earumdem cognitione carere. Ad hoc enim ut mens ad assentiendum determinetur, evidentia clara sufficit; ut vero elementa e quibus veritatis necessitas consurgit, enucleate quis exponere possit, evidentia distincta requiritur. Qua rudes cum careant, assensum quidem veritati adhibent, at sui assensus rationem verbis explicare nesciunt.

414. Ex dictis inferes, multo magis repugnare iudicia, quæ Kantius *synthetica a priori* nuncupavit; videlicet synthetica, quia in iis prædicatum non educitur ex notione subjecti; a priori vero, quia necessitate quadam subjectiva, et ex ipsa intellectus natura prædicatum subjecto jungimus. Hæc inquam iudicia multo magis repugnant. Non enim solum intellectus naturæ huiusmodi theoria contraria est, sed ipsa cognitionum nostrarum fundamenta subvertit, cum primitivis intellectus nostri ideis objectivum omnem valorem demat (L. 246, 2^o).

CAPUT VI

DE FACULTATE APPETENDI

415. Ultimo dicendum de appetendi facultate. De qua quæstio est expedienda quadruplex: 1^a est de appetitu sensitivo et intellectivo; 2^a de libertatis natura; 3^a de libertatis existentia; 4^a de appetitus instrumento, i. e. de facultate motrice.

ARTICULUS I. DE APPETITU SENSITIVO ET RATIONALI

416. *Appetitus est tendentia in bonum apprehensum.*
Entia quæ cognitione pollent, in hoc differunt a rebus cognitione carentibus, quod non solum ab objectis quæ

extra ipsa sunt, sed etiam ab objectis quæ in eorum apprehensione per sui speciem existunt, moveri possunt, si hæc ipsis convenientia sint. Et hic motus est appetitus.

Est autem appetitus potentia partim passiva, partim activa : passiva quidem quia ab objecto movetur ad agendum; activa vero, quia mota agit, objectumque prosequitur; itaque iterum passiva, quia actionem suam in semetipsa recipit.

417. *Duplex est in homine appetitus, sensitivus et intellectivus; quorum primus inferior, alter superior dici solet, ac proprio nomine voluntas.*

Homo enim bonum apprehendit tam sensu quam intellectu: sensu quidem voluptatem organicam, et objecta quæ illam afferunt; intellectu vero non hanc tantummodo aut illam boni speciem, sed plura diversorum ordinum bona, atque ipsam boni in genere rationem agnoscit. Hinc duplex est in homine appetitus. Ex dictis patet quodnam sit utriusque objectum.

Quum autem appetitus objectum dicimus esse bonum, hoc intellige de objecto per se: potest enim appetitus etiam circa malum versari, non quidem ratione sui, sed ratione boni cui opponitur; nec illud appetendo, sed rejiciendo.

Propositio I

418. *Appetitus sensitivi subjectum est compositum ex anima et corpore, intellectivi autem anima.*

Sane in anima tantummodo appetendi principium esse posse in comperto est. Sed non est manifestum minus, appetitus sensitivi actus cum aliqua organorum immutatione esse conjunctos. Igitur sensitivi appetitus subjectum est ipsum compositum. At appetitus intellectivi actus sine organorum ministerio exercentur, ut alibi notatum est (264, 2^o). Proinde ejus subjectum est ipsa anima.

419. In appetitu sensitivo duæ quasi partes distinguuntur, quarum altera *concupiscibilis*, altera *irascibilis* appellari consuevit. Ad concupiscendi vim pertinet bonum prosequendum et malum fugiendum, secundum se et absolute; ad vim autem irascendi bonum appetendum ma-

lumque removendum, prouti assecutio vel remotio difficultatibus impeditur.

420. Actus vis concupiscentis sunt *amor*, qui est coaptatio quædam appetitus ad bonum, seu complacentia in illo; et *odium* quod est amoris contrarium; *desiderium* et *fuga*, qui sunt motus appetitus exciti a futuri seu boni seu mali apprehensione; denique *delectatio*, nempe quies appetitus in bono acquisito, et *tristitia* quam mali præsentis pressio inducit.

421. Actus autem vis irascentis sunt *spes* et *desperatio*; *audacia* et *timor*; *ira* et *dejectio*. Spes insurgit quum difficultates quæ boni assecutionem præpediunt, superabiles existimantur; desperatio quum existimantur insuperabiles. Audacia insurgit in malum quod vitari posse creditur, licet difficulter; timor desistit a malo impugnando, quia inevitabile putatur. Ira est appetitus ultionis possibilis; dejectio est tristitia quæ animum gravat, ex eo quod ultio ipsi impossibilis videatur.

422. Hujusmodi actus *passiones* dicuntur: subinde tamen passionum nomine non motus appetitus simpliciter significamus, sed hos motus prouti recessum a rationis regula continent, neque motus tantum, sed habitus juxta eos operandi, videlicet vitia. Hoc pacto intelligendi sunt auctores, quotiescumque passionem esse malas affirmant. Passiones enim, ut sunt meri appetitus actus, physice quidem bonæ sunt, ethice autem nec bonæ nec malæ.

423. Actus omnes qui ab appetitu sensitivo eliciuntur, ab intellectivo quoque elici possunt, diversa tamen ratione. Ab appetitu enim sensitivo eliciuntur cum organica aliqua immutatione, ab intellectivo vero independentem ab organo.

Actuum porro appetitus intellectivi, alii sunt circa finem, alii circa media. Circa finem sunt *amor* et *desiderium*, eoque obtento *delectatio*. Circa media autem, ut media sunt, *electio* et *usus*. Electio ex mediis ab intellectu propositis, unum aliquod ceteris præfert: usus applicat varias animi potentias ad operationes quæ ad executionem necessariae sunt.

424. Notandum autem in omnibus finibus subordinatis (99) finem ultimum semper intendi. Finis autem hominis simpliciter ultimus est felicitas. Quidquid ergo homo velit, semper felicitatem suam implicite vult.

Propositio II

425. *Voluntas malum, qua tale, appetere nullatenus potest.*

Natura enim inclinatur solum ad id quod est aliquo modo sibi conveniens. Hoc autem est bonum. Ergo voluntas, quæ est naturæ rationalis inclinatio, bonum solummodo potest appetere; videlicet id quod ut bonum aliquo modo apprehenditur. Unde qui aliquid appetunt, quod vel sibi vel alteri malum est, hoc ideo appetunt, quia aliquam boni rationem in eo apprehendunt, etiamsi hoc bonum verum non sit.

ARTICULUS II. DE LIBERTATE VOLUNTATIS

426. Voluntatis libertas alia est *a coactione*, alia *a necessitate*. Illa est *immunitas ab omni vi extrinsecus illata contra voluntatis propensionem*. Hæc: *immunitas ab intrinseca determinatione ad unum*.

427. Libertas a necessitate dici quoque solet *libertas indifferentiæ*, *libertas electionis*, *liberum arbitrium*, et proprio nomine *libertas*. Causa vero quæ hac libertate gaudet, ut ex ejus notione colligitur, ea est, *quæ, positis omnibus quæ ad agendum requiruntur, potest agere et non agere*.

Hæc porro indifferentiæ libertas triplex est. 1^a dicitur libertas *contradictionis*; et in eo consistit, quod causa, positis omnibus quæ ad agendum requiruntur, sit indifferens ad duo contradictoria, quæ sunt *agere et non agere*. Hoc pacto voluntas potest volendi actum ponere et non ponere.

2^a Dicitur libertas *contrarietatis*, per quam causa indifferens est ad duos actus contrarios, uti sunt in voluntate velle aliquid, et idipsum nolle actu positivo repulsionis.

3^a Dicitur libertas *specificationis*, qua causa indifferens est ad actus specie diversos, uti sunt velle ambulare, velle studere, velle comedere.

428. Ex dictis inferes 1^o actionem, etsi non coactam, posse adhuc necessariam esse.

Inferes 2^o discrimen *spontanei a voluntario et libero*.

Spontaneum est id omne, cujus principium in agente est. Hujusmodi sunt omnes actus immanentes. Spontaneum coacto opponitur.

Voluntarium est id cujus principium est inclinatio agentis ex cognitione finis. Hujusmodi sunt omnes voluntatis actus, sive necessarii sint, ut est appetitus boni in genere vel felicitatis; sive non necessarii, ut est lectio vel deambulatio.

Liberum est voluntarium, quod non ex natura voluntatis determinatum ad unum.

Propositio I

429. *Libertas non est in ultimi finis intentione. In actibus quoque intellectus consiliantis et judicantis, et in executione nulla est libertas intrinseca; sed solum in voluntatis electione.*

Libertas intrinseca est, quæ inest ipsi potentiæ quæ dicitur libere agere; extrinseca vero quæ uni potentiæ tribuitur, quia ab aliqua alia potentia intrinsece libera movetur ad opus.

450. Prob. 1^a pars.

Quæ per liberos actus agenda sunt, ita comparantur ad finem ultimum, ut conclusiones ad prima principia. Quemadmodum enim omnes conclusiones vi principiorum intelliguntur, ita omnes liberæ operationes propter finem fiunt. Sed nullæ possent deduci conclusiones, nisi intellectus primis principiis necessario adhæreret. Ergo voluntas quoque ultimum finem necessario appetat oportet.

451. Prob. 2^a pars.

Intellectum in nullo suo actu intrinsecus liberum esse, est prorsus manifestum. Non enim agit intellectus, nisi vel ab objecto ad agendum determinetur, vel ex voluntatis imperio. Ejus igitur actus solummodo liberi esse possunt libertate extrinseca et derivata, quotiescumque a libera voluntate imperentur.

Executio quoque sita est in actibus potentiarum voluntati subditarum; quæ quidem ex se nullam habent indifferentiam, sed vel naturali necessitate agunt, vel ex voluntatis imperio. Ergo.

452. Prob. 5^a pars.

Cum nulla alia potentia intrinsecæ libertatis sit capax, profecto sequitur libertatem hanc pertinere solummodo posse ad actum a voluntate elicited, ad eum nempe actum quo voluntas aliquid propter finem vult aut non vult. Hic autem actus dicitur electio.

Propositio II

453. *Nec felicitas, nec bonum in genere electioni subjiciuntur, sed solummodo peculiaria bona finita; atque in præsentis animæ statu, etiam bonum infinitum.*

Non subjicitur electioni felicitas; quia hæc est ultimus hominis finis, in cujus intentione nulla est libertas, ut modo dictum est (430). Ac profecto nemo unquam dubitat aut in deliberationem adducit, an sibi conveniat felicem esse necne, sed solum quid sibi conveniat, quid non, ut felix sit.

Non bonum in genere. Nam nullam in se mali rationem continet. Ergo erit quidem voluntas libera ad illud actu appetendum vel non; at si actum aliquem circa illud exercent, hic odii actus esse nequit, sed actus amoris sit oportet.

Si quid ergo est quod electionis objectum esse queat, hæc sunt bona finita particularia.

454. Bonum autem infinitum, quod est Deus, si intuitive a nobis cognosceretur, proculdubio amorem ad se nostrum necessario raperet: in eo enim sic cognito felicitatis nostræ objectum reperiremus. At nos in hac vita Deum intuitive non cognoscimus, sed solum per argumentationem et conceptibus analogicis: nec in Deo ita cognito beatitudinem nostram reperimus. Hinc ejus bonitas, licet in se infinita, ex nostræ tamen cognitionis imperfectione vim non habet, ut appetitum nostrum ad se necessario trahat; ac propterea cum bonis finitis, quorum experimentalem cognitionem habemus, in comparisonem venire potest, atque adeo illis posthaberi.

**ARTICULUS III. HUMANÆ VOLUNTATIS LIBERTAS
ASSERITUR**

455. In hoc articulo definiendum est an humana voluntas revera libertate gaudeat : 1^o quidem an gaudeat libertate a coactione ; 2^o vero an libertate indifferentiæ. Quæ postrema voluntatis prærogativa plurimos omni tempore adversarios offendit, fatalistas, astrologos, manicheos, pantheistas, heterodoxos fere omnes postremæ ætatis, materialistas insuper et incredulos permultos ; quibus accedunt ii omnes, qui libertatem verbis fatentur, re negant.

Propositio I

456. *Etsi actus qui a voluntate imperari dicuntur, coacti esse possint, repugnat tamen actus a voluntate elicitos esse coactos.*

Quod actus a voluntate imperati (454) coactionem pati possint, est experientia manifestum. Potest enim corporis membris vis inferri, ne voluntatis imperium exsequantur.

Ast actus a voluntate elicitus est inclinatio qua ipsa voluntas objecto apprehenso se conjungit. Quod autem violentum est, ab extrinseco accidit et contra inclinationem ejus cui vis inferitur. Atqui repugnat manifeste, inclinationem eandem esse a voluntate ac simul esse ab alio inductam contra voluntatis inclinationem. Ergo actus voluntatis non potest esse violentus.

Propositio II

457. *Humana voluntas libertate gaudet indifferentiæ.*

Etenim 1^o nullum bonum potest ad se necessario voluntatem trahere, aut ejus capacitatem explere, nisi bonum undequaque perfectum. Nam sicut intellectus bonum undequaque perfectum apprehendit, i. e. felicitatem, ita voluntatis inclinatio naturalis est ad bonum hujusmodi ; esto, hominem determinate non cognoscere in quo objecto rea-

liter illud reperiatur. Sed bona quævis particularia limitata sunt, et a perfecti boni ratione deficient, ita ut secundum varias considerationes apprehendi possint ut bona, ut non bona, ut mala. Hæc proinde bona nec naturalis inclinationis sunt proportionatum objectum, nec capacitatem voluntatis explere possunt. Repugnat ergo hæc bona voluntatem ad se necessario trahere; quemadmodum repugnat effectum excedere causæ virtutem, et capacitatem infinitam actu finito expleri.

2^o Intimus sensus evidenter libertatem nostram nobis testatur. Nam

a) Ipsam libertatis radicem sentimus in nobis; quæ est, ut modo diximus, intellectus iudicium de re quavis multiplex et varium, ac tale iudicium, quod ad nullam rem appetendam necessitate absoluta nos determinet.

b) Sentimus in nobis et actus liberos et actus necessarios, ita ut hos cum illis comparare possimus, et quantum inter se differant, deprehendere. Quis enim v. gr. non sentit, felicitatem se longe aliter velle ac deambulationem in horto?

c) Sentimus nos frequentissime de eligendis deliberare, nec raro nos eligere solum quia volumus.

d) Actionum quæ a voluntate nostra procedunt, nosmetipsos auctores existimamus, ac si prospere res acta fuerit, nobis ipsi gratulamur, et alias eodem modo nos acturos proponimus: et vice versa si res male cesserit, nosmetipsos reprehendimus, et contraria nos acturos statuimus.

3^o Accedit communis hominum sensus.

Sane *a)* libertatis notio apud omnes viget, etiam apud eos qui humanæ voluntatis libertatem negant.

b) Magnum discrimen agnoscunt omnes inter naturales dotes et virtutes morales, inter naturales defectus et vitia, inter actus indeliberatos et deliberatos, inter actus pueri ac dementis et nocentium delicta, inter operationes brutorum et hominis. Unde autem hoc discrimen, nisi ex libertate?

c) Sunt apud omnes gentes notiones iusti et iniusti, virtutis et vitii, meriti et demeriti, juris et officii, obligationis moralis ac legis naturalis. Hæ omnes notiones libertatis conceptum includunt, et persuasionem de libero hominis arbitrio.

d) Eandem persuasionem ostendunt leges et præcepta,

suasiones et consilia, hortationes et preces, laudes ac reprehensiones, promissiones et comminationes, præmia ac pœnæ. Hæc omnia absurda forent, si omnes humanas actiones non ex arbitrii libertate, sed ex ineluctabili necessitate procedere arbitraremur.

458. Opp. 1^o Voluntas ab objecto determinetur necesse est. Nam

a) Quod ad plura est indifferens, ab alio determinandum est ad unum. Voluntas autem est ejusmodi.

b) Si voluntas seipsam determinaret, ratio sufficiens volitionis esset ipsa volitio; quod est absurdum.

c) Hinc dicere quisque deberet: *volo quia volo*; quod pariter absurdum est.

459. Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Dist. maj.* Quod est indifferens indifferentia passiva, *conc.* indifferentia activa, *nego*.

Contradist. min. Voluntas est indifferens indifferentia passiva, *nego*, activa, *subd.* quæ ab alio determinari indigeat, *nego*; quæ seipsam determinet, *conc.*

Voluntatis indifferentia non est passiva, sed activa: est enim voluntas causa spontanea, quæ sui actus principium est (428, 2^o). Præterea ita est sui actus principium, ut ad agendum non ab alio determinetur, sed excepta ultimi finis appetitione, seipsam determinet, proposito objecto.

Ad 2. *Nego maj.* Ratio sufficiens volitionis dupliciter intelligi potest; vel id ex quo necessario sequatur volitio, vel id quod sufficiens sit ut volitio eliciatur. Si ratio sufficiens primo modo intelligatur, nulla est hujusmodi ratio quum de voluntate agitur. Si intelligatur secundo modo, ratio sufficiens volitionis non est ipsa volitio, sed hinc quidem voluntas cum generali inclinatione ad bonum, inde vero objectum propositum, quod a voluntate appeti possit ut bonum. Sed præter hanc rationem sufficientem, necessarium est ut voluntas seipsam moveat. Unde sequitur, in causæ liberæ actibus rationem *determinantem* a ratione *sufficiente* differre.

Ad 3. *Conc.* causalem, at sensu explicando; videlicet: *volo media*, et *motivum quo adducor ad ea volenda*, est *quia volo finem*. In qua propositione, ut vides, nulla est absurditas. Hinc quoque perspicias, causam quæ in hac causali assignatur, non esse causam efficientem electionis,

sed motiŕum ŕufficiens duntaxat, juxta ea quæ modo diximus.

440. Obj. 2^o Si duo bona apprehendantur æqualia, voluntas neutrum eligere potest : nam motiva quæ sive ad unum sive ad alterum appetendum impellunt, se mutuo elidunt.

Si vero inæqualia apprehendantur, voluntas ad bonum majus eligendum necessario determinabitur.

Nam a) voluntas dicitur eligere quod magis placet.

b) Bonum minus quod majoris boni assecutionem impedit, verum est malum. Voluntas itaque illud eligendo, malum eligeret.

c) Ageret proinde irrationaliter. Appetitus autem rationalis irrationaliter agere nequit.

441. Resp. ad 1 partem *negando* quod asseritur, et rationem additam. Nam bona hæc æqualia, quæ supponuntur voluntati oblata, vel sunt ejusdem generis vel diversi.

Si bona hæc sunt ejusdem generis, motiva quæ ad illa alliciunt, alia voluntatem alliciunt ad eam boni rationem quæ in utroque viget, et hæc non eliduntur; alia vero alliciunt et intellectum et voluntatem ad unum alteri præferendum; et hæc in conflictu eliduntur. Hinc intellectus, qui ex se non judicat, nisi ab objecto determinetur, unum alteri præferre non poterit; voluntas autem quæ seipsam determinat, poterit alterutrum pro lubitu eligere. Neque in hoc sine motivo aget; quia quidquid eligat, semper bonum eliget amore finis.

Si vero bona objecta sunt diversi generis, unumquodque eorum est altero majus secundum diversas considerationes (457. 4^o). Itaque voluntas semper eliget id quod aliquo modo majus esse apprehenditur. Unum autem potius quam alterum considerare, est quidem intellectus proprium; sed ejus quoque applicatio ad hoc vel illud considerandum a voluntate dependet.

Ad 2 partem. *Nego*. Nullum enim bonum quod voluntati proponatur, est illi necessario appetibile : ergo omne bonum potest ab ipsa non appeti. Proinde bonum quod ut majus apprehenditur, potest ab ipsa non appeti. E converso omne bonum appetibile est. Ergo minus bonum ab ipsa appeti potest. Præterea omne bonum sub diversis considerationibus, ut majus simul et ut minus bonum potest

apprehendi. Undequaque igitur falsum est, voluntatem ad bonum quod apprehenditur majus esse, necessario determinari.

442. Ad 4 prob. *Dist.* Voluntas eligit quod magis ipsi placet deliberate, *conc.* indeliberate, nempe quod ipsam magis allicit, *nego.* Videlicet propositio objecta vel ad hanc tautologicam recidit: *voluntas eligit quod eligit*: vel dicit idipsum quod probandum est.

Ad 2. *Dist.* Bonum minus quod majoris boni assecutionem impedit, verum est malum; nempe malum respectu unius finis particularis, *conc.* respectu finis alterius, et finis ultimi, *nego.*

Dist. quoque *min.* Voluntas illud eligendo, eligeret malum, qua malum, *nego*; quatenus est apprehensum ut bonum, *conc.*

Ad 3. *Dist.* Voluntas irrationaliter ageret, i. e. ageret absque ratione, *nego*; ageret non ex præscripto rationis, *subd.* si bonum apparens præ vero eligat, *conc.* secus, *nego.* Semper voluntas agit juxta aliquod rationis judicium, quæ varias boni rationes ut eligibiles, pro finium diversitate ipsi ostendit. Non tamen semper juxta legem agendi a ratione promulgatam, i. e. juxta legem honestatis agit.

443. Obj. 5° Saltem ut voluntas agat, practicum rationis judicium prærequiritur; judicium nempe quo intellectus, pensatis omnibus definiat, *hanc partem præ altera esse eligendam.* Ast intellectus judicia necessaria sunt. Ergo etiam voluntatis actus necessarius est.

444. Resp. *Nego maj.*

Prænotandum, quosdam hanc difficultatem solvere *negando minorem*, quantum ad hæc practica judicia attinet. Aiunt enim judicium practicum liberum esse: a voluntate enim pendet, inquirunt, ut ad unius partis potius quam ad alterius motiva consideranda, intellectum convertat. At multo melius illi qui prorsus negant, ad actum liberum judicium practicum requiri. Judicium enim practicum, aiunt, est quidem requisitum ad eligendum prudenter; siquidem ad prudenter eligendum deliberatio præmittenda est, et utriusque partis motivis consideratis, videndum quid ratio melius judicet. Ast ad eligendum simpliciter, judicium nullum practicum necessarium est. Judicium enim rationis quod electionem necessario præcedere de-

bet, est iudicium speculativum, quo intellectus definiat, *hoc et hoc eligibile esse*, videlicet media proposita esse aliqua ratione ad felicitatem utilia, ac proinde apta ut eligi possint; etsi non sint necessario eligenda, quia ad felicitatem necessaria non sunt.

445. Saltem libertas ex intimo sensu non probatur. Nam

a) Libertas est indifferentia ad actum. Atqui sensus intimus non hanc indifferentiam, sed ipsum actum renuntiat.

b) Somniantes sibi videntur libere agere; nihilominus non est ita.

c) Si lapidi decidenti desiderium imprimeretur eo tendendi quo tendit, ac simul sui motus cognitio, existimaret se seipsum movere. A pari.

446. Resp. ad 4. *Conc. maj. nego min.* Vide superius dicta.

Ad 2. *Dist.* Somniantes habent representationem actuum liberorum, *conc.* eo modo agunt quo vigilantes se agere sentiunt, *nego.* Nec somniaremur nos libere agere, si vigilantes libere non ageremus.

Ad 5. *Nego parit.* Non enim lapis ea in se experiretur, quæ nos experimur quum libere agimus, aut deliberationem instituimus. Sentiret ad summum lapis se non vi sua, sed aliena propelli quo desiderat.

ARTICULUS IV. DE FACULTATE MOTRICE

447. De facultate exsequendi nunc est aliquid dicendum. Facultates perceptivæ et reproductivæ aliquo modo voluntati subjiciuntur, et quod ab illa decernitur, exsequuntur. Sed de his jam diximus. Facultas autem motrix hoc munus habet sibi proprium, ut sit appetitus instrumentum; ac propterea ipsa est quæ proprio nomine facultas exsequendi dici meretur.

Propositio I

448. *Facultas motrix a facultate appetendi distinguitur. videlicet membrorum motus non sunt actus ab appetendi facultate elicit, etsi ab ea imperari possint.*

Sane 4^o facultas appetendi non solum membrorum motus imperare potest, sed etiam intellectus, sensuum et

phantasiæ actus. At certe harum facultatum actus nemo dicit ab appetendi facultate elicitos. Nulla igitur est ratio, cur membrorum motus sint actus ab appetitu elicti, et non solummodo imperati.

Præterea 2^o velle est actus liber, quem nihil impedire valet. At quod reipsa me moveam, hoc sane potest a pluribus causis, tum externis, tum internis impediri.

Propositio II

449. *Subjectum in quo residet facultas motrix sunt musculi animati.*

Certe motricis facultatis radix ac principium est vis animæ propria : at non minus verum est, materialem hujus vis sedem et instrumentum esse musculos. Horum namque contractio ossa vel organa, quibus ii adhærent, dimovet, atque hoc pacto membrum movetur. Non tamen musculi sunt immediatum vis animæ instrumentum, sed nervi. Actualis autem musculorum contractio est ab anima, mediante fluido nerveo, quo vibrante in nervis, musculi contrahuntur.

Propositio III

450. *Non omnium musculorum facultas motrix appetitui subjicitur.*

Sunt enim musculi, quorum contractio appetitus motum naturaliter consequitur; hujusmodi sunt musculi membrorum. Sunt etiam musculi qui appetitui subduntur, sed etiam absque determinatione ab eo accepta, naturaliter contrahuntur; hi sunt musculi apparatus respiratorii. Sunt denique musculi omnino exempti ab appetitus determinatione, videlicet musculi vitæ vegetativæ. Motus ab appetitu dependentes vocari soleant *animales, dynamici, autonomici*; qui vero ab eo non dependent, *organici, plastici, automatici*.

LIBER QUARTUS

THEOLOGIA

451. In postrema hac specialis Methaphysicæ parte, ad primam rerum omnium causam exemplarem, effectricem, finalem, ad Deum O. M. attollendus est animus, et quæ de incomprehensibili illa natura infirma intellectus humani acies ex se assequi potest, summatim exponenda sunt. Tractatio hæc in quatuor dividetur partes : 1^a erit de existentia Dei; 2^a de ejus essentia; 3^a de attributis; 4^a de externis operationibus.

CAPUT I

DE DEI EXISTENTIA

452. In prima disputatione quæremus quatuor : 1^o an esse Deum debeat positive demonstrari; 2^o an ostendi possit, esse aliquod ens improductum et necessarium; 3^o an ex mundi consideratione inferatur, superiorem quamdam intelligentiam existere; 4^o an divinitatis existentia humani generis suffragio confirmetur.

ARTICULUS I. UTRUM ESSE DEUM DEBEAT AC POSSIT
DEMONSTRARI

Propositio I

453. *Deum esse est propositio non per se nobis nota, sed quæ demonstrari debeat.*

Deum esse est propositio proculdubio nota per se, quantum in ipsa est : nam Deus essentialiter est, proindeque qui cognosceret quid Deus sit, is statim intelligeret Deum non

posse non esse. Cum vero nobis datum non sit Dei essentiam intueri, non cognoscimus quid Deus sit: solum post cognitam ejus existentiam, componere argumentando possumus ideam, quæ per elementa quædam analogica Deum representet. Igitur Deum esse, non est nobis notum per se: ac propterea Dei existentia demonstratione indigere dicenda est.

454. Eoque magis, quod non desunt adversarii, qui Deum esse negent. Ili *atheï* nuncupantur. Non tamen omnes qui *atheï* dicuntur, Dei existentiam inficiantur, aut sophismatibus impugnant. Sunt enim *atheï* tam *negativi*, quam *positivi*. Illi sunt, si qui sunt, qui Dei existentiam ignorant; hi qui præfracte negant.

Propositio II

455. *Dei existentia non potest a priori demonstrari, sed tantum a posteriori.*

Non potest demonstrari *a priori*. Nam neque Deus causam habet, neque ejus essentia nobis nota est (L. 459).

Potest tamen demonstrari *a posteriori*, videlicet per ejus effectus, qui nobis sunt ipso notiores.

456. Ex argumentis porro quæ Deum esse ostendunt, tria tantummodo, ut jam innuimus, afferemus, quæ cum validissima semper habita et communiter recepta sint, tum etiam facilius enucleari et intelligi possunt. Primum ex rerum in genere existentia ducitur, alterum a mundi adspectabilis ordine, tertium ab humani generis consensu. Primum vocant *metaphysicum*, alterum *physicum*, tertium *morale*.

457. Quæres, si Dei existentia demonstranda est, quomodo cum veritate dici possit, Dei existentiam nobis esse naturaliter notam, prouti communiter dici solet.

Respondeo, Dei existentiam dici naturaliter notam, non quia idea Dei innata sit, aut quia Deum mente intueamur, sed ex eo solum quod ut alio in loco docuimus (584), mens nostra et rerum naturam et semetipsam considerans, sponte instituit eas comparationes et ratiocinationes, quibus ad Dei cognitionem, saltem imperfectam, provehitur.

458. Nota autem, Dei nomine in præsentî quæstione in-

telligi: *Ens quoddam supremum a quo rerum universitas dependet.* Quæ definitio nominalis est, et confusa elementa continet; non enim explicat an absolute sit, an vero relative supremum, nec quomodo res ab ipso dependeant. Convenit tamen cum idea, quam omnes ubique gentes de Deo habuerunt, ipsisque atheis non displicet. Neque mirum esse debet, eam desumi ab effectibus: omnia enim Dei nomina ab effectibus derivare solemus, quia per hos tantum Deus cognoscitur.

ARTICULUS II. ARGUMENTUM METAPHYSICUM

Propositio I

459. *Cum repugnet omne id quod est esse productum et contingens, infertur ens improductum et necessarium existere.*

Si quid existit, datur ens improductum. Nam quidquid est, aut productum est, aut improductum. Est evidens.

Atqui non possunt omnia quæ sunt, esse producta. Ergo.

Probatur minor. Omne ens productum, ab alio productum est: patet ex principio causalitatis. Hic igitur productor alterius, vel est et ipse productus, vel non. Si non est, datur ens improductum, quod contendimus. Si est productus, debet esse ab alio productus. Hunc vero alium, nisi sit improductus, factum ab alio fateare necesse est. Hunc alium rursum ab alio, atque hac porro ratione perpetuo urgebere, donec ab improductam causam pervenias, in eaque consistas.

Si igitur aliquid existere fateris, fateri quoque debes existere ens improductum, nisi dicere malueris, vel aliquid fuisse a nihilo productum, vel duo entia se mutuo produxisse, vel in infinitum posse procedi, quin ad causam improductam perveniat: quæ omnia manifeste repugnant.

Quoniam igitur aliquid existit, saltem mea cogitatio, existit quoque ens improductum, ens necessarium, quod a nullo dependet, et a quo omnia dependent. Hoc autem ens est Deus (458). Existit ergo Deus

460. Notandum. 1° Deus cum sit ens improductum, dicitur et est *ens a se*, non *effective*, quatenus fuerit suiipsius causa, sed *formaliter* seu *negative*, quatenus non habet ab alio ut sit.

2° In Deo essentia et existentia unum prorsus idemque sunt. Non modo enim essentia actualis ejus idem est ac existentia, quemadmodum in omnibus entibus verum est; sed etiam essentia ejus intelligibilis; id quod de nulla re contingente dici potest: nullius enim rei contingentis essentia est actu esse, et idcirco in rebus contingentibus essentia possibilis a reali distinguitur, ut ens in potentia ab ente in actu, nempe ut non ens ab ente.

Propositio II

461. *Series infinita contingentium, independens ab Ente necessario, plane repugnat.*

Ut vim allati argumenti athei eludere videantur, quoniam affirmare verentur, aut nihilum fuisse rerum causam, aut duo entia se mutuo produxisse, ad seriem infinitam producentium et productorum confugiunt: aientes per hujusmodi seriem explicari posse rerum existentiam quin ad causam necessariam et improductam devenire necesse sit. At series hæc impossibilis evidenter ostenditur: 1° quia infinita; 2° quia tota ex contingentibus constare supponitur.

462. Prima pars ostenditur ex repugnantia numeri infiniti etiam successivi, quam in Ontologia demonstravimus (137), et ex repugnantia mundi æterni, de qua in Cosmologia (187).

Probatur secunda pars.

Etiamsi hæc series infinita permittatur, tamen quia tota ex contingentibus constat, sine causa improducta et in existendo necessaria existere nequit.

Nam a) ut quodlibet contingens est per se insufficientes ad existendum, ita et quævis contingentium collectio. Contingentia enim ad essentiam pertinet, et per collectionem non tollitur (L. 445; 2°). Huc facit paritas illa: si duo vel tres pauperes sunt sibi insufficientes, nonne ridiculum foret asserere, infiniti si fiant, fore collectionem hanc sibi sufficientem?

b) Si nullus omnino terminus in serie hac est *per se* sufficiens ad sequentes producendos, profecto tota series est *per se* insufficientes ad existendum: adeoque eget causa quæ sit extra contingentium seriem.

Atqui nullus omnino in hac serie terminus est per se sufficiens ad ceteros producendos.

Etenim ad producendum alterum, requiritur productoris existentia. Sed nullus terminus est per se sufficiens ad existendum, cum ab alio dependeat. Ergo nullus terminus est per se sufficiens ad producendum.

Supponatur catena ex alto pendens longitudinis incognitæ. Unusquisque videt, nullum catenæ anulum esse per se sufficientem ad ceteros sustinendos, eo quod nullus est per se sufficiens ad sustinendum se. Hinc deducimus, catenam illam non posse ita ex alto pendere, nisi ab aliqua vi ponderi proportionata sustentetur. Nonne se præberet egregie ridiculum, qui assereret, hoc utique verum esse si catena ponatur longitudinis finitæ, non vero si ponatur infinitæ? Atqui hæc est atheorum sapientia.

465. Obj. 4^o Dei existentia nequit demonstrari ex rebus contingentibus. Etenim

a) Effectus omnis exigit solum causam sibi proportionatam. Sed causa proportionata contingentis potest esse aliud contingens. Ergo per entia contingentia demonstrari nequit Ens necessarium.

b) Effectus finitus non potest nos adducere in cognitionem causæ infinitæ, cujusmodi est Deus.

464. Resp. ad 4. *Dist. maj.* Absolute et adæquate proportionatam, *conc.* hypothetice solum et inadæquate, *nego.* Et *contradist. min.* Sane contingens causa est ad alterum producendum proportionata, *si existit.* Ergo hypothetice proportionata. Sed et inadæquate. Existit enim dependenter ab alio, vel a serie præcedentium. Hæc igitur series tota, una cum causa prima et in existendo necessaria, causam adæquatam constituunt cujuscumque contingentis.

Ad 2. *Dist. I. e.* non potest manifestare nobis existentiam causæ quæ est infinita, *nego*; infinitam ejus potentiam, *subd.* si effectus a causa processit per creationem, *nego*; *secus, trans.*

465. Obj. 2^o Series illa infinita nullam implicat contradictionem. Nam

a) Series causarum sine causa ultima non repugnat. Ergo neque sine prima.

b) In hac serie singuli termini sunt possibles. Ergo et

tota series. Collectio enim hæc singulorum possibilitatem non tollit.

466. Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Conc. ant. et nego cons. et paritatem.* Nam series sine causa ultima nec est, nec potest unquam fieri actu infinita; ac præterea habet causam adæquatam in Ente necessario. At series atheorum ponitur actu infinita, et ab Ente necessario independens.

Ad 2. *Dist. ant.* Sunt possibles *extrinsece, nego; intrinsece, subd.* seorsim sumpti, *tr.* collective sumpti in serie infinita, *nego.* *Nego insuper consequentiam.* Nam possibilitas intrinseca singulorum a possibilitate intrinseca seriei infinitæ existentis est aliquid omnino diversum. Possibilitas enim intrinseca singulorum sita est in notarum, quibus singula entia constituuntur, sociabilitate: possibilitas vero infinitæ collectionis containeretur sociabilitate ideæ multitudinis existentis, cum idea infiniti. Igitur quemadmodum a possibilitate unius entis non possum deducere possibilitatem alterius entis quod nolis diversis constet; ita a possibilitate hujus et alterius entis colligere nequeo possibilitatem multitudinis hujusmodi entium, actu infinitæ.

Ad rat. add. *Dist.* Ita ut per hoc possibilitatem ipsa non acquirat, *conc.* ita ut acquirat, *nego.* Adde, quod data quoque intrinseca seriei possibilitate, ea esset adhuc extrinsece impossibilis; quia collectio non tribuit singulis entibus extrinsecam possibilitatem, quam sine Ente necessario non habent. Est autem iterum intrinsece impossibile, ut actu existat quod extrinsece impossibile est: repugnat enim effectus sine causa.

ARTICULUS III. ARGUMENTUM PHYSICUM

Propositio I

467. *Ex admirabili mundi ordine luculenter ostenditur, superiorem quamdam intelligentiam rebus omnibus præesse.*

Supponimus, ut supponi debet vi principii causalitatis, mundum habere causam, saltem quoad statum in quo est. Hoc præstituto, en breviter argumentum.

Agens quod certa et apta media ad certos fines disposuisse cernitur, est intelligens (148).

Sed causa a qua mundus prodiit, certa et aptissima media ad certos fines disposuisse, evidenter cernitur.

Ergo causa a qua mundus prodiit, est intelligens.

Ad sentiendam evidentiam minoris, satis est ut circumferas oculos, et vel mundum obiter consideres, vel rem quamcumque quæ sub oculos incidat, momento respicias. Videbis enim manifeste, et in maximis et in minimis corporibus, et in singulis eorum partibus, et in eorum mutuis relationibus, sapientissimos fines a rerum Conditore constanter intentos, et mirabiliter obtentos. In quibus omnibus adeo evidentia sunt intelligentiæ non modo, sed altissimæ quoque sapientiæ vestigia, ut si quis ea tantisper consideret, is facilius in animun induxerit, ea quæ videt ac tangit non existere, quam tantum ordinem tantamque pulcritudinem a cæco casu, et ex brutarum virium conflictu prodiisse. Ipsi athei, si sunt homines, in hac conditione versentur necesse est.

468. Confirmatur conclusio triplici comparatione.

1^a Si nec domum, nec horologium, nec librum sine causa intelligente et ex consilio operante fieri potuisse existimamus; mirandæ hujus habitationis nostræ architectum, hujus machinæ adeo complexæ inventorem, hujus libri in quo tantæ sapientiæ consilia legimus auctorem intelligentem non fuisse, quis putet?

2^a Si florem, arborem, equum, hominem depictum in tabula, aut ex marmore vel ex cera sculptum videmus, statim de pictore aut sculptore cogitamus, ejusque laudamus peritiam: nonne igitur agnoscemus artificis sapientissimi opus fuisse ipsos flores, ipsas arbores, ipsa animantia, quæ ante oculos nostros perpetuo vigent ac renovantur?

3^a Si eximia intelligentiæ laudem sibi compararet, qui, quod nemo adhuc fecit, totum mundi ordinem, rerumque relationes, ac leges naturæ universæ explicaret; quantæ demum sapientiæ fuerit, hunc ordinem, has relationes ac leges excogitasse, constituisse, atque ita temperasse, ut finem suum constanter assequerentur?

Propositio II

469. *Epicuri systema de mundi origine absurditatibus scatet.*

Mundi genesis hujusmodi fuit juxta Epicurum. In vacuo infinito et æterno infinita æternarum atomorum multitudo volitabat, quæ et figuræ et magnitudinis infinitas haberent varietates. Atomi vero motu naturali æternum impulsæ, per infinita spatia deorsum urgebantur; casu tamen factum est, ut transversum declinarent, et sic altera ad alteram accederent, ac temere simul coacervatæ mundum quemdam constituerent; qui deinde dissolutus alteri et alteri, ac nostro huic deinde locum dedit. Sic omnia explicat Epicurus cum suis; nec res materiales modo, sed et ipsam spirituum existentiam, omnesque spirituales actus. Atque huc redeunt tandem aliquando omnia atheorum systemata: omnes athei, qui idealistæ non sunt, epicuream crambem recoquant.

470. Facile est ex communibus notionibus et ex alibi dictis, decumanos hujus commenti errores deprehendere. Hujusmodi sunt spatium vacuum reale et infinitum (204); atomi improductæ (184), infinitæ (157) et æternæ; motus æternus (190) et atomis essentialis; figura, magnitudo, mutua distantia atomorum nulla ratione sufficiente determinatæ; earumque fortuita declinatio. Sed his aliisque omissis, dico, etiamsi atheis hæc omnia quæ inverecunde sibi dari postulant, permittantur, adhuc absurdissime asseri, ordinem qui in mundo est, casu, i. e. nulla dirigente intelligentia, constitui potuisse. Etenim præter atomos cum suis essentialibus proprietatibus, hæc necessario supponenda sunt, ut mundi formatio explicetur.

471. 4^o Supponi debet dispositio primordialis atomorum ejusmodi, ut cæ deinde viribus suis in se mutuo agentes, mundanum systema, et planetarum globos, et in tellure atmosphæram, maria, flumina, terras, montes vallesque efficerent. Hæc porro dispositio primordialis atomorum, qua delineatio, ut ita dicam, mundi tota continebatur, ab essentia materiæ non est. Ergo ab alia causa effecta est. Et cum non intelligentiam modo, sed altissimam sapien-

tiam postularret, non cuiuscumque causæ, sed causæ summo intelligenti tribuenda est.

2° Supponi debet motus primitivus atomis communicatus, sine quo materiales vires nullum effectum producere poterant. Materiales enim atomi sunt ad motum quietemve indifferentes. Ergo ex sui natura motum non habent. Sunt præterea essentialiter inertes, nec semetipsas sive ad motum sive ad quietem determinare possunt.

3° Supponi debet causa a materia elementari ejusque viribus distincta, quæ corpora organica formaverit, et œconomiae tam vegetalis quam animalis leges constituerit (193, 5°).

4° Ne dicam de sensitivæ vitæ phænomenis et de instinctu motuque animalium, ad quæ explicanda nec materiæ vires nec ipsa sufficit organizatio, certe intelligendi principium ejusque cum corpore conjunctio a nullo agente materiali et non intelligente repeti potest. Quomodo enim, ut cetera omittam, quomodo poterat intelligentia a causa non intelligente prodire?

Concludamus. Etiam si Epicuro et atheis ea omnia permittantur, quæ ipsi non probant, sed supponunt, a nobis autem falsa et absurda probantur, etiam si, inquam, hæc omnia ipsis permittantur, adhuc tamen eo quo spectant, pervenire non possunt, ut nempe testimonium quod auctori suo rerum natura tribuit, aliquo modo infirmant.

472. Obj. 4° Nullæ dantur in rerum natura causæ finales. Nam

a) Cum physicas causas ignoremus, finales excogitavimus.

b) Revera Ens supremum nulla re eget. Ergo agere propter finem non potest.

c) Fieri casu potest, ut quædam similitudinem accipiant operum, quæ ab intelligentia ad finem ordinantur.

473. Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Nego* quod inepte asseritur. Et nota, alteram ex his cognitionibus, quemadmodum alteram supplere non potest, ita eam juvare et promovere. Nam et quo magis rerum physicæ causæ cognoscuntur, eo melius ac plures intenti fines apparent; et non raro finales causas perscrutando, physicas quoque cognovimus.

Ad 2. *Conc. ant. dist. cons.* Nequit agere propter fi-

nis consecutionem, tanquam propter bonum quo indigeat, *conc.* Nequit agere cum fine, seu opus dirigere ad assequendum finem ipsi præstitutum, *nego*.

Ad 5. *Dist.* casu absolute dicto nempe sine ulla causa, *nego*; casu relative dicto (114), nempe ex concursu accidentali causarum quæ effectum aliquem non intendunt, *subd.* et hæc possunt facile distingui a rebus vere ordinatis ad finem, *conc.* non possunt, *nego* (149).

474. Obj. 2^o Fieri potuit, ut hic naturæ ordo casu prodierit ex fortuito atomorum concursu.

Nam fortuitæ atomorum concursantium conjunctiones, tempore infinito, possibles omnes combinationes efficere debent.

Atqui inter omnes possibles combinationes est etiam hæc rerum universitas. Ergo.

Addunt paritatem: si notæ omnes typographicæ, quibus Virgilii poema constat, jactibus combinentur infinitis, saltem semel Virgilii poema dabunt.

475. Resp. primo. *Neg. maj.* quæ ex multiplici capite falsa est et absurda.

1^o Propter absurdas illas et gratuitas suppositiones, quas continet hoc atheorum somnium.

2^o Quia ut habeantur omnes possibles combinationes, necesse est insuper supponere, unamquamque atomum spatii infinitatem quaquaversus, et secundum omnes directiones, percurrere posse. Necesse est enim, ut quæque atomus reliquis omnibus et singulis jungatur. Hæc autem nova suppositio novum est absurdum; quia obtrudit nobis effectus infinitos absque ulla causa: quæ enim vis hac illac atomum, et in omnes partes infiniti spatii, propellere poterit?

3^o Quia falsum absolute est, tempore vel infinito, omnes combinationes possibles in actum prodire debere: quin imo impossibile plane est, ut omnes in actum prodeant. Ad hoc enim requireretur tempus infinitum infinities multiplicatum per infinitum.

476. Resp. secundo. *Dist. min.* Inter combinationes possibles est etiam hæc rerum universitas; nempe inter combinationes intrinsece possibles, *conc.* inter combinationes extrinsece possibles, *subd.* spectata virtute causæ intelligentis, *conc.* secus, *nego*.

Ad allatum exemplum resp. *negando paritatem*.

Nam qui hæc obijciunt, supponunt notas typographicas jam rite formatas, et determinato illo numero contineri, et latinæ solum scripturæ elementa exhibere; quæ omnia intelligentiam formantem requirunt. Supponunt deinde omnes in urnam projici, et in talem urnam, urnaque ab aliqua vi agitata, unam post alteram ex angusto foramine demitti, et juxta latera quæ litteris exsculptis sunt notata, demitti; quæ iterum omnia causam requirunt, eamque intelligentem. Supponunt denique eos characteres intra finitum spatium disponi et super stabili solo collocari; id quod de atomis in spatio quaquaversus infinito dispersis supponi non potest.

Verum hæc omnia quum supponunt, jam supponunt intelligentem causam studiose omnia præparantem, quæ requiruntur ut possibilis sit Æneidos impressio. Nil mirum igitur, si in his omnibus adjunctis ea dici possit, imo et debeat etiam extrinsece possibilis. Sed in atheorum hypothesi omne intelligentiæ consilium, omnis dispositio ac directio excluditur, imo multa supponuntur fieri sine ulla causa.

477. Obj. 5^o Ut explicetur mundi ordo, nihil aliud necesse est supponere, nisi vires quas materia habet.
Nam

a) Revera ab his viribus omnia fiunt.

b) Præsertim, cum ignotum sit, quousque pervenire possint naturæ vires.

478. Resp. ante omnia supponendam esse materiæ existentiam. Materia autem non potest a se existere.

Resp. deinde. *Dist. ant.* Vires constitutas, definitas, dispositas, *directas* consilio supremæ intelligentiæ, *conc.* vires tantummodo materiæ essentielles, et nullum aliud agens præter eas, *nego.* V. dicta superius (474).

Ad 1 rationem, eandem distinctionem adhibeto.

Ad 2. *Dist.* Ignoramus quousque pervenire possint vires naturæ, i. e. materiæ agentis sub legibus ac directione supremæ intelligentiæ, *tr.* vires materiæ per se, *nego.* Etenim materia per se nihil potest, nec vires ullas habet, cum per se neque possit existere. Et quamvis existat, non potest per se ea efficere, quæ sapientissimum consilium, et facta et leges ab ejus essentia independentes supponunt.

ARTICULUS IV. ARGUMENTUM MORALE

Propositio I

479. *Universalis et constans humani generis in agnoscenda divinitate consensio atheos omnino profligat.*

Etenim si humanum genus in agnoscenda divinitate constanti iudicio consensit, iudicium hoc falsum dicere nefas est.

Atqui genus humanum in agnoscenda divinitate constanti iudicio semper consensit. Ergo.

Probatur in primis minor, quæ factum continet; et probatur, quemadmodum facta probanda sunt.

480. Primo testibus. Sunt autem

1^o Historici omnes ac viatores. Quicumque enim tum de veteribus populis, tum de recentius cognitis notitiam tradidere, eorum quoque numina ac religiones memorarunt, non solum obiter et per occasionem, sed quotiescumque eorundem mores, instituta, leges descripsere. Penes omnes populos reperies ritus aliquos religiosos, auguria, sacrificia, dies festos, saltem solemnem aliquam invocationem viguisse.

2^o Ab antiquissimis usque philosophis, ii fere omnes, qui vel data opera vel obiter atheos refutarunt. Nam ab hoc præsertim consensu argumentum deprompsere. Illud autem factum, unde demonstrationis medium a sapientibus viris constanter desumitur, debet esse probatissimum, notum omnibus, et ab ipsis adversariis admissum.

3^o Revera recentiores quoque athei hoc nobis concedunt.

481. Probatur secundo vestigiis facti. Hæc sunt

1^o Scripta quæ supersunt, poemata præsertim omnium gentium antiquissima, traditiones, populares cantus; quorum fere omnium argumenta a Diis, a Deorum historia, a mundi originibus divinis, a Deorum cum homine relationibus desumuntur.

2^o Aræ, luci sacri, templa, statuæ, picturæ, numismata, sepulcra, vasa omnis generis, domestica ipsa supellex, arma, muliebria ornamenta, etc.

3^o His accedit vivum linguarum monumentum. In om-

nibus enim linguis voces sunt, quæ Ens supremum significant, et ad Numinis cultum referuntur.

482. Probatur major, seu vis facti ad demonstrandum.

Si hoc iudicium dicere velis falsum, profecto aliquam causam supponere debes, quæ omnes homines in hunc errorem pertraxerit, omnesque in erronea persuasione defixerit. Non enim errat homo, nisi causa aliqua intersit, quæ rationem in transversum agat. Cum autem error iste fuerit universalis et constans, causam quoque illius universalem atque constantem fuisse, existimandum profecto erit. Atqui causæ omnes, quæ humanam rationem in errorem adducere solent, hac in re insufficientes apparent. Etenim causæ hujusmodi omnes continentur tandem aliquando influxu voluntatis, quæ inclinationibus, desideriis, cupiditatibus suis ad iudicium imperandum moveatur (L. 270, 4^o). Quæ omnia potius vel ad oppositam sententiam homines traxissent, vel certe in varias opiniones distraxissent. Quapropter si quis iudicium hoc falsum dicere velit, is supponat necesse est vitium aliquod ipsi rationi inhærens, quo factum sit, ut omnes in hunc errorem naturaliter devenerint. Quod quidem cogitare nefas est (L. 247).

Quæ cum ita sint, statuendum est hunc omnium intelligentiarum consensum non aliunde prodiisse, quam a veritatis evidentiâ, quæ omnibus naturaliter ultro affulserit.

483. Confirmatur hæc eadem conclusio.

Nam 1^o altissimas in humana ratione radices necesse est ut habeat illa persuasio, quæ ex perpetuo examine firmior semper evenit; quæ cum morum humanitate et ingeniorum cultura crevit; quæ scientiæ suffragiis confirmata est; cujus adversarii omnibus fuerunt semper exosi. Atqui talis est persuasio de divinitatis existentia. Ergo.

2^o Magnum quoque accedit argumento robur si consideres validissima quædam impedimenta, quæ hanc persuasionem in animis hominum labefactare, imo etiam eradicare ex iis potuissent. Hujusmodi sunt barbaries multarum gentium magnaque vitia, obvia quædam sophismata contrarium suadentia, turpissima polytheismi commenta, ac

molestia quam hominum cupiditatibus infert persuasio de divinitatis existentia. Quibus consideratis validissimum hoc habes argumentum.

Maxima sane esse debet evidentia illius iudicii, quod non obstantibus gravissimis difficultatibus, tam internis, quam externis, in omnium hominum mentibus constanter inhaesit. Atqui tale est iudicium humani generis de divinitatis existentia. Ergo.

Propositio II

484. *Consensio hæc non ab educationis præjudiciis, non a legislatorum fraude, nec a naturalium causarum ignoratione, nec ab inani metu, originem duxit.*

Hic quoque athei suas nobis opponunt hypotheses, sed æque ineptas, ac præcedentes.

Dicunt in primis, persuasionem hanc esse *unum ex educationis præjudiciis.*

At 1^o educatio penes diversos populos diversa est, penes quosdam nulla; variantur item educationis principia et methodi.

2^o Præjudicia educationis facile deponuntur ætate ipsa, experientia, aliorum consuetudine; saltem a sapientibus viris, et penes cultas nationes: præsertim si cupiditatibus humanis ipsa præjudicia molesta sint.

485. Aiunt deinde, *legislatorum ac principum fraude* hanc opinionem inductam fuisse, ut populi in officio continerentur.

Sed 1^o Dei notio viget etiam apud sylvestres illos populos, qui nullum unquam legislatorem, nullam legem habuerunt.

2^o Quomodo vero omnibus omnium gentium legislatoribus hoc in mentem venit, ut per eandem fraudem populis imponere vellent? Omnibus dico: nam omnibus populis, etiamsi nullo inter se vinculo essent colligati, idea isthæc inhaesit.

3^o Quomodo tam felici apud omnes successu hæc persuasio propagata est? Quomodo nunquam detecta fuit, nec a sapientibus viris, quinimo illos quoque illaqueavit? Quomodo perseveravit adeo inconcussa persuasio hæc per

fraudem inducta, præsertim cum non defuerint qui eam expugnare tentarent, ac populum dedocere?

4° Qui primitus hanc persuasionem induxerunt, eamque tam firmiter mentibus impresserunt, vel ad eam confirmandam usi sunt rationibus falsis, vel certis et evidentibus. Si primum dicas, impossibile dicis. Quomodo enim fieri potuit, ut unus homo vel pauci homines totum genus humanum, motivis ad suadendum minime idoneis, in tam obfirmatam constantemque sententiam pertraherent? Si alterum, sane Dei existentia certa et evidens sit oportet, quæ certis et evidentibus demonstratur argumentis.

486. *Ignorantia*, inquit, Deos induxit. Homines enim, qui naturalium phænomenorum causas cognoscere, aut saltem assignare utcumque aliquas, honori sibi ducunt, cum veras ignorarent, fictam, ut assolet, excogitarunt, ens nempe invisibile ac potentissimum.

Sed 4° Si ita est, scientiæ luce hominibus affulgente, opinio hæc evanescere debuisset. Atqui nihilominus eo firmior facta est, quo magis rerum naturalium cognitio profecit.

2° Hinc physicorum peritissimi Deum esse agnoverunt, ac summopere venerati sunt.

5° Revera omni tempore nihil habitum fuit opportunius, ad Dei existentiam demonstrandam, quam naturalium causarum et ordinis mirandi quo illæ agunt, cognitio.

4° Demum si athei totum naturæ ordinem, ipsamque rerum existentiam per naturales causas explicare possunt, prima illa neglecta, proferant quod habent. At quid ferunt? Seriem infinitam, materiam improductam, ordinem sine ordinante et fortuitum atomorum concursum. Præclaras sane res, et profecto novas! Hinc jure meritoque ignorantæ notam, quam toti humano generi inurere ipsi non verentur, in ipsorum caput rejicere possumus.

487. *Metus* denique, si ipsos audias, Deos confinxit.

*Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo
Fulgmina quum caderent.*

Respondeo 4° Ergo in solis meticulosis, in solis pueris atque mulierculis Dei notio inveniri deberet, non item in iis qui constantem impavidumque animum gerunt. At contrarium experientia docet.

2° Cognitis horum phænomenorum causis, persuasio illa aboleri debuit, saltem in hominibus qui præjudicii non ducuntur, saltem in sapientibus.

5° Sed esto : sit idea Dei ex timore orta. Ut aliquid proficerent, deberent athei ostendere, timorem hunc irrationabilem esse; quod profecto ostendere possent, si demonstrarent terribilia naturæ phænomena non habere ultimam aliquam causam, a qua tandem aliquando dependeant. Id tamen adhuc non præstiterunt.

4° Hinc fit, ut timor iste nec ab ipsis atheorum animis exulare unquam possit. Atque hic timor ipse vera atheismi origo est. Quia enim vindicem timent, ut cupiditatibus suis licentius indulgeant, et conscientiæ latranti offam porrigant, idcirco Deum non esse persuadere sibi conantur. Non igitur *Deos fecit timor*, sed *atheos*.

488. Obj. 4° Consensus humani generis in agnoscenda divinitate dici nequit universalis. Nam

a) Testantur idonei scriptores, exstitisse antiquitus populos atheos.

b) Idem testantur viatores, de barbaris incolis regionum recentius exploratarum.

c) Postremo philosophi non pauci, et veteres, et recentiores, athei fuerunt. Horum autem iudicium pluris valet, quam vulgi consensus.

489. Resp. *Dist. ant.* Consensus... dici nequit universalis metaphysice vel physico, *tr.* moraliter, *nego* (L. 78). Quanquam probari aliunde posset, nullam plane hac in re dari exceptionem in hominibus ratione utentibus; id tamen experientia sola non constat. At consensus moraliter universalis abunde sufficit ad argumentum.

490. Ad 4. *Dist.* Et hujusmodi testimonia universalis consensus vim non infirmant, *conc.* infirmant, *nego*.

Etenim 4° pauci illi scriptores, qui hæc tradiderunt, fere semper dubitantium more loquuntur; quod ostendunt ii loquendi modi quos adhibent: *dicitur*, *fama est*, etc.

2° Alii sæpe scriptores, et ipsa quandoque monumenta contrarium testantur.

5° Populi quidam, seu potius quædam tribus atheæ dictæ sunt, improprie et immerito: vel quia homines impii essent, et practice athei, vel quia ritibus publicis externoque cultu carerent, vel quia populares græcorum deos non colerent; qua de causa hebræi ipsi, atque adeo christiani, tanquam athei traducti sunt.

4° Demum gentes illas quæ atheæ fuisse dicuntur, barbaras plane fuisse, et belluarum in morem vitam agitasse,

in comperto est. Jam si qua hujusmodi gens vere fuisse aliquo tempore athea probaretur, quid inde? An rationis fructus quæras apud eos, qui morum immanitate efferati atque hebetati, rationis usu pene carent?

491. Ad 2. *Dist.* Viatores omnes id testantur, *nego*; quidam, *subd.* ita ut postea falsa reperta sint, quæ ipsi non satis exploraverant, ac temere affirmaverant, *conc.* secus, *nego*.

Ad 3. *Tr.* Ad rat. additam, *dist.* ubi constet erroris causas vulgi iudicium non pervertisse, *nego*; ubi non constet, *subd.* si plerique philosophi et illustriores contraria sentiunt ac reliqui homines, *tr.* si pauci et minoris auctoritatis, *nego*.

Philosophi qui athei dici merentur, paucissimi sunt, et philosophi nomine vix aut ne vix quidem digni. Ceterum errare posse quosdam philosophos certissimum est, nec mirum videri debet, ubi præsertim erroris causæ sunt manifestæ. At genus humanum universum hac in re errasse magna foret absurditas (482).

492. Obj. 2º Consensus iste, quamvis exstitisse concedatur, nullam tamen ad probandum vim habet.

Quia a) diversi a diversis populis dii colebantur. Ergo nullus Deus est, qui pro se universale suffragium habeat.

b) Plures populi per plura sæcula polytheismum professi sunt. Atqui polytheismum profiteri, perinde est ac profiteri atheismum. Nam *pluralitas deorum*, Tertulliano teste, *nullitas deorum est*.

c) Demum multæ persuasiones universales repertæ sunt falsæ.

493. Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Dist. ant.* Et hæc discrepantia afficit iudicium de existentia alicujus divinitatis, *nego*; versatur circa ideam, qua divinitas exhiberi potest, *subd.* circa ideam determinatam et completam, *conc.* circa ideam indeterminatam et inchoatam, *nego*.

Dist. cons. secundum quod divinitas exhibetur conceptu determinato et completo, *conc.* secundum quod exhibetur conceptu indeterminato et inchoato, *nego*.

Ad 2. *Tr. major. Nego min.* et *dist. rat. add.* si res consideretur secundum se, *conc.* si ex opinione earum gentium, *nego*.

Ad 5. *Dist.* Persuasiones universales et constantes, *nego*; universales, *subd.* ita ut erroris causa, imo et occasio assignari possit, *conc. secus, nego*. V. dicta in Logica (L. 247), et in hoc argumento.

CAPUT II

DE ESSENTIA DIVINA

494. Sequitur secundo, ut quæ de essentia divina dicenda sunt, proponamus. Hæc ad quatuor capita revocari possunt: 1^o nempe dicendum de essentiæ divinæ notione; 2^o de infinita ejus perfectione; 3^o de ejus distinctione a rerum unitate; 4^o de ejusdem unitate.

ARTICULUS I. DE NOTIONE DIVINÆ ESSENTIÆ

495. Duplici via, postquam sub conceptu primæ causæ cognovimus Deum esse, a creatis rebus assurgimus ad cognoscendum *quid Deus sit*: via nempe *remotionis*, et via *analogiæ*. Deus enim a nobis primo cognoscitur secundum duplicem habitudinem ad res finitas, nempe ut earum principium, et ut ipsis longe supereminens (458). Quia ergo illarum principium est, perfectiones omnes, quæ in iis sunt, aliquo modo continere debet (448); et quia illis longe supereminet, carere debet imperfectionibus omnibus, quæ in rebus inferioribus inveniuntur. Primo igitur via remotionis imperfectiones istas in Deo esse negamus, et hoc pacto dicimus Deum v. gr. infinitum vel immensum; deinde via analogiæ rerum creatarum perfectiones, a nativis defectibus purgatas, ipsi tribuimus: sic dicimus Deum v. gr. intelligentem et liberum; non tamen ita ut sunt ea quæ ipse produxit, sed multo magis ac melius. Ex quo vides, etiam dum viam persequimur analogiæ, remotione nos uti: ac propterea de Deo nos cognoscere potius quid non sit, quam quid sit.

496. Essentiam divinam vocamus perfectionem illam, quam ratio nostra concipit tanquam primum Dei constitutum, quatenus a creaturis differt; et a qua mens progredi possit ad perfectiones ceteras ipsius demonstrandas. Ceteras hasce perfectiones attributa nuncupamus; non quia ad modum qualitatum quarumdam ab essentia, tanquam a radice dimanent, sed quia ab illa ratiocinando deducuntur.

Ceterum ex dictis manifeste colligitur (459); id quod primo de Deo concipitur, hoc esse, quod sit *Ens a se, sibi-que sufficiens ad existendum*; ex hoc ipso ceteras Dei perfectiones deduci posse, infra patebit. Esse ergo a se (*aseitas*), essentia Dei merito appellatur.

Propositio I

497. *Divina essentia non est in ullo genere, quod sit ipsi et alicui alteri naturæ commune.*

Ratio enim per genus significata indifferentis est ad plures differentias, quibus ad species diversas determinatur; nullam enim differentiam hujusmodi essentialiter habet. Ratio ergo generis in suo conceptu indifferentiam ad existendum includit; non enim potest existere sine aliqua differentia. Propterea quidquid sub genere aliquo continetur, est in suo conceptu indifferentis ad existendum.

Propositio II

498. *Deus et creatura non univoce dicuntur ens, sed analogice.*

Deus enim ita est ens, ut sit ens a se; creatura vero ita est ens, ut sit ens ab alio. Itaque in ipsa entis ratione discrepant. Vide alibi dicta de substantia et accidente (62).

499. De hac porro analogia duo notanda sunt. 4^o Analogia inter Deum et creaturas est ea quam dicunt proportionis (L. 58). Deus enim primario est ens, creatura vero dependenter ab ipso: eatenus enim est ens, quatenus aliquo modo imitatur Dei essentiam, ab eoque procedit tanquam a causa. Nihilominus si vocis significatio spectetur, ens prius de rebus finitis dicitur, quam de ente infinito;

illæ enim a nobis cognoscuntur et appellantur entia, antequam Deum earum causam cognoscamus et appellemus ens.

2^o In hac analogia entis, forma per vocem significata, quanquam sit in utroque analogo diversa, est tamen utrique intrinseca et propria; nam ens finitum dicitur ens a propria entitate, non ab entitate entis infiniti, prouti medicina dicitur sana ab animalis sanitate.

ARTICULUS II. DE INFINITA DEI PERFECTIOE

Propositio I

500. *Ens actu infinitum est ens absolute perfectum.*

Infinitum enim in iis reperiri potest, quæ magis minusve recipiunt. Hæc autem sunt quantitas vera, sive continua sive discreta, et quantitas metaphorica, quæ qualitatis gradibus constat (75); videlicet magnitudo, multitudo, perfectio. Atqui infinitum reperiri nequit in multitudine (157), nec in magnitudine (182, 2^o). Ergo si quid infinitum est, id in entis alicujus absoluta perfectione reperitur. Ens itaque infinitum est ens absolute perfectum (127).

Propositio II

501. *Infinita perfectio proculdubio non continetur finitæ perfectionis gradibus interminabili incrementorum serie multiplicatis: nec ita nos in infinitum concipimus, ut Lockius putavit.*

Si enim ita esset, infiniti notio inter conceptus chimæricos esset rejicienda. Exhiberet enim tanquam completum, id quod compleri nequit; i. e. indefinitum factum infinitum; adeoque numerum infinitum realem (157). Non sic igitur infiniti entis conceptum mens nostra efformat, sed hoc pacto, ut alibi inuimus (402). Primo elementa quædam ad illud nobis repræsentandum desumimus ex ideis realitatum ac perfectionum quas experientiæ ope collegimus; deinde ratiocinando intelligimus, perfectiones quas hoc ens possidet, non esse in eo imperfectionibus quas illæ in nobis habent, aut aliis quibusvis imperfectionibus admixtas, sed

modo perfectissimo ac sine ullius umbra defectus; demum cognoscimus non has solum, sed possibles omnes perfectiones in eo esse oportere, ita ut nihil illi desit quod ad entis perfectionem pertineat. Nempe, ut supra diximus (495), infiniti conceptum formamus via analogiæ, ac via remotionis.

Propositio III

502. *Deus est ens actu infinitum.*

Nam Deus est ens a se. Sed ens a se nullam potest habere limitationem seu imperfectionem. Non enim vi essentiæ suæ limitibus circumscribitur, nec ab alio limitari potuit, nec a seipso.

Non est limitatum vi essentiæ suæ. Etenim essentia entis a se est actu esse (460, 2°). Nulla autem pura perfectio cum hac essentia pugnat; omnis enim pura perfectio est aliquod esse. Nullus quoque defectus ab hac essentia necessario dimanat; nam defectus inest rei secundum quod aliqualiter non est; in conceptu vero ipsius esse non continetur, ut aliqualiter non sit; non enim idcirco aliquid est limitatum quia est, sed quia est hoc aut illud, v. gr. lapis, planta, homo.

Non potuit insuper ab alio limitari, quia ab alio non pendet, nec esse participatum habet. Non a seipso, quia suiipsius causa non est. Ergo.

503. Notanda hæc sedulo :

1° Deus omnes quidem perfectiones continet, sed modo diverso. Perfectiones enim *simplices* (129) continet *formaliter* (118); mixtas autem *eminenter*, et *virtualiter* (ibid.). Ratio est, quod perfectiones simplices nullam continent imperfectionem, nec ulteriorem realitatem excludunt; mixtæ vero sunt cum imperfectione conjunctæ, quia majorem aliquam perfectionem natura sua excludunt. Illæ igitur in Ente perfectissimo possunt esse secundum propriam rationem; istæ vero eo solum modo, qui nullam contineat imperfectionem, nec ulteriorem realitatem excludat.

2° Ipsæ perfectiones simplices, quæ formaliter in Deo sunt, non sunt tamen in illo secundum eam ipsam rationem quam in rebus creatis habent, sed multo eminentius.

Nam in rebus creatis multæ perfectiones hujusmodi sunt accidentia, ut est sapientia, justitia, sanctitas : omnes vero sunt limitatæ et participatæ. In Deo autem nihil esse potest, quod accidentale sit aut imperfectum aut participatum. Sunt ergo illæ perfectiones in Deo secundum sui rationem absolutam, et abstractam a modo quo sunt in creaturis.

5° Intelliges demum ex dictis, quo sensu Deus dicatur *ipsum esse, totum esse, plenitudo essendi*, videlicet non quia Deus sit omnia quæ sunt, aut esse formale omnium, id quod pessimus est pantheismi error, sed quia omnem puræ perfectionis realitatem qua essendi actus nobilitari potest, natura sua ipse complectitur.

ARTICULUS III. DE PANTHEISMO

504. Prænotandum est, sophistas plures, a vetustissimis temporibus ad hæc usque nostra tempora, errorem hunc docuisse : Deum esse rerum omnium congeriem. Pessima hæc humanæ mentis aberratio varias in variis ætatibus induit formas : quæ tamen ad duas revocari possunt, quarum primam *pantheismum realem*, alteram *idealem* appellare licet.

Pantheismus realis statuit, res omnes vel a divina substantia effluxisse, vel Dei seu individuationes seu modificationes esse. Ilanc pantheismi formam Baruch Spinoza perfecit, seu potius crassiorem effecit ac materialisticam, docens unicam esse substantiam, cujus duo sunt attributa cogitatio et extensio; quidquid vero existit, substantiæ hujus, secundum unum aut alterum modum, affectiones esse.

Pantheismus idealis idealismum cum pantheismo consocians, infinitæ unitatis evolutionem non aliam admittit, quam phænomenalem et idealem; ita ut subjectum et objectum, cognitio et existentia unum idemque sint. Hujus pantheismi vere transcendentalis absurditas Fichte, Schelling, Hegel auctores potissimos habuit.

Itaque proposita quæstio satis elucidabitur, si refellamus 1° pantheismum generatim consideratum; 2° pantheismum realem et materialem Spinosæ; 3° pantheismum idealem in genere.

Propositio I

503. *Pantheismi doctrina in se est contradictionum cumulus, et in suis effectibus perniciosissima.*

Primo est contradictionum cumulus.

Systema enim identitatis universalis mundum hunc adspectabilem facit ac vocat Deum, nempe ens a se, necessarium, independens; neque alium, præter mundum, Deum agnoscit. Jamvero hæ duæ idææ, mundus ac Deus, in omnibus maxime opponuntur. Ergo hæc idearum complexio: *Deus-mundus*, contradictionum acervum continet necesse est.

506. Revera a) mundus est evidenter *contingens*. Patet ex alibi dictis (184, 251). Absurdissime igitur mundus cum ente necessario confunditur.

b) Deus, nempe ens a se, est *simplex, immutabilis, æternus*, ut in sequentibus ostendetur; et ut jam ostendimus (500), est *infinite perfectus*.

Atqui mundus est *compositus* ex partibus realiter distinctis. Est *mutabilis*, ut perpetua patet experientia. *Nec est, nec potest esse æternus*, ut alibi demonstravimus (190). Est insuper necessario *finitus*: nam id quod pluribus partibus coalescit, limitibus necessario constringitur (182, 2º). Est igitur *imperfectus* et absolute et relative (128). Absolute quidem, quia non est ens optimum, ut patet ex dictis: relative vero, quia mundus hoc melior concipi potest.

c) Deus quia ens infinito perfectum, est *beatissimus, sapientissimus, sanctissimus*. Si autem Deus est mundus, Deus in homine patitur dolores, morbos, animi angustias, egestatem, mortem; Deus se non cognoscit, nisi per humanum intellectum, idemque in homine dubitat, ignorat, inquiri, errat, somniatur et demens est: Deus in homine humanis omnibus passionibus est obnoxius, omnibusque humanis sceleribus sordescit. Ergo nec beatus, nec sapiens, nec sanctus est.

507. Secundo: pantheismi doctrina est in suis effectibus perniciosissima.

Nam 1º quæcumque ab atheismo, eadem et a pantheismo

incommoda ac mala consequuntur. Pantheismus enim nihil aliud est, quam larvatus atheismus. Revera quid differt, si Deum esse neges, ac si Deum appelles rerum omnium collectionem, aut abstractum quiddam quod ex necessitate se evolvat, et cujus maxima manifestatio ac perfectio sit humanitas? Quam reverentiam Deus iste sibi vindicabit, quem amorem? Eritne possibilis religio?

2° Imo multo magis lethale est pantheismi virus, quam atheismi. Atheismus enim nec humanam libertatem tollit, nec intrinsecum discrimen inter bonum et malum, saltem funditus, extirpat. Sed pantheismus cum omnia ferreae necessitati et ineluctabili fato subjiciat, nullum libertati locum reliquum facit. Ex quo nulla amplius inter virtutem ac vitium distinctio esse potest, nullum amplius officium, nullum jus, ac propterea nulla moralis lex.

508. Obj. 4° Præter ens infinitum, nullum aliud ens ab eo distinctum intelligi potest.

Si enim existeret corpus infinitæ magnitudinis, nullum aliud corpus posset existere. A pari.

Resp. *Nego ant.*

Ad rat. add. *Tr. ant. neg. cons. et paritatem.* Si enim corpus infinitæ magnitudinis existeret, certe nullum aliud existere posset in serie continua cum illo; quia illud, ex eo quod infinitum esset, omnia idealia spatia occuparet, ac proinde adæquaret impleteretque possibilitatem corporum quæ in serie continua coexistere possunt (200). Sed Ens infinitum non explet omnium entium possibilitatem; quia non est omne ens, sed Ens perfectissimum, eminenter reliqua continens. Propterea alia entia non excludit. Imo alia entia possibilia non sunt, nisi ex eo quod existit Ens infinitum, quod et omnis intelligibilitatis fundamentum est; et potest efficere ut sint quæ ex se nihil sunt.

509. Obj. 2° Infinitum non foret amplius infinitum, si aliquid ipso majus cogitari posset. Atqui si extra Ens infinitum essent entia finita, jam aliquid infinito majus cogitari posset.

Nam Ens infinitum, una cum entibus finitis, esset aliquid majus solo infinito.

Resp. *Dist.* Si ens aut complexio entium superans perfectione infinitum cogitari posset, idem infinitum non foret amplius infinitum, *conc.* si entium summa numerica uni-

tate infiniti major cogitari potest, *nego*, et *contradist. min.*

Ad rat. add. eadem adhibeatur distinctio.

Sane cum Ens infinitum unum sit, additis entibus finitis, ex his et Ente infinito fit numerus unitate major. Sed quod Ens infinitum una cum finitis, numerum constituat, nihil ejus perfectioni derogat, si complexio illa ex Infinito et finitis non constituat aliquid Infinito majus, nec quoad perfectionum partialium numerum, nec quoad perfectionis totalis intensitatem. Atqui neutrum contingit.

Nam quod ad primum pertinet, Infinitum omnes finitorum entium perfectiones perfectissime in se uno continet. Ergo complexio illa nullam exhibet perfectionem, quæ jam in solo Infinito cumulativissime non sit.

Quod vero spectat ad alterum, sufficit illud animadvertere: id solum in complexione intensius, quam in singulis partibus reperiri, in quo singula conveniunt; quemadmodum v. gr. si nummo aureo duos asses addideris, major est in hæc summa, quam in solo aureo valor: quum vero res additæ in aliquo essentialiter discrepant, id in quo discrepant, non est in collectione magis quam in partibus intensum; ut si homo sapiens nummum aureum inveniat, non idcirco majorem complexio hæc exhibet sapientiam. Jam vero Deus et res finitæ, ut supra demonstravimus (497, 498), in nulla prorsus perfectione univoce conveniunt. Ergo complexio ex Deo et rebus finitis perfectionem intensiorem non exhibet, sed duas perfectiones omnino diversas.

510. Obj. 5^o Si entia finita præter Infinitum existunt, existimandum erit, ea fuisse ab Infinito producta. Sed productio hæc admitti non potest.

Nam vel entia finita continebantur jam in Ente infinito, vel non. Si primum, non fuere producta, sed educta; ideoque ad Infiniti substantiam pertinent. Si alterum dicitur, jam productio omnis repugnat; quia ex nihilo nihil fit. Ergo.

Resp. *Conc. maj. Neg. min.*

Ad prob. *Omitto ant. et cons.*, quod ex primo disjunctivæ membro inferitur. *Nego* partem alteram, et *dist. rat. add.* Ex nihilo, tanquam ex materia aut subjecto, nihil fit, *conc.* ex nihilo tanquam termino a quo, *subd.* per potentiam finitam, *conc.* per potentiam infinitam, *nego*.

De productione ex nihilo alibi disseruimus (485, 486, 4^o).

Propositio II

344. *Tres assertiones quibus Spinosæ pantheismus continetur sunt errores turpissimi et manifesti.*

Assertiones istæ sunt hujusmodi :

1^a Unica existit in mundo substantia.

2^a Unius ejusdemque substantiæ attributa necessaria sunt cogitatio et extensio.

3^a Substantia unica, cogitans simul et extensa (mundus), est infinita.

512. Itaque 4^o Falsum est *unicam existere in mundo substantiam*; id quod ex ipsis Spinosæ definitionibus, quanquam dolose constructis, facile demonstratur.

Nam a) omne id quod in se est, et non in alio, omne id cujus conceptus non formatur per conceptum alterius, est, etiam juxta Spinosam, vere substantia. Atqui lapis iste v. gr. est in se, et non in hoc equo, nec in aliquo alio, et vicissim hic equus non est in lapide, nec in alia re; itemque lapidis hujus, aut hujus equi conceptus non formatur per alterius rei conceptum, sed per notas ab objecto ipso mihi exhibitas. Ergo hic lapis est substantia, hic equus est substantia. Ita omnes lapides, ita omnes equi, ita omnia quæ ad substantiæ categoriam revocantur.

b) Duo modi inter se oppositi in eodem subjecto esse nequeunt; v. gr. figura quadrata et rotunda, motus et quies, et similia. Ergo duo modi oppositi duo distincta subjecta requirunt. Modi autem juxta Spinosam sunt substantiæ affectiones. Ergo subjectum modorum est substantia. Duo ergo subjecta sunt duæ substantiæ. Ergo quot perspicimus modos inter se oppositos, tot certe sunt distinctæ substantiæ.

2^o Absurdum est *cogitationem et extensionem unius ejusdemque substantiæ attributa esse.*

Hoc jam in superiore libro demonstratum est (262).

5^o Absurdum quam maxime est *substantiam hanc mundi esse substantiam infinitam.*

Primo, quia *cogitans* est, nempe cogitans quemadmodum homo cogitat. Hæc enim cogitandi ratio in Ente infinito prorsus repugnat (506, c).

Secundo, quia *extensa* est. Extensum enim infinitum esse nequit. (182, 2^o).

Tertio, quia et secundum cogitationem, et secundum extensionem *perpetuo mutatur*. Infinitum autem immutabile est, ut mox probabitur.

543. Spinosæ argumentatio, plena quidem dolis, sed dolis minime acutis, huic substantiæ definitioni innititur: *Per substantiam intelligo, ita ipse, id quod in se est et per se concipitur, h. e. id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.*

544. Argumentatio vero ipsa huc redit:

1^o Unica existit, eaque necessaria substantia. Nam ad naturam substantiæ pertinet existere.

2^o Prob. Una substantia non potest produci ab alia. *Erit itaque causa sui; sive ad ejus naturam pertinet existere.*

3^o Prob. ant. duobus modis.

a) Si una substantia posset produci ab alia, ejus cognitio penderet a cognitione alterius. Nam effectus dependet a cognitione causæ, et eandem involvit.

Sed id cujus cognitio pendet a cognitione alterius, non est substantia: patet ex substantiæ definitione. Ergo.

b) Quæ res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest.

Sed duæ substantiæ, diversa attributa habentes, nihil inter se commune habent. Ergo.

4^o Non possunt autem dari duæ aut plures substantiæ ejusdem attributi. Nam distinguerentur solum ex affectionibus: in se ergo consideratæ, non distinguerentur, nec essent plures.

545. Tota hæc indigesta machinatio corruet, si in fallacissima illa substantiæ definitione miseras æquivocationes, in ea studiose congestas, distinctione aliqua retexas.

Substantia est id quod in se est. Nempe quod *per se* est, et *non in alio, conc.*, quod *a se* est, et *non ab alio, subd.* substantia infinita, *conc.* substantia in genere, *nego.* Tamen Spinosæ quum dicit *in se*, intelligit *a se*: sic arbitrariam statuit definitionem, et jam ab ipso exordio disputationis gratis asserit quod probare intendit.

Substantia est id, *cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei a quo formari debeat*; i. e. quatenus ab-

solute consideratur, *trans.* quatenus consideratur relative, *subd.* non indiget conceptu alterius rei, tanquam subjecti cui inhæreat, *conc.* non indiget conceptu alterius rei, nempe nunquam includit conceptum alterius rei, tanquam causæ, a qua dependeat, *nego.*

546. Nunc ad argumenta.

Ad 4. *Nego.* Ad prob. *Dist.* Ad naturam substantiæ infinitæ pertinet existere, *conc.* ad naturam substantiæ in genere, *nego.* Nulli enim substantiæ finitæ est essentialis existentia.

Ad 2. *Nego.* Animadvertite absurdam synonymiam: *erit causa sui; sive ad ejus naturam pertinet existere* (460, 4^o).

Ad 5. quoad 4 prob. Si una substantia posset produci ab alia, ejus cognitio penderet a cognitione alterius, *dist.* cognitio ejus absoluta, nempe quatenus est aliqua substantia penderet a cognitione alterius, *nego*; cognitio ejus relativa, nempe quatenus est effectus, penderet a cognitione, *subd.* alterius quod ipsi esset subjectum inhæSIONIS, *nego*; alterius quod sit ipsius causa, *conc.*

Ad rat. add. *Dist.* Effectus involvit cognitionem suæ causæ, si consideretur secundum rationem effectus, *conc.* secus, *nego.*

Contradist. min. Id cujus cognitio pendet a cognitione alterius, non est substantia, si nempe includat cognitionem alterius quod sit ipsi subjectum inhæSIONIS, *conc.* si includat cognitionem alterius, quod sit ejus causa, *nego.*

Quoad 2 prob. *Dist. maj.* Quæ res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest: i. e. quæ nullam habent inter se relationem, *conc.* (causalitas enim est aliqua relatio); quæ communem naturam non habent, *nego.*

Contradist. min. et nego consequentiam.

Ad 4. quo fundamentum præcedentis argumenti continetur, *dist.* Non possunt dari plures substantiæ ejusdem attributi, identitate numerica, *conc.* identitate specifica vel generica, *nego.*

Ad rat. add. *Tr. ant. Dist. cons.* Non essent plures secundum rationem, universale in eis considerantem, *conc.* realiter, *nego.* (L. 225).

Propositio III**517. Pantheismus idealis est eminenter absurdus.**

Nam 1° si omnis idealismus absurdus est, multo magis ille qui hujus systematis basis est; per ipsum enim non modo mundi exterioris realitas perimitur, sed ipsum quoque subjectum cogitans inter phænomena fallacesque illusiones rejicitur; ipsum enim subjectum cogitans est tantummodo unum momentum, una positio evolutionis idealis absoluti; vere nihil ac somnium somniorum, ut ait Fichte.

2° Præterea in idealismo pantheistico, quis est qui vanis hisce speciebus phænomenorum illuditur? Ipsum profecto absolutum et infinitum: ipsum est quod, cum in intellectu humano conscientiam sui habere dicatur, non intelligit se ut est, sed plane aliter, quodque ideales sui ipsius positiones atque transformationes, quibus exterior mundus continetur, esse res a se discretas arbitratur. Qua re quid potest esse magis absonum, aut incredibile?

3° Nec idealismus modo, sed horribilis quoque nihilismus his in doctrinis continetur. Destructis namque exterioribus objectis, ipsoque destructo subjecto, quid nobis reliqui faciunt? Absolutum, inquiunt. Quid porro est tandem aliquando absolutum istud? Esse abstractissimum et omnino indeterminatum; cogitatio pura sine cogitante; et cogitatio, quæ nihil cogitat. Qua in re, quæso, phantasma hoc differt a nihilo?

At absolutum hocce evolvit sese, et fit omnia. Sed quomodo? In ordine ideali, et, quod supra modum absonum est, negationis ope. Et re sane vera, absoluto huic transcendentalium, per quascumque evolutiones, nihil quod reale sit, accedere potest; heic enim vere valet illud: *ex nihilo nihil*. Ergo absolutum hujusmodi, post quascumque evolutiones, re idem est, quod ab initio fuit, verum nihil.

Et hæc in re tali sufficiant.

ARTICULUS IV. DE UNITATE DEI

Propositio

518. *Deus est unicus et immultiplicabilis.*

Ac 1° manifestum est, unicum esse mundi auctorem ac gubernatorem supremum; id quod immediate ex ordinis physici unitate deducitur (182, 4°).

2° Deus est ens infinite perfectum. Ergo parem sibi consortemque divinitatis non habet. Est enim perfectio magna Deoque dignissima, esse primam causam *efficientem, finalem, exemplarem* omnium rerum quæcumque sunt aut esse possunt. Sed nihil horum potest Deo convenire, nisi sit unicus. Nam secus, et ceteri Dii, et quæcumque ab ipsis flunt fierive possunt, essent secundum omnia ab eo independentia. Proinde unicuique tantum deesset, quantum ceteri possiderent.

3° Deus est ens necessario existens, cujus essentia est esse. Ex hoc immediate probatur quod volumus.

Etenim si plura entia necessaria existere possent, jam singularitas extra hujus necessariæ naturæ essentiam esset. Esset enim natura hæc multiplicabilis, adeoque universalis, ut naturæ ceteræ. Universale autem singulare non est.

Atqui omnino dici debet, ad naturæ necessariæ essentiam pertinere singularitatem. Cum enim hujus naturæ essentia sit esse actu, sane ad ejus essentiam pertinet id omne, quod existentia per se implicitum est, existentiamque necessario comitatur. Sed existentia implicita necessario est singularitas. Existentia enim non est nisi rei singularis, ut singularis est. Ergo singularitas ad naturæ necessariæ essentiam pertinet. Ergo plura entia necessaria existere non possunt.

319. Ex his patet, non posse divinam naturam multiplicari, neque per productionem unius Dei ab altero, quemadmodum gentiles fabulabantur. Id quod absurdum quoque hinc est, quod Deus productus esset Deus ab alio, Deus dependens, initiumque habens, nempe Deus non Deus.

520. Obj. 1° Possunt existere plura entia summe perfecta, si ponantur in omnibus esse æqualia et similia. Nam

a) Non repugnat æqualis plurium perfectio in eodem genere.

b) Pluralitas nullam adimit aut impedit perfectionem.

c) Revera docet christiana fides, esse in Deo tres personas infinitas et æquales. A pari ergo.

521. Resp. *Nego ant.* V. allata argumenta.

Ad 1. *Dist.* perfectio limitata et relativa, *tr.* perfectio infinita et absoluta, *nego.*

Ad 2. *Dist.* in naturis finitis, *conc.* in natura infinita, *nego.* Perfectio enim naturæ infinitæ propria est, ut sit pluribus incommunicabilis.

Ad 5. *Conc. ant. Nego consequentiam et paritatem.* Nam et natura et perfectio essentialis trium personarum unica est, ac plane singularis. Hoc autem repugnat, divinam naturam multiplicari et æqualem habere; non vero naturam hanc trium esse personarum. Quemadmodum si reale esset spatium infinitum, repugnaret utique esse alterum spatium infinitum; non tamen repugnaret idem spatium secundum tres suas dimensiones infinitum esse.

522. Obj. 2^o Si dicamus Deum non posse producere aliquod aliud ens infinite perfectum,

a) Non haberetur terminus adæquatus infinitæ ejus potentæ;

b) Nec effusio conveniens bonitatis ejus.

Resp. ad 1. *Conc. ant. et nego* esse in hoc ullum inconveniens. Imo hoc ipso infinita est Dei potentia, quod nulla res ex possibilibus adæquatus ejus terminus esse potest. Infinitum autem productum ideo hujus potentæ terminus esse nequit, quia intrinsece repugnat.

Ad 2. Eadem esto responsio.

CAPUT III

DE ATTRIBUTIS DEI NEGATIVIS

523. Quæritur tertio de attributis divinis. Hæc, ex duplici via qua quid Deus sit cognoscimus, alia *negativa* dicuntur, quia eorum conceptus potius exprimunt quid

Deus non sit quam quid sit; alia *positiva*, quia exprimunt perfectiones reales quæ vere in Deo sunt, quanquam in eo sint multo excellentius quam in rebus creatis. Primo itaque dicendum de præcipuis attributis negativis: proinde 1° de Dei simplicitate; 2° de ejus immutabilitate; 3° de immensitate; 4° de æternitate.

ARTICULUS I. DE DEI SIMPLICITATE

Propositio I

524. *Deus est physice simplex.*

a) Omnis enim composita substantia ex se contingens est, et dissolvi potest. Non enim intrinsece repugnat, ex partibus quæ realiter distinctæ sunt, vel unam et alteram existere ab invicem divisas, vel unam existere sine altera. Sed quod dissolvi potest, non est absolute necessarium. Ergo.

b) Perfectio ex compositione orta, *participata* est, et componentium perfectione *posterior*. Etenim compositum suam perfectionem a partibus accipit, partim ab una, partim ab altera; et supponit singulas aliquo modo in se perfectas. Sed Deus est *independens*, et est *primum ens*. Ergo ejus perfectio non potest esse participata, nec ulla re posterior.

525. Hinc sequitur Deum nec esse corpus, neque ex corpore ac spiritu constare.

Propositio II

526. *Deus est metaphysice simplex.*

Quod non sit in Deo compositio metaphysica, in præcedentibus jam demonstratum est. Compositio enim hæc vel est ex *genere* et *differentia*, vel ex *supposito* et *natura*, vel ex *essentia* et *esse*.

Jam prima excluditur ex eo quod Deus nec est, nec esse potest in ullo genere, ut in præcedenti capite docuimus (497).

Alteram quoque excluditur ex iis quæ paulo ante dicta sunt de Dei unitate (518). Deus enim non est subjectum

habens naturam aliquam pluribus communicabilem, sed est sua propria natura.

Tertia demum excluditur ex ipsa notione entis a se, cujus essentia in possibilitatis statu concipi nequit, sed cum ejus existentia plane identificatur.

Propositio III

527. *Potest, atque adeo debet humana ratio divinas perfectiones et operationes inter se distinguere, distinctione quam dicunt rationis ratiocinatæ* (85).

Potest inquam: quia licet ens et physice et metaphysice simplex nullum tali distinctioni fundamentum sibi intrinsicum exhibeat, tamen et ipsum in se pluribus actibus æquivalet, ac præterea relationes multiplices et diversæ quas res creatæ ad ipsum habent, vires item et facultates per quas illi diversimode assimilantur, fundamentum quoddam extrinsecum præbent diversis conceptibus, quibus illud nobis, quantum possumus, repræsentemus.

Imo et *debet*. Etenim necessarium omnino nobis est, ut tali modo de Deo cogitemus. In primis enim intellectus nostri limitatio tunc quoque hoc postulat, quum res finitas comprehendere satagimus (86). Multo magis ergo, quum agitur de Ente infinito. Præterea, cum de Dei essentia cognitionem intuitivam non habeamus, ad illam utcumque cognoscendam assurgere solum possumus a creatis perfectionibus, quæ sunt Dei effectus. Cum igitur perfectiones hujusmodi et effectus sint plures et diversi, necessario fit, ut Dei notio pluribus diversisque conceptibus conflare in mente nostra debeat.

ARTICULUS II. DE DEI IMMUTABILITATE

Propositio I

528. *Deus est absolute immutabilis* (143).

Nam Deus est infinite perfectus. Ergo non potest mutari in melius, non in deterius, non in æquivalens. Ergo nullo modo mutari potest.

Non in melius : quia secus ante mutationem non fuisset infinite perfectus.

Non in deterius : si enim hoc possibile esset, Deus principium aliquod ac veluti germen defectus in semetipso haberet. Hoc autem in Ente summe perfecto supponi nequit : nam ingens defectus est, vel ipsam defectus originem in se habere ; sola imo deficiendi possibilitas magna imperfectio est.

Non in æquivalens : fieri enim nequit, ut aliqua inve-niatur perfectio, quam habere possit, et non semper habue-rit, nec essentialiter habeat Ens summe perfectum. Jam vero si Deus, amissa perfectione aliqua quam possidet, æquivalentem illi recipere posset, semper aliqua perfec-tione careret quam posset habere. Proinde ens ipso perfec-tius cogitare semper liceret, ens nempe utraque immobili-ter perfectione gaudens.

529. Ex his colliges :

4° Non esse in Deo potentiam ullam ab actu distinctam ; multo minus plures potentias. Nam transitus a potentia ad actum est mutatio.

2° Nullam quoque in ipso actuum successionem acci-dere. Successio enim mutatione continetur ; actuum insu-per successio supponit potentiam ab actu distinctam.

Propositio II

530. *Deus est actus purissimus.*

Actus purissimus est actus essendi nulli mixtus poten-tialitati. Deus autem, cum sit actu infinitus, immutabilis, et physice ac metaphysice simplex, habet profecto totum essendi actum, quem habere potest natura perfectissima ; habet ergo actum purissimum. Ipse vero est suum esse et suus actus. Deus ergo est actus purissimus.

531. Difficillima illa quæstio : quomodo purissimi actus divini plures esse possint ac diversæ operationes, quantum humanæ datur infirmitati, resolvi potest considerata per-fectione infinita, quæ inest actui divino, *ejusdemque actus intrinseca entitate, a respectu quem ipse ad terminum habet, distincta*. Entitas hujus actus una est, simplicis-sima, absoluta, non relativa ad aliud ; ejus vero terminatio

potest nihilominus et multiplex in infinitum esse, et diversa. Quod, ut dixi, ab infinita divini actus perfectione consequitur. Necessitas enim plurium actuum ab essentia distinctorum ad plura agenda, ex eo procedit in essentiis finitis, quod essentia finita, cum non habeat actu totam eam perfectionem quam habere potest, indiget novis accidentalibus determinationibus et actibus, quibus suppleatur quod actualitati essentiæ deest. Divina autem essentia, quæ est actus infinitæ virtutis, novis hisce determinationibus non indiget, sed id quod est in se manens, ad infinita objecta, ac diversissimis modis, terminari potest.

Sic ex. gr. actus divinus, prouti terminatur ad res intelligibiles, est purissima intellectio, ideas complectens infinitas; prouti terminatur ad res creabiles, est liberrima electio; prouti terminatur ad res creandas, est vis infinita tribuens iis quæ non sunt, existentiam. Efficacia externa hujus actus in justo est amor benevolus, in impio est odium puniens vel misericordia parcens. Unde, quum homo ab impio sit justus, intrinseca divini actus entitas non mutatur, sed tantum externa illius efficacia. Et ita dic de reliquis.

Propositio III

352. *Nullius realis et intrinsecæ relationis fundamentum Deo in tempore et contingenter accedere potest.*

Secus Deus intrinsecus mutaretur. Relationes autem omnes Deum inter et res creatas, sunt quidem intrinsecæ ex parte rerum creatarum, quia illæ vere a Deo dependent, vere producuntur et mutantur: ex parte autem Dei sunt relationes omnino extrinsecæ; quia nihil novi aut accidentaliter per illas ponitur in divina essentia, quod relationis fundamentum esse possit; nec ipsa divina essentia potest ullo modo, in eo quod est, ad aliud ordinari, cum sit super omnia, et a nullo dependeat, et nullius egeat. Ergo nihil in Deo ad res creatas relativum est.

Hinc est quod relationes Deum inter et creaturas mutari possunt, quin Deus mutetur.

353. Cum nulla in Deo sit actuum pluralitas, non datur

in ipso prius et posterius. Sed cum nos plures in Deo actus distinguamus, juxta id quod in creatis rebus fieri videmus, *necesse est, ut hosce actus cum ordine quodam, atque adeo cum quadam inter se naturæ prioritate ac dependentia, concipiamus.* Hic igitur ordo et hæc naturæ prioritas ac dependentia non pertinent ad Dei activitatem, ut est in se; sed solum secundum quod a nobis concipitur ad creatæ activitatis similitudinem. Proinde dici nequit, v. gr. Deum cognoscere in signo naturæ priori, et velle in signo naturæ posteriori (94), sed solum in *signo priori rationis* cognoscere, et in *signo posteriori rationis* velle; videlicet, quia nos actum divinum ad modum plurium actuum, et cum hoc ordine concipimus.

554. Ex principiis modo positis facile solves quæ objici solent.

Obj. 4° Deus, cum omnia cognoscat ut sunt, modo cognoscit res esse futuras, modo præsentis, modo præteritas. Ergo mutatur in cognitionibus suis.

2° Mutat voluntatem, quum v. gr. placatur; aut preces mortalium exaudit.

3° Mutat operationem; nam de non creante fit creans, etc.

555. Resp. ad 4. *Dist.* Unico actu eoque æterno cognoscit omnia, *conc.* pluribus actibus successivis, *nego.* Nimirum Deus in tota sua æternitate cognoscit v. gr. Petri mortem futuram, pro eo tempore quo futura est; ac præsentem vel præteritam, pro tempore quo præsens esse debet vel præterita.

Ad 2. *Nego.* Unica enim et immutabili voluntate diversa voluit, pro diversis objecti conditionibus. Aliud est voluntatem mutare, aliud rerum aliquarum velle mutationem. Deus opera mutat, consilia non mutat.

Ad 3. *Dist.* Mutat efficaciam extrinsecam sui actus, *conc.* ipsum actum, *nego.* Quum divini actus virtus infinita, ad objectum relata, de non creante fit creans, novam duntaxat acquirit denominationem extrinsecam; nihil novi in seipsam inducit.

556. Obj. 4° Impossibile videtur, unum eundemque actum esse actum simul amoris et odii, veniæ et vindictæ, etc.

Resp. *Dist.* Impossibile est hoc, si hi actus spectentur in sua terminatione, *conc.* si in sua entitate, *subd.* prouti

hi actus a nobis concipiuntur, *conc.* prouti reipsa sunt, iterum *subd.* ut sunt in ente finito, *conc.* in Ente infinito, *nego.* Recole superius dicta.

537. Obj. 5^o Si relationes Dei ad res creatas sunt relationes extrinsecæ, sequitur Deum non esse realiter creatorem, dominum, etc.

Resp. *Nego.* Deus realiter est creator, quia habet reales creaturas quæ ab eo quoad suam existentiam realiter dependent; realiterque est dominus, quia reales servos habet: quanquam hæc omnia nihil in Deo ponant, quod realiter sit relativum.

ARTICULUS III. DE IMMENSITATE

538. Triplici modo ens certo in loco esse potest:

a) *Per potentiam*, quatenus eo in loco aliquid ejus potentiæ subjectum est, ipsiusque nutu regitur. Ita rex est in toto regno.

b) *Per præsentiam*, quatenus quæ in eo sunt loco, sunt illi cognoscibilia secundum esse quod habent in seipsis. Ita homo est in aula, quum omnia quæ in ea sunt, contuetur.

c) *Per essentiam*, quatenus substantia ipsa sua locum occupat. Ita corpus est in ea spatii parte quam replet; ita animus est in corpore.

Nunc agimus de inexistentia Dei in loco per essentiam.

539. Substantiæ autem existentia in loco duplici modo se habere potest:

a) *Circumscriptive*, seu per contactum quantitatis dimensionis: quum nempe, ut alibi dictum est (207), diversis loci partibus diversæ partes integrales substantiæ respondent. Hoc modo non potest esse in loco, nisi ens quod extensionem *formalem* habeat, quæ est propria corporum.

b) *per contactum virtutis*, i. e. aliquid immediate agendo in rebus quæ locum occupant. Substantiæ quæ hoc pacto sunt in loco, quanquam formaliter extensæ non sint, *virtualiter* tamen extensæ esse dicuntur.

Substantia iterum, quæ sic est in loco, dicitur ibi esse *definitive*, si actio ejus certos illos limites excedere nequeat, uti anima humana est in corpore (207).

Jam substantia divina non potest esse in loco circumscriptive, sed solum per contactum virtutis, i. e. quia immediate agit in rebus locatis, ut mox explicabimus. Non tamen definitive existere potest in loco, quia virtus ejus nullis limitibus definitur.

Propositio I

340. *Divina substantia in omnibus rebus est, et in omni loco.*

Etenim, ut arguit S. Thomas, oportet omne agens conjungi ei in quod immediate agit. Deus autem producit immediate in rebus omnibus ipsum esse, non solum quando primo esse incipiunt, sed etiam quando in esse conservantur. Necesse est igitur Deum omnibus rebus inesse, atque ita intime, ut rebus omnibus est intimum proprium earum esse.

341. *Divina immensitas est divinæ substantiæ præsentia-
litas, omni loco possibili major, et actu infinita.*

Ad cujus rationem intelligendam, hæc animadvertenda sunt.

1^o Quemadmodum virtus divina infinitis rebus producendis par existit, ita divina substantia talis est ut infinitis terminis præsens inesse possit.

2^o Hæc divinæ substantiæ infinita præsentia-
litas non aptitudine quadam indefinita se dilatandi, sed actuali ipsius infinitate continetur. Sic igitur plane se habet, ac si infinitis terminis præsens adesset, et infinita spatia occuparet.

3^o Propterea si novæ res crearentur, non se illuc extenderet divina substantia, sed in se eadem permanens, res illas novas reciperet in se et contineret: quemadmodum, si novi planetæ conderentur intra lucis solaris sphaeram, non lux se extenderet, sed planetæ inciperent in luce esse. Quare potentialitas omnis se habet ex parte terminorum creabilium, non ex parte divinæ substantiæ.

4^o Immensitas modo descripta est attributum necessarium divinæ essentiæ, et ab ubi-
quitate distinguitur, ut ea quæ intrinseca sunt a relationibus extrinsecis distinguuntur. Denominatur porro *immensitas* per negationem men-

suræ localis, et *præsentialitas infinita* respectu possibilitium. Sed quanquam negative ac relative concipiatur, perfectio est maxime positiva, et absoluta.

Propositio II

342. *Deus est immensus.*

4° Probatur ex dictis (340; 341, 4°). Nam ideo Deus rebus existentibus præsens est, quia illas omnes creat: ergo aliis rebus præsens esse potest, si potest res alias creare; hinc si potest res infinitas creare, potest infinitis rebus adesse. Atqui potentia divina nullos plane limites habet. Ergo et præsentialitas.

2° Repugnat Ens necessarium determinari ad limitatam præsentialitatem. Ergo ejus præsentialitas est sine limitibus.

Prob. ant. Nulla ratio sufficiens determinationis hujus haberi potest, neque ab extrinseco, neque ab intrinseco.

Non ab extrinseco; secus divina substantia dependens esset atque contingens.

Non ab intrinseco; substantia enim quæ necessario est, ut in perfectione, ita in præsentialitate sua, nullos ex se limites exigit; imo vero nullam a se præsentialitatis amplitudinem excludit. Ergo.

343. Fortasse dices, si divina substantia in omnibus rebus existeret præsens, nullum sensum haberent locutiones illæ, quas communiter usurpamus, dicentes: Deum esse in cælo, in templo, in justorum animis, etc.

Resp. *Nego*. Quemadmodum enim Deus est ubique per operationem quam in omnibus rebus exercet, ita in quibusdam locis ac rebus speciali modo esse merito dicitur, propter operationes speciales quas in iis exercet.

ARTICULUS IV. DE ÆTERNITATE

344. *Æternitas est existentia sine initio, sine fine, sine successione*. Est igitur duratio, non vero tempus (246). Quemadmodum enim tempus est *præsens* perpetuo mobile et mutabile, ita æternitas est *præsens* immobile et immutabile.

Dei æternitas a Boetio definitur : *interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.*

Vitæ possessio dicitur, quia Deus non solum existit, sed insuper vivit; ac vivit vita nobilissima, quæ est vita entis infinite intelligentis ac perfectissime volentis.

Interminabilis vitæ; i. e. quæ omni termino ac limite caret, initio videlicet et fine.

Tota simul ac perfecta possessio, i. e. sine actuum successione. Ideo enim Deus tota simul vita fruitur, et non per partes, vitamque perfecte possidet, quia actus vitales successive non exercet, sed est purissimus et infinitus actus.

Igitur definitio hæc a superiori reipsa non differt.

545. De æternitate cum tempore comparata hæc notanda sunt.

1° Æternitas absurde concipitur, si concipitur ut tempus actu infinitum (190).

2° Tempus non potest ut æternitatis pars haberi.

3° Æternitas coexistit quidem (218, 5°) omni tempori, et unicuique temporis momento, sed non coextenditur cum tempore, ita ut secundum varias sui partes variis temporis partibus respondeat. Tota igitur cuicumque temporis seriei, et tota unicuique momento coexistit.

4° Æquivalet tamen æternitas tempori indefinito : cum enim momentis singulis coexistat, æquivalet momento-
rum seriei, eique indefinitæ; quia æternitas nec initium nec finem habet.

Propositio

546. *Deus est æternus.*

Videlicet Dei existentia ac vita nec initium habet, nec finem habere potest, nec successionem in se ullam admittit. Tria hæc facile demonstrantur.

a) *Deus initium non habet.*

Nam quod initium habet contingens est, et ab alio est. Deus autem non est contingens nec ab alio : est enim Ens absolute necessarium, et a se. Ergo.

b) *Deus finem habere nequit.*

Nam quod necessitate absoluta et ex essentia ipsa sua ad

existendum determinatur, non potest in ulla hypothesis non existere. Secus hypothetica esset ejus existentia, ejusque mutaretur essentia.

c) In Dei existentia ac vita nulla est successio.

Hoc manifeste colligitur ex ejus immutabilitate. Ubi enim nulla mutatio est, ibi nulla est successio. In Deo autem nulla mutatio est.

CAPUT IV

DE ATTRIBUTIS POSITIVIS

547. Quæritur quarto de attributis Dei positivis. Præcipua sunt intellectus, voluntas, omnipotentia. Igitur quod ad intellectum pertinet, dicendum 1^o de scientia Dei; 2^o de ejus objecto; deinde 3^o dicendum de voluntate Dei; 4^o de attributis moralibus voluntatis, ac præsertim de bonitate; 5^o de hujus mundi malis: quomodo scilicet cum divina bonitate componantur; 6^o demum de omnipotentia.

ARTICULUS I. DE SCIENTIA DEI

548. Divinæ scientiæ proprietates ex dictis immediate colliguntur.

Itaque 1^o Dei scientia successivis actibus non continetur.

2^o Non potest esse ratiocinio parta.

3^o Non coalescit idearum compositione ac divisione (409).

4^o Non efficitur accidentalibus perceptionibus et abstractionibus.

5^o Non est habitus quidam accidentalis, ut humana scientia.

6^o Est proinde scientia divina simplicissima; nec pluribus constat ideis, quasi formis quibusdam intellectum afficientibus. Hoc tamen non impedit, quominus rerum omnium rationes proprias Deus intelligat. Ex hoc enim

plures ideæ in Deo sunt tantum ut intellectæ, non ut affectiones quibus intelligit.

7° Immunis est ab omni errore, obscuritate, dubio, incertitudine, ignorantia; infallibilis plane, immutabilis, infinita.

8° Postremo divina scientia est ipsa divina substantia et essentia. Propterea quemadmodum Deus est suum esse et sua essentia, ita est suum intelligere et suum vivere.

549. Ut ex dictis patet, divina scientia nullam divisionem admittit ratione sui; sed tantummodo ratione objectorum quæ Deus cognoscit, dividi potest.

Objectum porro divinæ scientiæ aliud *primarium* est, aliud *secundarium*. Primarium objectum est essentia ipsa divina; secundarium quicquid est a Deo distinctum.

550. Præcipua divinæ scientiæ divisio, omniumque clarissima, est in scientiam *necessariam* seu *naturalem*, *liberam*, et *mediam* seu *conditionatam*.

Necessaria dicitur scientia, cujus objectum est omnino necessarium, nec a Dei vel creaturæ libertate ullo modo dependens. Objecta hujusmodi sunt primo essentia divina; deinde possibilis universa, quæ in ipsa eminenter continentur.

Libera ea dicitur, cujus objectum a Dei liberis decretis dependet. Ad hanc scientiam pertinent quæcumque in aliqua temporis differentia existentiam sortiuntur. Appellatur alio nomine *præscientia absoluta*.

Media demum ea, cujus objectum intelligibilitatem et veritatem habet independentem quidem a liberis Dei decretis, sed dependentem a libertate creaturæ. Hujusmodi est cognitio actuum libere ponendorum a creata voluntate, si ipsa existeret, et in his vel illis conditionibus collocaretur. Idcirco scientia hæc vocatur quoque *præscientia conditionata*.

Hæc propositio, v. gr. *Petrus in his adjunctis invitatus ad ludendum potest ad ludum accedere, et potest non accedere*: hæc, inquam, ad scientiam necessariam pertinet.

Hæc altera: *Petrus in his adjunctis ad ludendum non invitabitur, et non ludet*; ad scientiam liberam.

Hæc denique: *Si Petrus in his adjunctis ad ludum invitaretur, luderet*; ad scientiam mediam.

551. Vulgata illa altera divinæ scientiæ partitio in scientiam *simplicis intelligentiæ*, *visionis*, et *mediam* cum hac, quam modo exposuimus, prorsus conspirat; nisi quod in hac altera secundarium tantummodo divinæ scientiæ objectum respicitur. Scientia simplicis intelligentiæ est possibilium cognitio; et scientia visionis notitia eorum quæ in tempore existentiam nanciscuntur. Ratio vero hujusmodi appellationum ex nostro cognoscendi modo desumpta est. Nam a nobis ea videri dicimus, quæ habent esse reale a vidente distinctum, cetera vero esse pure intelligibilia.

Propositio

552. *Deus omnia quæ cognoscit, in seipso cognoscit.*

Duobus modis res aliqua cognosci potest: in ipsa re, et in alia re. Res in ipsa re cognoscitur, quando per propriam ejus speciem intelligitur, videlicet quando res ipsa cognoscentem ad cognoscendum determinat; alia vero re, quum intelligitur per alterius rei speciem. Atqui Deus a nulla re sibi extrinseca determinari potest ad cognoscendum. Secus ejus actus a re illa dependeret; proindeque esset in eo aliquid accidentale, contingens, mutabile, ac potentia ab actibus distincta. Hæc vero omnia naturæ divinæ perfectioni repugnant (528, seq.) Inferendum ergo, Deum sua ipsa essentia, quæ omnium intelligibilium fons est et scaturigo, ad intelligendum determinari; ac propterea eum omnia in seipso intelligere.

553. Nota 4^o Non perinde esse res cognosci *secundum esse quod habent in seipsis*, ac cognosci *in seipsis*. Deus enim res cognoscit etiam secundum esse quod in seipsis habent; non tamen hoc cognoscit in ipsis, ita ut ipsa sint Deo cognoscendi ratio, sed in seipso, ut ex modo dictis liquet.

Nota 2^o Quamvis objectum nullum extra Deum sit ratio qua Deus ad cognoscendum ipsum determinetur, potest tamen objectum hujusmodi esse conditio, requisita ad hoc, ut divina cognitio ad ipsum terminetur, prout infra dicitur.

ARTICULUS II. DE SCIENTIÆ DIVINÆ OBJECTO

Propositio I

554. *Deus seipsum intelligit, et adæquate comprehendit.*

Etenim divina essentia est eminenter intelligibilis secundum se, quia actus purissimus; estque insuper non solum immediate atque intime præsens divino intellectui, sed est ipse divinus intellectus. Si vero divina essentia infinita est, divina quoque intelligentia infinita est; potest igitur infinitam essentiæ intelligibilitatem totam comprehendere. Sed est insuper tota in actu; ergo infinitam essentiæ intelligibilitatem totam actu comprehendit.

Propositio II

555. *Deus omnia possibilium cognoscit.*

Etenim 1^o Dei scientia infinita est. Ergo complecti cognitione debet quicquid est cognoscibile. Possibilia autem cognoscibilia sunt.

2^o Deus essentiam suam perfectissime cognoscit, ac sub omni respectu, videlicet non solum ut ipsa est in se, sed etiam ut est imitabilis extra se. Atqui similitudines istæ divini essentiæ sunt rerum omnium possibilium intelligibiles essentiæ. Res enim omnes eatenus sunt, quatenus aliquam ex iis perfectionibus, quas divina essentia eminenter continet (503, 4^o), in se expressam præferunt. Deus ergo rerum omnium possibilium essentias cognoscit. Sed essentias hasce omnes cognoscit perfectissime. Ergo cognoscit quæcumque accidere eis possunt; videlicet omnia possibilium individua in iis distincte cognoscit. Quia demum individua hæc omnia eadem perfectione comprehendit, omnes quoque eorum posibles actus, modificationes, relationes perspectas habet.

3^o Deus perfecte comprehendit potentiam suam ac virtutem infinitam. Ergo cognitione attingit ea omnia, ad quæ se extendere hæc virtus potest. Sed divina virtus ad omnia possibilium se extendit; nec modo ad essentias universales,

sed etiam ad individua: non enim essentiæ universales, sed individua sunt potentiæ termini. Ergo.

556. Nota 4^o possibilia aliter esse in essentia divina, aliter in divino intellectu. In essentia divina sunt tanquam in exemplari *radicali et virtuali*, quia non sunt in divina essentia expressæ rerum formæ; sed hæc proponuntur intellectui divino cognoscendæ a divina essentia, quatenus ea pluribus modis imitabilis est. In divino vero intellectu possibilia sunt tanquam in exemplari *formali*; quia divinus intellectus diversos istos imitationis modos cognoscens, rerum omnium archetypas ideas complectitur.

Hinc intelliges 2^o omnem necessitatem, immutabilitatem et æternitatem, quam rerum possibilitas præ se fert, a necessitate, immutabilitate et æternitate divinæ essentiæ promanare.

Propositio III

557. *Deus cognoscit omnia futura necessaria.*

Nam hæc omnia cognoscere debet, qui naturalium causarum, quæ ex necessitate agunt, virtutem adæquate comprehendit; earumque ad invicem relationes, concursus, occursus, commixtiones, positionesque futuras omnes distincte intelligit. Hujusmodi enim causarum effectus ex causarum natura et adjunctis sunt ad unum determinati.

Propositio IV

558. *Deo perspecta sunt omnia futura libera.*

Sane, 1^o divinare futura hæc, aut conjectura probabili assequi, magna est in ente intelligente perfectio. Multo major perfectio haberi debet certa eorum cognitio. Ergo Deus hac cognitione carere non potest.

2^o Proprie loquendo, nihil Deo futurum est, sed præsentia sunt omnia. Æternitas namque ipsius, in se indivisibilis, et omne tempus excedens, totum tempus ambit, atque omnibus et singulis temporis partibus tota coexistit (545, 5^o). Omnia igitur tempora æterno intellectui præsentia sunt; proindeque quidquid in serie temporum contingit, respectu divini intellectus se habet ut præsens, ac tantummodo res-

pectu alterius partis temporis rationem habet præteriti vel futuri. Sic in circulo singula peripheriæ puncta successive disposita sunt, sed non veniunt successive in centri conspectum. Ex quibus concludes, dicendum potius esse, Deum scire ac videre futura, quam præscire ac prævidere.

3° Accedit his omnibus universarum gentium consensus. Omnes enim gentes liberarum actionum præscientiam, tanquam proprium divinitatis attributum, agnoverunt. Hinc prophetiæ Dei nomine propositæ, et oraculorum consultationes, imo et divinatio, et sexcentæ illæ inanes observantiæ, e quibus de futuris, seu prosperitatibus, seu infortuniis, conjecturas capere vulgus assolet.

4° Postremo ex historia constat, multos fuisse divinitus prænuntiatos eventus, qui ab actionibus liberis, iisque multiplicibus, omnino dependerent. Consule sacras litteras, et ecclesiasticam historiam. Ergo.

Propositio V

559. *Porrigit se quoque divina scientia ad quoscumque liberos actus, qui, quibusvis adjunctis positis, futuri essent.*

Nam 1° bonum est, et ex se desiderabile, magna insuper perfectio nosse id quod libera voluntas, quavis data conditione, esset actura, etiamsi id nunquam actura sit. Ergo hac perfectione Deus carere non potest.

2° Si hac scientia Deus careret, liberas Adami v. gr. aut Cæsaris electiones, quæ reipsa futuræ erant, tunc primo cognovisset, postquam eos condere decrevisset; nempe in signo creationis decretum subsequente (535). Tunc enim, et in hoc signo, quæcumque futura sunt, objectum fiunt scientiæ visionis. In signo autem decretum hoc antecedente, quid futurum esset, Deus non cognoscebat; in hoc enim signo nihil est absolute futurum, sed solummodo conditionate. Cognitio igitur omnis, quam Deus habet de futuris hominum actionibus, foret experimentali similis, et a creatura dependens, non ut a termino cognitionis, qua in re nihil est Deo indignum, sed ut a principio cognitionem determinante; id quod in Deo maxime absurdum est.

5^o Ad hæc : si Deo non est cum certitudine notum, quid liberum agens in datis adjunctis acturum sit, nisi postquam illud condere decrevit, divina decreta essent necessario temeraria, improvida, cæca, ludoque aleatorio similia ; vel saltem fallibilibus et incertis conjecturis innixa ; plane ut sunt hominum consilia. Hæc autem omnia Deo indignissima sunt, perfectæque providentiæ rationem subvertunt. De ratione enim perfectæ providentiæ est, ut nihil fiat aut permittatur, quod ad finem præstitutum præordinatum non sit, cum certitudine de fine assequendo.

4^o Demum et hoc demonstrat hominum consensus. Ethnici enim de his maxime oracula consulebant ; de his hebræi a vero Deo ejusque prophetis responsa petebant ; de his hodiedum christiani sanctos viros expostulant. Pii vero homines hanc Deo inesse scientiam in suis precibus constanter significant, et ex eo potissimum se in suis vel suorum calamitatibus consolantur, quod sibi persuadeant, Deum ideo talia permisisse, quia secus in majora mala incidissent, quæ ipse noverat.

560. Quæres, quomodo futura hæc possint a Deo cognosci. Id aliquo modo intelligi dabitur, primo considerata vi divini intellectus, qui certe quidquid verum est, penetrare potest, et infallibiliter judicare quid in quolibet enunciabili veri sit, aut falsi. Insuper quemadmodum divina essentia, quia entium liberorum essentias divino intellectui cognoscendas perfecte exhibet, exhibet quoque illi cognoscenda individua omnia, quæ essentias illas participare possunt ; ita, quia hæc individua ipsa perfecte representat, eorum quoque voluntatem representet necesse est, non modo ut potentiam ad plura indifferentem, sed etiam ut agentem sub quibusvis adjunctis, ea prorsus ratione, qua sub adjunctis iisdem revera ageret.

Unde inferes futura hæc a Deo cognosci secundum esse ipsorum proprium, quod situm est in electione voluntatis, non quidem actuali, sed hypothetica.

561. Ad solvendas difficultates, quæ contra liberarum actionum præscientiam opponuntur, duo hæc semper præ oculis habenda sunt : 1^o æternitatem Dei nulla successione distingui, sed omnibus temporum differentiis indivisam simul coexistere (345, 2^o) ; 2^o scientiam omnem suam

objectum supponere, non causare; atque hinc objectum quod cognoscitur, natura prius esse cognitione quæ illud attingit (558, 2^o). Hinc quemadmodum cognitio liberi actus, quam homo quivis acquirit eo tempore quo alter operatur, liberam operantis electionem nec tollit, nec impedit, sed supponit factam; ita quoque divina cognitio.

562. Opp. 4^o Quod Deus prævidit, necessario futurum est. Sed quod necessario futurum est, liberum non est.

Resp. *Dist. maj.* Necessitate consequente, seu suppositionis, *conc.* necessitate antecedente et absoluta, *nego.*

Et contradist. min.

Est porro necessitas *antecedens* illa, vi cuius res fit; eaque tunc locum habet, quum rei causa est ad unum determinata. Necessitas vero *consequens* illa est, quam facit res, nimirum quæ sequitur ex rei suppositione: posita enim re, non potest non esse posita (L. 180, 4^o). Jam Dei prævisio nullam aliam infert necessitatem, quam consequentem; eandem videlicet quam infert actualis voluntatis electio; ideo enim Deus actionem liberam videt, quia ita se voluntas libere determinat.

565. Opp. 2^o Tamen, stante Dei prævisione, homo non potest se aliter determinare; secus Dei præscientia fallibilis esset.

Resp. *Dist. ant.* Potentia consequente, *conc.* antecedente, *nego.*

Dist. rat. add. eodem modo: si homo posset aliter se determinare potentia consequente, *conc.* secus, *nego.* Supposita Dei prævisione, hoc ipso supponis hominem ita se determinare, et non aliter. Si autem homo aliter se determinasset, aliter Deus prævidisset.

564. Opp. 5^o Scientia Dei omnes actus liberos præcedit. Ergo hi actus ab ipsa dependent necessitate antecedente.

Resp. *Dist. ant.* Tempore, *conc.* natura, *subd.* secundum suam entitatem, *conc.* secundum suam terminationem ad illos, *nego* (554). Deus vidit quid tu factururus esses, quum tu relatus ad seriem temporum eras adhuc futurus, æternitati vero præsens. Cur autem vidit? Quia tu revera te ad agendum determinabas. Scientia igitur Dei hanc determinationem supponit, non quidem tempore, sed natura præeuntem; præeuntem, dico, non ipsi actui divino, qui est unum cum Dei essentia, sed terminationi ejusdem ac-

tus, quæ contingens est, et ab eventu contingente pendere potest.

565. Opp. 4^o Ex dictis consequeretur,

a) Dei scientiam dependere a creaturæ voluntate;

b) Eamque contingentem esse.

Resp. ad 1. *Dist.* Tanquam a principio determinante ad cognoscendum, *nego*; tanquam a termino seu conditione necessaria terminationis, *conc.*

Lux determinata est ex se ad omnia objecta sibi præsentia illuminanda, neque hanc virtutem ullo modo ab objectis accipit; quod autem hoc potius objectum quam aliud illuminetur, hoc sane ab ipsa illuminatione non pendet. Simili modo essentia divina est ex se determinata ad cognoscendum quidquid verum est (552); quod autem hoc potius, quam illud sit verum, hoc utique, quantum ad humanas actiones pertinet, non a Dei scientia, sed ab hominis voluntate dependet.

Resp. ad 2. *Dist.* in se, *nego*; in termino, *conc.*

ARTICULUS III. DE DEI VOLUNTATE

566. *Actus omnes voluntatis, qui imperfectionem aliquam sibi implicitam continent, non possunt divinæ voluntati formaliter convenire; et metaphorice solum ipsi tribuuntur, vel propter similitudinem effectuum, quemadmodum quia irati hominis proprium est punire, impassibilem Dei voluntatem, qua sotes punire vult, iram Dei dicimus; vel propter similitudinem affectionis præsuppositæ quæ proprie in Deo sit; quo pacto dicitur Deus tristari, quatenus aliqua fiunt, iis quæ amat contraria; amor enim ejus cujus oppositum contingit, tristitiam in nobis præcedit, ab eaque præsupponitur.*

Li vero actus, qui secundum suam speciem nullam continent imperfectionem, proprie in Deo sunt, non metaphorice. Hujusmodi sunt amor, quo Deus et bonum suum vult propensione infinita ac necessaria, et bonum omnium quæcumque sunt libera electione; tum gaudium et delectatio, qua et in bono quod habet, et in bono quod facit, ineffabiliter conquiescit.

Propositio

367. *Divina voluntas circa bona finita indifferentiæ libertate gaudet.*

Prius autem sedulo notandum est, quomodo et quibus in rebus hæc libertas Deo tribuatur. Igitur

1^o Deus non libere, sed necessario seipsum amat tanquam finem. Libere vult ea solum, quæ propter seipsum vult, nempe res finitas.

2^o Divina voluntas circa res finitas libertate gaudet *contradictionis*, et *specificationis*, non vero libertate *contrarietatis* (427), quatenus hæc indifferentiam dicit ad bonum, ac malum morale eligendum. Nulla enim inordinatio in divina voluntate esse potest.

3^o Nulla est in divina libertate implicita deliberatio, quatenus hæc iudicii suspensionem, et voluntatis cunctationem importat. Hæc enim deliberatio ex defectu cognitionis consequitur.

4^o Cum in Deo nulla sit ignorantia, nulla mutatio, ab electione semel facta recedere nunquam potest (353 ad 2). Quare semel tantum suam Deus libertatem exercuit, et hoc unico actu omnia constituit, quæ in serie temporum voluit, fecit, permisit.

5^o Libertatis essentia in eo est, quod voluntas ad objectum in quod tendit, sit indifferens. Porro in creaturis voluntas est potentia, quæ ad objecta diversa per actus tendit diversos. Ex quo sequitur, creaturæ libertatem indifferentiam quamdam esse potentiæ ad actum. Divina vero voluntas non est potentia, sed actus: ejus igitur libertas non in indifferentia potentiæ ad actum sita est, sed in indifferentia actus ad objectum, ut infra explicabitur.

568. Facile nunc statuta propositio demonstratur.

Etenim 1^o libertatis conceptus per se defectum nullum includit; esto, quod in ente finito quibusdam sit admixta defectibus, qui a subjecti limitatione oriuntur. Per se igitur est perfectio simplex. Ergo in Ente perfectissimo formaliter sit oportet.

2^o Voluntas omnis finem solummodo ultimum necessario appetit, quemadmodum voluntas nostra beatitatem; de

ceteris bonis ea solum necessario appetit, quæ videt ad finem esse necessaria; ea vero, sine quibus finis obtineri potest, quanquam appetere possit, non tamen necessario appetit.

Jamvero nullum finitum bonum ejusmodi est, ut sine illo esse nequeat divina bonitas, propter quam Deus vult quæcumque vult; nihil enim est ipsi necessarium, sive ut sit, sive ad ejus perfectionem, sive ad perfectam ejus felicitatem. Est enim divina bonitas per se infinita, et in omnibus sibi sufficiens.

Ergo divina voluntas nullum bonum finitum necessario appetit. Ergo si quod eorum vult, hoc libere vult.

569. Difficilis ille nodus, quomodo Dei libertas cum ejus necessitate atque immutabilitate componatur, solvitur, seu potius præcitur, in primis ignorantiam nostram fatendo. Non possumus hæc inter se facile componere, quia cujusmodi sit in se Dei libertas et immutabilitas, non possumus assequi, sed solummodo per analogias et rationationes quasdam divinam quid illas esse oporteat. Solvi tamen potest per distinctionem supra (534) traditam inter *divini actus entitatem*, et *multiplicem respectum quem ad diversos terminos habere potest*.

570. Actus divinus, videlicet divinæ libertatis exercitium, ac nutus eligentis voluntatis, in sua quidem entitate necessarius omnino est, ac sine ulla potentialitate, ut qui cum essentia divina est plane identicus; secundum respectum vero quem dicit ad res finitas, indifferens est ad respectum quemcumque; ita ut idem in se sit, sive uno modo sive altero ad ipsas tendat ac terminetur. Quare libertatis exercitium et directio, ut ita dicam, atque inflexio divinæ voluntatis ad alteram oppositarum terminationum, potius quam ad alteram, nullam divinæ essentiæ intrinsecam diversitatem aut contingentem actualitatem affert; idemque est divinus actus, si ad volendum ex. gr. mundum determinetur, ac esset, si ad non volendum determinaretur. Nimirum, ut Deus mundum velit, nihil aliud requiritur Deo intresecum, nisi ut Deus sit id quod est: ut mundum non velit, nihil aliud pariter requiritur, nisi ut Deus sit id quod est. Diversa in utroque casu terminatio diversam tantummodo rationis relationem gignit.

ARTICULUS IV. DE ATTRIBUTIS MORALIBUS

Propositio I

571. *Virtutes morales, remotis imperfectionibus omnibus, in Deo reperiantur necesse est.*

Hasce virtutes, quia necessariæ in Deo sunt, attributa moralia vocamus.

Non tamen omnes virtutes morales Deo formaliter conveniunt. Quæ enim circa affectivas passiones versantur, solummodo metaphorice Deo tribui possunt propter effectuum similitudinem (548); atque hoc pacto Deus dicitur v. gr. *fortis* aut *mansuetus*.

Quæ vero virtutes in voluntate sunt sicut in subjecto, et non circa passiones, sed circa actiones versantur, hæ sunt in Deo formaliter, remotis tamen imperfectionibus, quas in homine habent ex conditione subjecti. Hujusmodi sunt *sanctitas*, *benignitas* seu bonitas relativa, et *justitia*.

Propositio II

572. *Summa est divinæ voluntatis propensio ad bonum quod habet, communicandum.*

Nam Deus bonitatem suam infinite amat. Ergo infinitam habet propensionem ad agendum hujus finis amore, i. e. ad suam bonitatem communicandam.

Internæ hujus propensionis indicium est et effectus externa ejus *beneficentia*, seu actualis divinæ bonitatis communicatio. Quis porro non miretur, quis non obstupescat, si paulum consideret, quantum se, et quam miris modis, bonitas hæc in rerum universitate manifestet!

573. Notanda tamen duo. 1^o Dei voluntas, non necessario, sed libere benefica est. Quia licet necessario amet finem propter quem alia vult, ea tamen quæ propter hunc finem vult, non sunt illi necessaria; quia sine his omnibus divina bonitas est in se perfectissima.

2^o Beneficentia externa, quam propter hunc finem Deus

exercet, infinita esse nunquam potest. Repugnat enim, totam Dei bonitatem extra Deum communicari; quia effectus infinitæ perfectionis contradictionem includit.

Propositio III

574. *Deus velle potest malum metaphysicum; imo debet illud velle, si quid vult extra se.*

Nam limitatio, qua malum hujusmodi improprio dictum constituitur, necessario inest, et essentialis est iis omnibus quæ Deus velle extra se potest, ut modo dictum est. Igitur si divinæ bonitati repugnaret, malum velle metaphysicum, repugnaret jam Deum extra se aliquid velle; repugnaret nimirum bonitati summæ id quod illi maxime conveniens est, esse beneficam.

Propositio IV

575. *Deus physicum malum per se intendere nequit; intendere tamen potest tanquam medium, alicujus boni ratione.*

Probatur 1^a pars.

Si enim physicum malum intenderet, in malo creaturæ conquiesceret ac delectaretur, ipsamque creaturam odio haberet; ea enim odio habemus, quibus malum volumus, et in quorum malo delectamur. Sed fieri plane nequit, ut Deus rem ullam odio habeat. Omnis enim causa suos effectus naturaliter diligit, ut aliquid sui; multo magis prima causa. Ac præterea omnia quæ sunt, ideo sunt, quia Deus vult illorum esse, ac volendo illud creat in sui similitudinem. Esse autem, et similitudinem divinæ bonitatis participare, uniuscujusque rei bonum est. Ergo omnibus quæ sunt, Deus vult bonum; omni aproinde amat, ac nihil odit.

576. Probatur 2^a pars.

Quum Deus malum aliquod vult tanquam medium ad aliquod bonum, revera bonum vult, quod per malum obtinetur. Divinæ autem bonitati nullatenus repugnat, bona velle physicis malis mediantibus.

In primis enim si hoc divinæ repugnaret bonitati,

maxima quædam bona Deus velle nunquam posset. Ut enim omittam bona illa plurima, quæ ex rerum inanimatarum destructione proveniunt, interdictum prorsus Deo esset quædam velle bona, quæ rationali creaturæ præ primis conveniunt, eamque maxime exornant: ut sunt v. gr. nobilissimæ illæ fortitudinis partes, patientia maximorum malorum, et impavida aggressio. Sic heroica omnis virtus impossibilis evaderet, quæ in arduis tantummodo enascitur, ac physicis alitur et fovetur malis: imo industriæ pleræque atque artes gigni nunquam potuissent; hæ enim, ut sapienter poetæ dixerunt, non aliis oriuntur parentibus, quam paupertate ac necessitate. Quis autem dixerit, divinæ bonitati repugnare, ut hæc bona aliquando velit?

577. Sed certe multa alia bona quæ per physica quædam mala obtinentur, v. gr. mundi ordinem et humanæ societatis stabilitatem, Deus et velle et obtinere posset sine ullius mali admixtione. Sed ex hoc non licet inferre, Deum ratione suæ bonitatis ad hoc teneri. Nam vel melius est, bona illa obtineri per physica mala, vel melius est obtineri sine illis. Quæstionem hanc non dirimam; nec ea fortasse dirimi facile posset: at sufficit nunc illam proposuisse. Nam si primum melius est, quis dicat Deum ratione suæ bonitatis, id quod est melius velle non posse? Si vero alterum est melius æstimandum, neque hoc dici potest, Deum ratione bonitatis, ad id quod est melius teneri.

Primo quidem, quia per hoc libertas ei nulla esset.

Secundo vero, quia consequeretur Deum nihil velle posse. Qui enim tenetur ad melius, quia melius est, is semper ad melius tenetur; ac propterea consistere non potest, nisi in optimo, nihilque aliud velle potest, nisi quod prorsus sit optimum. At in rebus finitis optimum impossibile est; nulla enim est res finita, qua aliqua alia meliori excogitari nequeat.

Patet ergo, Deum ratione suæ bonitatis non teneri ad hoc, ut bonum velit sine ullo physico malo. Potest igitur malum physicum, ut medium ad finem bonum, intendere.

Propositio V

578. *Nequit Deus malum morale intendere, nec ut finem, nec ut medium; potest tamen illud permittere, imo et decet ut permittat.*

Prænotandum est, voluntarium dici *intentivum*, quum voluntas aliquid appetit, vel ut finem vel ut medium ad finem. Dicitur vero *permissivum*, quum voluntas aliquid non impedit, quod impedire quidem posset, impedire tamen non teneatur. Ad hoc igitur ut aliquid vere permitti dicatur, ac tantummodo permitti, tria hæc requiruntur :

1^o Ut permittenti displiceat, aut saltem ut sit illi indifferens, non vero intentum ullo modo.

2^o Ut ex iis quæ quis intendit, non sequatur necessario; aut saltem ut non cognoscatur secuturum.

3^o Si ex iis quæ quis intendit, hoc sequitur per accidens, et ita secuturum cognoscitur, ut non teneatur aliunde idipsum impedire.

579. Probatur 1^a propositionis pars.

Si Deus vel ut finem vel ut medium, morale malum intenderet, approbaret illud, atque esset saltem mediate vera ejus causa. Hæc autem duo cum essentiali Dei rectitudine et sanctitate absolute pugnant. Ergo.

580. Probatur 2^a pars.

Qui morale malum tantummodo permittit, hoc quidem non impedit, sed nullo modo approbat aut intendit, imo reprobat ac damnat; nullatenus insuper ipsum impedire tenetur. Jam si Deus hoc pacto, atque his conditionibus, morale malum non impediatur, nihil est in hoc absonum, nihil Deo indignum. Potest igitur Deus malum morale permittere.

581. Probatur 3^a pars.

Decet supremum gubernatorem, ut humanas quidem voluntates ad bonum faciendum malumque vitandum instruat, excitet, suisque juvet auxiliis; postea vero eas, quemadmodum res ceteras, suis agi motibus sinat, etiamsi ad malum quandoque deflectant. Et hoc 1^o ut sit omnibus manifestum, auxilia quidem collata sufficientia fuisse, bona vero opera non esse coacta; 2^o ut homo sit

sui sollicitus, intentusque semper ne sibi desit, neve media a Deo collata negligat : quod si Deus nullum unquam permetteret peccatum, homo jam, omnibus illi commissis, sollicitudinem omnem deponeret, ac præmium virtuti promissum, quasi sibi debitum tranquille expectaret.

582. Objicies : Deus cum sit sanctissimus, peccatum omnino impedire debere videtur. Nam

a) Sanctitas infinita odio infinito peccatum prosequatur necesse est.

b) Nullum est bonum, quod peccati malum compensare queat.

Resp. *Neg. ant.*

Ad 1. *Dist.* Odio interne infinito, *conc.* externe infinito, *nego.* Nam ut cetera attributa divina, ita quoque Dei sanctitas infinite manifestari nequit.

Ad 2. *Dist.* Respectu creaturæ, *conc.* in consiliis divinæ sapientiæ, *nego* (581).

ARTICULUS V. QUOMODO HUIUS MUNDI MALA CUM DEI BONITATE COMPONENTUR

Propositio I

583 *Mala physica quæ in mundo sunt, cum divina bonitate non pugnant.*

Nam ut malorum hujusmodi existentiam explices, necesse profecto non est ut supponas, ab auctore rerum atque gubernatore mala hæc per se ut finem intendi; sufficit enim si dicas, ea intendi tanquam media ad fines bonos assequendos, et ad mundi ordinem conservandum; id quod divinæ bonitati non opponitur, ut modo dictum est.

Quod autem ita plane sentiendum sit, in primis a priori manifestum est (575). Tum etiam ex eo, quod physica mala a causis proveniunt bonis, bonosque producentibus effectus, et ad universi ordinem conspirantibus. Postremo mala omnia physica maxima bona revera afferunt, sive in physico ordine sive in morali; quod et inductione probari non difficulter potest, uti jam indicavimus (576), et ubi agemus de divina providentia, demonstrabitur.

duale physicum ordinantur : dolor enim monet animantem, et de organorum læsione, et de naturæ necessitatibus, vehementerque stimulat ad remedia adhibenda, ad cibum, potum, quietem quærendam, ad cavendos excessus, et ad opem aliorum implorandam; tum etiam vigiles facit et cautos ad prævertenda pericula, eaque præcavenda, quæ nocumentum afferre possent.

Ad 5. *Conc.* assertum, si intelligatur de malo morali; nempe malum morale intendi nequit antecedenti voluntate, ut medium ad finem quemcumque; qui enim sic ageret, illud approbaret; id quod nunquam licet. Ast ex hoc non consequitur, non esse unquam facienda bona, ex quibus mala moralia per accidens contingunt : nec mala moralia non esse permittenda, quando quis ea permittere potest, malis permissis utendo ad bonum voluntate consequente.

Si vero sermo sit de malo physico, *dist.* assertum : si mala quæ fiunt, pariunt bonum verum entis, vel bonum nobilius, *nego*; secus *tr.* Quis negaverit v. gr. posse membrum unum amputari, ut vita servetur, aut pœna plectendos esse fontes, ut justitiæ ordo restituatur?

588. Obj. 4^o. Si Deus omne malum impediret, esset multo magis bonus. Si ergo non impedit, non est infinite bonus.

Resp. *Dist. ant.* quoad externam manifestationem bonitatis suæ, quæ potest esse major vel minor, et certe finita esse debet, *tr.* quoad intrinsecam bonitatem, *nego.* *Eodem modo dist. cons.*

589. Obj. 5^o Deus voluit a) peccati incitamenta; quæ sunt animi humani cupiditates :

b) Voluit peccati causam; quæ est arbitrii libertas. Ergo voluit peccatum.

590. Resp. ad 4. *Dist.* Cupiditates sunt incitamenta peccati, quæ semper ac necessario ad peccatum pertrahant, et nullo modo virtuti famulentur, *nego*; incitamenta quæ nec semper nec necessario ad peccatum pertrahunt, quæque virtuti maxime famulantur, *conc.* Hæc enim cupiditatum incitamenta ex divina ordinatione eo spectant, ut virilis virtutis exercendæ, ac nobilissimorum certaminum occasionem nobis præbeant.

Ad 2. *Dist.* Causa peccati est libertas; nempe voluntas

abutens libertate, *conc.* voluntas ut pollens libertate, *nego.*

Libertas est utique *conditio, sine qua non* (116), tum ad pravas, tum ad honestas actiones; sed non est ex se aut istarum aut illarum causa; quippe quæ nec cum istis, nec cum illis necessario connectitur. Voluntas ipsa est, quæ se boni ac mali moralis causam facit: boni quidem, quum dominio quod in suos actus habet, *recte* utitur, legique æternæ quæ ejus regula est, se conformat; mali vero, quum hoc dominio *abutitur*, et a lege æterna deficit.

Per se igitur libertas est moraliter indifferens; nec possibilitas abusus malam illam facit: secus enim res omnes malæ essent, quia omnibus abuti homo potest. Physice autem bona est quia perfectio magna est. Ergo Deus libertatem volendo bonum voluit, et hoc amore boni, permitiendo nihilominus malum quod per accidens ex ea consequitur.

594. Obj. 6° Qui effectum prævidet, et causam ponit, effectum velle censetur. Sed Deus hominis peccatum prævidit, et tamen existentiam illi donat. Ergo.

Sic pater qui filio ense porrigeret, quo ipsum se interfectorum prævidisset, complex ejus censeretur.

Resp. *Dist. maj.* Si effectus ex causa necessario sequatur, *conc.* si sequatur per accidens, *subd.* si teneatur effectum impedire, *conc.* si non teneatur, *nego* (578); et juxta hæc *contradist. min.*

Nego autem *paritatem* in simili quod subjicitur. Etenim

1° Pater naturali officio, quod divina lex ipsi imponit, quæcumque filii mala impedire potest, impedire tenetur. Deus autem non tenetur impedire mala omnia quæ potest, uti demonstravimus.

2° Pater est provisor particularis; cura enim illi demandata est de filio, non de bono universali. Debet igitur avertere a filio mala omnia, quæ potest. Deus autem provisor est universalis; adeoque potest mala quædam permittere, quia potest illa ad universale bonum ordinare.

3° Deus mala permittendo, adhuc finem suum obtinet (584, 584, e). Non ita homo, cujus in hac vita finis est, ut officia sua, quantum potest, expleat.

Propositio II

584. *Mala quoque moralia quæ in mundo conspiciuntur, cum divina bonitate optime cohærent.*

Nam, quanquam Deus non possit morale malum intendere, sive ut medium sive ut finem, potest tamen permittere (577, 578). Atqui mala hæc Deus simpliciter permittit.

Etenim 1^o ea nullo modo intendit, imo positive detestatur ac damnat: suamque hanc reprobationem manifestat multipliciter.

2^o Malum non sequitur necessario ex iis quæ Dei voluntas intendit. Intendit enim hoc unum, ut ens intelligens ac liberum conderet, et ad perfectam felicitatem destinatum, quam tamen bene agendo et honestatis legem sancte servando, sibi promereri deberet, mediis utens a Deo sufficientissime acceptis. Ex his autem omnibus peccatum necessario non sequitur. Quod si necessario consequeretur, jam peccatum non esset.

3^o Deus non tenetur aliunde mala hæc impedire.

a) Non *ex justitia*. Nam creaturæ nihil debet, nisi quod ipse promiserit; et hoc sibi debet, non illi.

b) Non *ex sanctitate*. Nam peccatum quod permittit, prorsus ab ipso reprobatur.

c) Non *ex omnipotentia*. Etenim non tenetur Deus facere quæcumque potest.

d) Non *ex benignitate*. Secus ex benignitate sua ad hoc teneretur Deus, ut vel nullum ens intelligens ac liberum crearet, vel hoc ita conderet ac regeret, ut quanquam posset, nunquam tamen a rectitudine deflecteret. Sed primum divinæ bonitatis communicationem maximam impossibilem faceret: alterum supponit Deum ex bonitate sua teneri ad melius, adeoque ad optimum; id quod absurdum est (577). Ergo.

e) Non *ex sapientia*. Sapientia enim postulat, ut nihil Deus velit aut permittat, quod ad finem operibus suis præstitutum ordinari non possit. Atqui mala moralia ad finem quem Deus intendit, ordinari possunt, et reipsa ordinantur. Hic enim finis est extrinseca ejus gloria. Jam

vero Deus malum morale permittens patientiam suam et longanimitatem mirabiliter prodit; præclaros virtutum fructus ab hominibus elicit; et unum aut alterum infallibiliter assequitur, ut vel in parcendo patris misericordiam atque clementiam, vel in puniendo supremi iudicis justitiam manifestet.

Patet ergo mala moralia a Deo solummodo permitti, eaque permitti sapienter.

585. Quoad malorum moralium permissionem, hæc diligenter notanda sunt :

1° Aliud esse finem propter quem Deus vult mala hujusmodi permittere, aliud bonum quod ex malo permissio elicitur. Bonum hoc nequit esse finis permissionis, quasi vero ex hujus boni desiderio Deus peccatum non impediatur : hoc enim pacto peccatum esset a Deo intentum ut medium ; est igitur solum conditio *sine qua non*, permissionis peccati.

2° Hæc proinde bona quæ Deus mirabiliter facit de malis, non vult ipse *voluntate antecedente*, quæque unice a Deo dependeat, sed solum *voluntate consequente*, quæ ex nobis occasionem accipit.

3° Quænam vero sit causa finalis permissionis peccati, id enimvero non est a nobis temere investigandum, præsertim in particularibus. Est certe aliquis permissionis finis, quia Deus sapiens est, et est finis iste bonus, quia Deus bonus est. Hoc sufficit. Ceterum et nos fines hujusmodi aliquos generatim assignare possumus, ut supra innuimus (584).

586. Obj. 4° Nulla potest assignari ratio, cur Deus essentialiter bonus tam multa mala esse sinat.

2° Sunt imo multa mala, quæ ad nullum bonum finem dirigi possunt; v. gr. dolores brutorum et infantium.

3° Sed etiamsi possent omnia ad bonum finem ordinari, certa tamen sententia est : non esse facienda mala, ut eveniant bona.

587. Resp. ad 1. *Transeat*. Quid inde concludas? An rationem hujusmodi nullam esse posse? Nobis scire sat est, malorum omnium, sive physica illa sint sive moralia, existentiam cum divina bonitate non repugnare.

Ad 2. *Nego*. Nam certe diriguntur ad bonum universi. Nominatim vero animantium dolores ad bonum indivi-

ARTICULUS VI. DE POTENTIA DEI

592. Ad intelligendam divinæ potentiæ rationem, animadvertendum est *a)* in agente intellectuali finito, hæc tria principia ad operationem concurrere : intellectum, voluntatem, potentiam. Intellectus enim causa est ut *dirigens*, voluntas ut *imperans*, potentia ut *exsequens* opus. Illa sunt mediata principia, hæc principium immediatum. Idcirco nos in Deo hæc tria distinguimus, quæ tamen in eo secundum rem unum sunt. Divina nempe essentia, et intellectus est, et voluntas, et vis omnium effectrix.

b) Propterea actio divinæ potentiæ non est proprie transiens, sed immanens. Hinc recte dicimus, Deum intelligendo et volendo res extra se producere, atque omnia operari quæ operatur. Actiones enim immanentes hæc ipsæ sunt, cognitio atque appetitus.

c) Quoniam tamen per actionem divinam aliquid a Deo distinctum producitur, eadem divina actio transeunti æquivaleret actioni, et secundum quamdam similitudinem transiens vocari potest.

Propositio

593. *Deus est omnipotens.*

Nam si potentia divina ad aliquid quod possibile est, se extendere non posset, ipsa jam divina potentia limitibus contineretur, essetque vel ex hoc solo imperfecta.

594. Ex dictis in primo libro (28) manifestum est, quæ *impossibilia sunt, cum rationem entis non habeant, Dei potentia fieri non posse.*

Est porro animadvertendum 1º quædam Deum nec velle nec facere posse *absolute*, quia absolute repugnant; quædam autem solum *ex suppositione*, supposita nempe ejus præscientia ac voluntate de opposito : repugnat enim, Deum aliqua facere quæ non præciverit, aut voluntatem ejus mutari.

2º Id quod dici solet, alia posse a Deo fieri *potentia absoluta*, alia *potentiæ ordinaria*, ita esse intelligendum : quidquid potentiæ secundum se tribuitur, intenta

solum non repugnantia intrinseca objecti, ac præcissione facta a quocumque Dei decreto, hoc potentia absoluta fieri posse dicitur; id vero omne quod potentia tribuitur, secundum quod certum voluntatis decretum exsequitur, fieri dicitur potentia ordinaria.

CAPUT V

DE EXTERNIS DEI OPERATIONIBUS

595. Quæritur postremo de externis Dei operationibus; quæ sunt 4^o creatio, 2^o conservatio, 3^o concursus, 4^o providentia. De singulis agendum.

ARTICULUS I. DE CREATIONE

Ad creationem quod attinet, alibi (485,295) probatum est, creationem, seu effectiorem rerum ex nihilo, necessario admittendam esse.

Propositio I

596. *Solus Deus creandi virtutem possidet.*

Nam inter purum possibile, quod reipsa nihil est, et existentiam, infinita est improportio: est enim improportio maxima quæ excogitari possit inter duos terminos, ex quorum altero ad alterum transitus fiat.

Jam omnis activa virtus, cum in eo posita sit, ut potentiam aliquam essendi ad actum reducat, eo se prodit majorem, quo remotior est ab actu potentia quam in actum reducit. Quum igitur improportio inter potentiam essendi et actum essendi infinita est, virtus infinita, seu virtus ipsa divina requiritur, ut ejusmodi potentiam in actum reducat. Sed improportio inter puram possibilitatem, quæ est pura essendi potentia, et existentiam, infinita est. Ergo divina ipsa virtus requiritur ad hoc, ut quod pure possibile est, ad existentiam transferatur.

597. Notus est gnosticorum ac manicheorum error de malorum principio. Opinabantur enim duo fuisse suprema rerum principia, utrumque æternum et independens, quorum alterum esset summum bonum, idemque lucis, spirituum ac bonorum universorum origo; alterum summum malum, principiumque tenebrarum, materiæ, malorum omnium. Sic malorum originem explicare se posse putabant.

Propositio II

398. *Hæc gnosticorum et manicheorum hypothesis intrinsece absurda est, et ad finem ad quem assumitur, inepta.*

Primo dixi esse absurdam in se.

Nam *a)* supponit esse res quasdam per se malas. Hæc autem suppositio ex crassa quadam rerum physicarum ignorantia procedit, et omnino inepta est (52).

b) Multo magis repugnat, esse principium aliquod summe malum. Nam cum malum sit boni seu realitatis privatio, summum malum foret summa realitatis privatio, nempe merum nihil. Quomodo autem merum nihil esse ens queat, et rerum principium?

Et hæc sufficiant in re manifesta.

399. Secundo dixi esse inutilem ad finem.

Est enim hæc hypothesis invecta ad malorum bonorumque commixtionem quæ in mundo viget, explicandam. Atqui *a)* malorum origo optime explicatur, quin ad hæc opinionum monstra confugiamus: mala enim quæ in mundo sunt, cum infiniti Numinis bonitate nullatenus pugnant, ut in capite superiore demonstratum est.

b) Præterea duo hæc principia sibi invicem inimica sunt, et ad bonum vel malum essentialiter determinantur. Peto jam, utrum viribus polleant æqualibus, an vero inæqualibus. Si inæqualibus, jam vis major minorem vim superaret; et vel eam impediret ne quidpiam efficeret, vel quidquid ab ea fieret, prorsus destrueret, ipsaque solum in mundo dominaretur. Hoc igitur admissio, vel solummodo bonum, vel solummodo malum in mundo esset.

Si vero æqualibus viribus pollent, altera vis alteram

perpetuo elideret; ac proinde nec bonum nec malum superesset ullum.

Ergo hypothesis manicheorum boni ac mali permixtionem nullatenus explicat; imo vero illam facit inexplicabilem.

600. Neque dicas cum Baylio, evitari omnia hæc incommoda, si fingas bina principia, fœdere inter se inito, aliquid sibi mutuo concessisse, ut finis pugnandi fieret.

Etenim hoc 4^o absurde supponitur in iis quæ necessitate naturæ agunt.

2^o Hæc suppositio tollit utrique principio independen-
tiam.

3^o Si principium bonum, quin desinat esse bonum, permittere potest principio malo, ut mala bonis immisceat, jam malorum permissio cum summa bonitate non pugnat. Quid ergo necesse fuit, ad malorum existentiam explicandam, principium illud malum excogitari?

601. Quum de creationis fine quærimus, non de fine operantis (98) sermo esse potest, sed duntaxat de fine operis. Dicit enim nequit divinam voluntatem ad agendum proprie moveri. Ut enim supra dictum est, divinæ voluntatis actus est ipsa essentia divina: cum autem essentia divina non sit propter finem, neque divinæ voluntatis actus propter finem esse potest.

Propositio III

602. *Finis operis, seu finis ultimus ad quem mundus est a Deo ordinatus, est Dei gloria, videlicet divinæ bonitatis manifestatio.*

Omnium enim operum Dei divina bonitas finis sit oportet. Solum enim Dei bonitas a Deo propter seipsam ac necessario diligitur. Hæc itaque sola potest esse Deo ratio volendi quæcumque extra se vult, quæque Deus propter seipsa amare nequit. At quæ Deus extra se vult, nequeunt ita ordinari ad divinam bonitatem, ut aliquam perfectionem, aut voluptatem illi conferant, quod est absurdum. Seposito autem bono Dei intrinseco, non alio modo res hujusmodi ad Deum ordinari queunt, quam hoc, ut bonum ejus extrinsecum promoveant. Hoc vero bonum est

ejus gloria externa, seu divinorum perfectionum manifestatio. Ergo.

Hæc autem manifestatio absolute a Deo intenditur et efficaciter. *Absolute*, inquam, quia hic est finis rerum ultimus; et *efficaciter*, ita nempe ut Deus velit removere aut superare impedimenta omnia; quia secus inordinate et insipienter ageret.

605. Res autem diversæ, pro suæ naturæ diversitate, finem hunc ultimum diversimode assequuntur. Quæ res ratione carent, divinam sapientiam, bonitatem, potentiam ceteraque attributa manifestant, tum in seipsis, tum in eo quod ad mundi ordinem et rerum aliarum bonum, hominis præsertim, conspirant. Et res quidem hujusmodi necessario ad finem suum, determinato hoc modo obtinendum, per se diriguntur; atque hoc pacto fines proximi singularum rerum proprii determinantur.

Homo autem et ipse ad Dei gloriam est absolute ordinatus, eamque promovet non solum eo modo qui rebus omnibus communis est, nempe manifestando in sua excellentia et pulcritudine excellentiam pulcritudinemque Creatoris, sed alio insuper modo ac nobilissimo. Quoniam enim ipse libertate pollet arbitrii, duplex ipsi ad Dei gloriam promovendam aperta est via. Prima Dei intentio est, ut homo Deum glorificet libero obsequio atque amore in mortalis vitæ brevissimo cursu, ac dein perfectam in Dei cognitione et amore assequendo felicitatem. Quod si homo male agendo, hoc tam ingenti bono se indignum exhibeat, divinæ nihilominus gloriæ serviet altero modo, quatenus nempe æterno supplicio addictus, divinam justitiam in seipso invitus manifestabit. Et sic ad absolutum rerum omnium finem et ipse necessario concurrent.

Propositio IV

604. *Mundus est in suo genere perfectus, non tamen absolute optimus.*

Sane manifestatio divinæ perfectionis gradus habere potest; nec ille gradus quem Deus ut mundi finem præstituit, potuit esse omnium possibilium maximus. Perfectiones enim infinitæ ab opere finito semper magis ac

magis manifestari possunt; nunquam vero ita, ut magis manifestari nequeant. Est igitur mundi finis manifestatio divinarum perfectionum, non simpliciter sed solum in determinata quadam mensura, quam inter omnes possibiles Creator libere præfinivit. Et hunc finem, in hac determinata mensura, mundus adamussim assequatur necesse est. Dei enim voluntas, in eo quod absolute et efficaciter intendit, frustrari nullatenus potest.

605. Hinc 1^o mundus habet omnia, quæ ad hunc finem, in hac determinata mensura assequendum, illi debentur. Est ergo in suo genere perfectus (†27).

2^o Quod si finis mundi generatim consideretur, mundus hic æstimari nequit omnium possibilium optimus. Quia licet finis sit optimus, modus tamen illum assequendi non est omnium optimus. Sic ruit speciosa illa, quam Leibnitzius invexit, *optimismi* doctrina.

ARTICULUS II. DE CONSERVATIONE

606. Conservatio alia est *indirecta*, alia *directa*.

Conservat rem indirecte omne id, quod vel removet rei contraria, vel iis resistit; quo pacto arca v. gr. pecuniam, vestes calorem conservant.

Directe rem conservat id omne, ex cujus influxu, tanquam ex causa, ipsum esse rei perpetuo dependet. Ita figura liquidi in vase contenti a vasis figura, et corporum compages a moleculari attractione conservantur.

607. Directa substantiarum conservatio definiri passim solet: *continuata creatio*. Sed vehementer erraret, qui ejusmodi definitionem ita intelligeret, ut res singulis momentis cedere putaret in nihilum, et a nihilo singulis momentis iterum educi. Hoc enim non esset continuata creatio, sed iterata; id quod ingentem continet absurditatem.

Quum itaque conservatio dicitur continuata creatio, hoc est ita intelligendum, quod quemadmodum existentie initium debetur divinæ virtutis efficacie, quæ facit ut res sit, ita continuatio existentie ab ejusdem efficacie continuatione dependet; ita ut quandiu res in esse perseverat, tandiu perseveret actio quæ rei tribuit ut sit, et ideo rei existentia protrahatur, quia hæc protrahitur.

608. Ex his intelliges conservationem ab actione creandi reipsa non distingui, sed unam eandemque cum illa actionem esse. Creatio tamen et conservatio distinguuntur ratione, quatenus utraque quidem effectum rei dicit, sed illa connotando rem antea non fuisse, hæc connotando rem antea fuisse.

Propositio I

609. *Omnia quæ sunt, directe a Deo conservantur.*

Nam ut perfectio quæ alteri communicatur maneat in illo, agentis actione cessante, necessario requiritur, vel ut hæc perfectio communicetur subjecto habenti jam ex se præviam virtutem eam sibi appropriandi, vel ut effectui communicetur illa ipsa perfectio, quæ est in agente actionis principium. Aliter perfectio communicata maneret in effectu sine ulla causa.

Atqui in creatione, per quam ipsum esse rebus communicatur, neutrum contingit. Creator enim non communicat esse subjecto quod ex se virtutem habeat servandi ipsum esse; tum quia creatio nullum præsupponit subjectum, tum etiam quia ipsum esse non potest ab alia quapiam perfectione recipi ac servari. Neque potest effectui creato communicari ea perfectio, quæ in Creatore est creandi principium. Hujusmodi enim principium est ipsa essentia divina plane incommunicabilis; fieri enim nequit ut quod habet esse participatum, sit ens a se.

Ergo esse quod rebus creatis communicatur, non potest in ipsis manere, cessante creationis actione. Ut ergo res creatæ esse perseverent, Creatoris actio perennis requiritur; quemadmodum ad hoc ut corpora opaca lucem diffundant, a corpore luminoso illam perenniter accipiant necesse est.

640. Ex disputatis in hoc articulo colligere licet quinam haberi debeat annihilationis conceptus. Non est putandum, ad annihilationem requiri actionem positivam; ad hoc enim ut res creata in nihilum redigatur, sufficit, si Deus actionem qua ipsam conservat, ab ipsa subtrahat; videlicet ut divina voluntas in eo quod entis existentiam ejusque durationem decernit, non perennem illam, sed ad certum usque tempus decernat.

Propositio II

611. *Ad Deum tantummodo annihilationem pertinere, dubium esse nequit.*

Si enim annihilatio cessatio conservationis est, conservatio autem continuata creatio, profecto ille solus annihilandi potestatem habet, qui creandi virtutem possidens, omnis existentiae fons est.

ARTICULUS III. DE CONCURSU

612. *Concursus Dei naturalis, de quo nobis sermo, est cooperatio Dei cum causis secundis, seu divinæ virtutis in agentis finiti actiones influxus.*

Concursus porro unius causæ cum altera *mediatus* est, et *immediatus*. Mediatum est ex eo, quod una causa alteri vires agendi communicat: sic gladii artifex cum gladio concurrat ad ferendum. Immediatum est ex eo, quod una causa cum altera actu influit ad eundem producendum effectum. Sic duo equi currum trahentes, alter cum altero, ad currus motum ciendum concurrunt.

Concursus item est *physicus*, si concurrens operantem physice juvet; *moralis* si moraliter, i. e. suadendo, jubendo, minitando etc. Ille *generalis*, iste *specialis* appellatur.

Propositio I

613. *Deus omnibus agentibus cooperatur.*

Probatur ex dictis de conservatione. Nam conservatio, secundum rem, a productione prima non differt; sed ratione solum. Si ergo effectus agentium finitorum ab iis primo producantur sine ullo Dei influxu, ii profecto sine hoc influxu etiam conservantur: si autem conservari a Deo dicas, ut dicendum est, concludendum eos, etiam in productione prima, a Deo dependere. Non sunt ergo a suis causis sine Dei cooperatione.

Alio modo. Si res immediato Dei influxu non egent

quum fiunt, cur egeant postquam factæ sunt? Siquidem si qua res, ut sit, alienum influxum requirit, multo magis ipsum requirere putanda est, ut esse incipiat, quam ut jam facta completaque permaneat.

644. Obj. 1^o Quum una eademque actio est a duobus agentibus, agens utrumque est causa partialis. Hoc autem de Deo dici nequit.

2^o Causæ secundæ profecto possident sufficientem et completam virtutem agendi ea quæ agere possunt. Ergo superioris causæ auxilio non indigent.

3^o Quod si effectus causarum secundarum proprios Deus operatur, profecto sufficienter operatur, et quantum ad producendum effectum requiritur. Non enim potest Deus insufficienter operari. Ergo ad eundem effectum producendum causæ secundæ frustra adhibentur.

645. Resp. ad 1. *Dist. maj.* Quum utrumque agens constituit unam causam finitam, *conc.* quum alterum agens finitum est, alterum infinitum, *subd.* utrumque est causa partialis ex parte effectus, *nego*; ex parte causæ, iterum *subd.* spectata integra causalitate necessaria ad opus agentis finiti, *tr.* spectata unaquaque causa in suo ordine, *nego. Contradist. min.*

Effectus cui producendo actio Dei et actio creaturæ cooperantur, non partim a Deo manat, et partim a creatura, sed totus est Deo adscribendus, et totus creaturæ, diversimode tamen: a Deo enim est ut a causa prima et independenti; a creatura ut a causa secunda ac dependenti. Sic utraque causa totalis est, in suo videlicet modo causandi totum effectum. Quod si integra causalitas ad effectum necessaria consideretur, nihil vetat, quominus, ut quidam loqui amant, et Deus et creatura ad eundem effectum partialiter concurrere dicantur.

Ad. 2. *Dist. ant.* In actu primo, *conc.* in actu secundo, *subd.* cum dependentia a prima causa, *conc.* independenter ab ipsa, *nego.* Et *nego conseq.*

Ad. 3. *Dist. ant.* Deus sufficienter operatur ad modum causæ primæ, *conc.* ad modum causæ unicæ, *subd.* quando causas secundas non adhibet, *conc.* quando adhibet *nego.* Relege quæ hac de re in primo libro (125) dicta sunt.

Propositio II

646. *Dei cum agentibus liberis cooperatio libertatem nullo modo lædit aut minuit.*

Cum enim certum sit, Deum unicuique agenti suum concursum non conferre, nisi modo cujusque naturæ accommodato, consequitur eundem concursum diverso modo præparari et offerri causis ex necessitate agentibus, ac causis cum arbitrii indifferentia operantibus. Proinde illis offertur determinatus in omnibus ac definitus, talisque, ut cum illo hæc et non alia individua actio, hoc tempore, hoc ordine, his adjunctis prodire necessario debeat.

Causis autem liberis non ita. Non enim iis concursum suum Deus præparat et applicat, efficaci voluntate physice determinante, et efficiente unum aliquem actum, et non alium; sed ad plures actus, ad quos causa libera indifferens est, indifferentem pariter, quantum est ex se, et ad singulos sufficientem, concursum offert. Unde fit, ut voluntas, etiam ex parte præparati sibi concursus, proxime disposita sit ad eligendum; et possit tam velle, quam non velle, atque adeo nolle, et tam hoc velle aut nolle, quam illud. Sic in ipsius voluntatis potestate est divino vel ad unum vel ad alterum concursu uti; neque concursus voluntatem, sed potius voluntas concursum flectit atque determinat. Sic patet quomodo divinus concursus libertatem non lædat, sed potius causet et protegat.

Propositio III

647. *Deus etsi ad actus quoque pravos concurrat, nullatenus tamen est peccati causa.*

Etenim actus isti spectari possunt et *materialiter*, ut sunt aliquid physicum et physice bonum, et *formaliter*, ut privationem continent conformitatis ad morum regulam, in qua privatione malitia moralis sita est. Deus igitur, quum suum indifferentem concursum voluntati offert, ita

illum offert, ut bonum actum, quantum in ipso est, intendat, pravum autem velit solummodo permittere. Quumque voluntas ad malum actum declinat, Deus concurrit, et quidem *permissive*, ad actum materialem, quatenus, cum posset illum impedire, cooperationem suam subtrahendo vel aliter, tamen non impedit; ad actum vero, ut est formaliter malus, nullo modo concurrit, sed potius illum reprobatur ac damnatur. Malitia igitur tota est humanæ voluntatis, nullo pacto Deo tribui potest.

ARTICULUS IV. DE DEI PROVIDENTIA

618. Providentia pressius accepta est *ordinatio rerum in finem*. Ea pertinet tum ad intellectum, qui res ad fines ipsarum proprios, per opportuna media assequendos, disponit; tum ad voluntatem, quæ conceptum mente ordinem approbat, illumque adhibere decernit.

Exsecutio hujus ordinis, i. e. actualis rerum ad suos fines directio, dicitur proprie *gubernatio*.

Cura rerum utramque complectitur. Ceterum hæc tria: providentia, gubernatio, cura rerum, promiscue usurpantur in communi sermone; nos hoc postremo sensu, qui plenior est, nempe pro cura rerum providentiæ vocabulum modo accipimus.

Providentiam divinam impugnarunt epicurei, stoici, fatalistæ omnes, et in præsentia deistæ et increduli.

619. Supra (602) demonstratum est Deum omnia quæ sunt, ad ultimum finem condidisse, qui est ejus gloria: ad hunc autem finem, pro suæ naturæ diversitate, singula conspirare (603). Quare licet sit unus finis ultimus omnibusque communis, rerum tamen singularum fines partiales et illi subordinati, plures sunt et diversi. Dei igitur providentia in hoc est, ut unamquamque rem, mediis opportunis adhibitis, ad finem suum, partialem assequendum dirigat, ut finem ultimum constanter omnia obtineant.

Propositio I

620. *Deus omnibus ac singulis rebus sapientissime providet.*

Nam 1^o ut præteream argumenta plurima, quæ ex observatione et experientia colligere quisque potest, certe quidquid Deus condidit, quidquid conservat, hoc ad finem aliquem condidit atque conservat : vult nimirum ut res a se conditæ finem aliquem semper assequantur. At si hoc vult, media quoque idonea illis suppeditare perpetuo debet. Nam qui vere vult finem, is media velit oportet, et tandiu velit, quandiu finem vult.

2^o Si Deus creatis a se rebus non providet, quænam incuriæ hujus causa erit?

An quia *nescit*? Hoc dici nequit sine absurditate.

An quia *non potest*? Atqui uno voluntatis suæ nutu efficere omnia potest.

An quia *non vult*? Videlicet ex ignavia, aut lassitudine, aut quia opera sua post aliquod tempus fastidire cœpit. Si sapiens, si bonus Deus est, omnino sibi debet, ut suorum operum curam habeat. Libere fecit, quæcumque fecit, at postquam fecit, ea despiciere ac deserere non potest.

Propositio II

621. *Dei providentia ad singularia se porrigit, etiam ad res minimas atque vilissimas.*

Nam 1^o cum Deus propter finem efficiat quæcumque efficit, tantum patet ejus providentia, quantum patet ejus efficientia; eoque modo res attingit providentia, quo efficientia.

Sed Dei efficientia se porrigit ad omnia et singula quæ esse participant, etiamsi vilissima sint: omnia enim quæ sunt, Deus creavit, omnia conservat, omnibus cooperatur; neque genera aut species efficit, quæ sunt mentis abstractio, sed individua. Ergo.

2^o Si Deum dedeceret ea quæ vilia sunt nobis ac minima,

gubernare, sane ipsum quoque dedecisset ea creare ac conservare. Hoc autem Deum non dedecuit. Ergo.

622. Inter divinam porro humanamque providentiam hoc interest discriminis, quod homines, cum immediate omnibus sibi subjectis prospicere nequeant, administris utuntur qui particularium curam gerant, tam ordinando singula ad finem idoneaque media eligendo, quam intentum ordinem exsequendo. Deus autem, quem nihil impedire potest quominus de singulis per se cogitet, singulis per se prospicit, finem statuens mediaque præparans, sed in executione suæ providentiæ quasdam res per alias gubernare solet, ut filios per parentes, ac civitates per earum rectores, non sane ex defectu potentiæ, sed ex sapientiæ consilio, et ut paternæ quoque suæ bonitatis vestigium ali-quod et imago in rerum universitate fulgeat.

Propositio III

623. *Speciali providentia intellectuales creaturæ a Deo gubernantur.*

Etenim 1^o hæ sunt, in quibus, et per quas finis creatio-nis ultimato obtinetur. Sola enim rationalis creatura acti-bus suis ad universi finem pertingit, et gloriam Deo vero tribuit, ipsum cognoscendo et amando. Unde est, quod cetera quæ in mundo sunt, propter ipsam facta sunt, ipsa autem immediate propter Deum. Si ergo Deus res omnes provide gubernat, multo magis rationalem creaturam.

2^o Eoque magis, quod rationalis solummodo natura in finis sui assecutione felix esse potest, ex ejusque amissione miserrima sit oportet; cum cetera nec finem cognoscant, nec eo perfruantur obtento, nec doleant amisso. Quare cum Deus, si rebus insensatis non provideret, insipienter agere dicendus esset, non insipientem modo, sed crudelem se exhiberet, si homo ex mediorem defectu et ex sui con-ditoris incuria, finem suum aliquando non obtineret.

3^o Prætermisiss pluribus quæ ex hominis individui con-sideratione et ex humani generis historia huc afferri pos-sent, notabo solum luculentissima quædam providentiæ indicia quæ in humana societate continenter emicant.

a) Vita socialis consistere non posset, si omnes homines

essent mendaces, proditores, laboris et injuriæ impatientes, nullisque legibus subjici vellent. Ex altera parte singuli homines possunt ita perverti ; iique ipsi qui semper probi fuerunt, possunt intra breve momentum improbi fieri. Unde ergo factum est, ut nunquam generalis hæc morum perversio acciderit ?

b) Varietas vultus ac vocis propemodum infinita, insignis est providentiæ in societatem argumentum. Fac enim, omnes in omnibus perfecte similes esse : quanta exinde perturbatio consequeretur !

c) Ad societatem conservandam necessaria quoque est propensionum et ingeniorum varietas, ut omnibus ejus necessitatibus satisfiat. Hæc autem varietas semper servatur.

d) Diversitas denique graduum, et inæqualis bonorum distributio requirebatur in primis, ut societas permanere, vel ad aliquod tempus, posset. Ita autem sunt omnia disposita, ita connexa sunt et interna adjuncta et externa, ut hæc graduum diversitas, honorumque inæqualis distributio constanter maneat.

4^o Accedat ultimo ad hæc omnia humani generis constans consensus.

a) Hæc se manifestat, quum aliqua calamitate, injuria, periculo homines premuntur, aut repentino terrore percelluntur. Tunc enim oculos, manus, vocem in cælum attollunt, et Numen sponte invocant.

b) Hanc testantur jurisjurandi religio, sacrificia ac vota, quæ omnibus populis usitata semper fuere, ad bona consequenda, ad avertenda mala, ad gratias agendas.

c) Imo cultus religiosus universus, et timor divinæ potestatis in hac maxime persuasionem fundamentum habent.

d) Ipsæ impiorum blasphemix eandem persuasionem manifestant. Cur enim in Deum irascuntur scelesti, nisi quia certo tenent, ipsius nutu omnia regi ?

624. Ex dictis hucusque hæc colliguntur :

1^o Unaquæque res et ad peculiarem aliquem finem ordinata est, et mediis instructa ad ipsum assequendum, etiamsi vel finis vel media non appareant.

2^o Nullus est respectu Dei eventus fortuitus, non modo quia omnia ipse prævidit, sed etiam quia omnia sub ordine providentiæ ejus continentur.

5° Homo quilibet in promptu habet media omnia, quæ ipsius conditio et adjuncta postulant, ut honeste sancteque vivere possit, et per hoc felicitatem in futuro assequi. Hic est enim hominis finis (603).

4° Mala physica quæ in mundo sunt, cum finis rationem non habeant (575), medii rationem habeant necesse est.

5° Idem dicendum de malorum moralium permissione. Supremus provisor etiam malorum permissione, tanquam medio, utitur.

6° Unde quidquid, sive boni sive mali, in unoquoque homine accidit vel circa illum, quantum est ex parte Dei, medii ad finem hominis idonei, semper rationem habet.

625. Antiquissima humanæ imbecillitatis et arrogantiae in divinam providentiam calumnia est, pessimos quosque homines bonis omnibus affluere, probos autem atque honestos cum adversa fortuna semper collectari. Ad hasce querimonias respondendum in primis, falsum esse, quod generatim asseritur, bonos nempe omnes miseros, impios autem felices esse; multos enim bonos felices videmus, multosque malos miseros. Itaque hoc unum quæri potest: cur tum boni tum mali hujus vitæ bonis ac malis indifferenter et promiscue, ut plurimum, subjiciantur, prouti rerum cursus tulerit. Hujus autem boni ac mali promiscuæ distributionis multæ rationes reddi ab humana ipsa imbecillitate possunt; quarum præcipuas ad tria capita reducemus.

626. Potissima ratio hæc est, quod vita hæc præsens stadium est probationis ac meriti, cui vita altera succedere debet, in qua unicuique pro meritis justa retributio fiet. Igitur bona et mala præsentis vitæ rationem potius habent mediorum ad futuram acquirendam felicitatem, quam præmii vel pænæ. Inter hæc autem media illa Deus unicuique assignat, quæ ipsi opportuna esse novit.

627. Aliæ rationes reddi possunt ex parte justitiæ Dei. Nam

4° Nemo adeo bonus est, qui aliquid non peccaverit; nemo adeo malus, qui aliquid boni non gesserit. Ergo possunt boni aliqua pænna temporali juste plecti, et mali aliquod temporale præmium recipere.

2° Sæpe actiones quædam, quæ bonæ videntur ac ma-

gnis dignæ præmiis, malæ revera sunt ex fine operantis, pœnamque potius aliquam merentur. E contrario actiones nonnullæ, quæ ingentes videntur mereri pœnas, venia dignæ sunt, quia ex errore aut inconsideratione procedunt.

5^o Non raro felicitas peccantium eorum supplicium gravius facit: bonorum autem ærumnæ sæpe a majoribus calamitatibus illos liberant; adeoque præmi loco habendæ sunt.

4^o Quæcumque sit impiorum felicitas, pœna tamen omnium gravissima semper illos cruciat, conscientiæ videlicet amaritudo, et futuri supplicii præsensio. Bonos autem semper solatur conscientiæ tranquillitas et spes.

5^o Denique adversarios sic urgere possumus. Frequenter contingit, ut bonus pater filium habeat pessimum, pia uxor scelestum maritum. Quæro jam: debetne Deus malum filium aut scelestum maritum omnino in præsentī vita punire? At si punit, damnum affert ac dolorem bono patri, piæ uxori. Estne hoc justum? Respondeant ipsi, ac nodum solvant.

628. Ex parte sapientiæ Dei.

1^o Enim cum qui in utroque ordine, et physico et morali, provisor est, non decuit talem inire providentiæ rationem, quæ ad moralem ordinem servandum, physicum penitus subverteret. Atqui physicus ordo plane subverteretur, si Deus præmia ac pœnas pro meritis in hac vita distribueret. Nulla enim lex constans, nullus certus esset eventus.

2^o Sapientiæ Dei provisoris convenit, ut humanam naturam modo ipsi congruo et accommodato gubernet. Non esset autem humanæ naturæ accommodata ratio illa gubernandi, quam adversarii postulant. Nam

a) Si boni nunquam aliquid paterentur mali, prærepta ipsis fuisset omnis occasio ad virtutes nobilissimas exercendas, ut alio in loco notatum est (576). Insuper bonis sensibilibus toti inhærent, nec de futura felicitate amplius cogitent. Cum e contrario adversi casus a fluxis et caducis rebus animos avellant, et per hoc ipsum virtutem custodiant.

Si autem omni suæ beneficentiæ effectu peccantes Deus privaret, subtraheret illis incitamentum maximum ad resi-

piscendum, videlicet beneficia. Quod si illico morte eos plecteret, omnem pœnitendi viam illis præcluderet; ac de genere humano brevi actum esset.

b) Deinde, ne plura consector, quum Deus caduca hæc bona bonis et malis sinit esse communia, docet nos ea magni pendenda non esse; simulque futuræ retributionis evidens argumentum suppeditat. Quæ duo documenta erant nobis necessaria quam maxime.

629. Ex dictis colliges, quænam sit ad objectam principio difficultatem (625) responsio.

Mali bonis affluunt, boni calamitatibus opprimuntur, *dist.* hoc semper accidit, *nego*; quandoque, *subd.* et hoc est secundum justæ ac sapientis providentiæ ordinem, *conc.* non est ejusmodi, *nego*.

650. Obj. præterea 1^o multa esse in mundo prorsus inutilia;

2^o Imo plurima mala ac noxia.

3^o Boni provisoris est, ut mala avertat ab iis quos gubernat; Deus autem hoc non facit.

4^o Magna hominum pars felicitatem non assequitur, quæ tamen est hominis finis.

5^o Multi insuper laborant defectu mediiorum, quæ ad vitam conservandam necessaria sunt.

651. Resp. ad 1. *Nego*. Licet enim quarumdam rerum fines proximos non cognoscamus, certum tamen est *a priori*, rebus omnibus finem suum esse propositum (624, 4^o). Certum est item et ipsis oculis manifestum, nihil esse quod potentiam, sapientiam bonitatemque Creatoris in se non manifestet; id quod ultimus rerum omnium est finis.

Ad 2. *Dist.* mala in se, *nego*; mala relative seu noxia, *subd.* respectu ordinis universalis, *nego*; respectu hominis, *subd.* in ordine physico. *tr.* in ordine ad ultimum finem, *nego* (624, 4^o, 6^o).

Ad 3. *Dist.* Si habeant de se rationem medii, *nego*; si non habeant, *tr.*

Ad 4. *Dist. maj.* in hac vita, *tr.* in altera, *subd.* ex propria culpa, *conc.* ex mediiorum defectu, *nego*.

Dist. min. Felicitas est hominis finis in hac vita, *nego*; in altera, *subd.* est finis conditionate intentus, *conc.* absolute, *nego* (603).

Ad 5. *Dist.* et hic ipse defectus argumentum est providentiæ in humanam societatem (623, 5^o d), et est medium ipsis tributum ad finem ultimum (624, 4^o, 4^o), *conc.* secus, *nego*.

652. Obj. 6^o Deus est infinite magnus. Non ergo eum decet, ut ad res vilissimas gubernandas sese demittat: quemadmodum e regis majestate non est, ut de vermibus hortorum suorum anxie occupetur.

Resp. Conc. ant. nego conseq. (624, 2^o). *Nego* insuper *paritatem*. Rex enim, cum vires habeat ad humanum modulum limitatas, singulis rebus, etiam minimis, providere per se non potest; nec ad eum pertinet ut omnibus provideat. Quod si vellet minimis providere, gravioribus negotiis intendere, uti debet, non posset. Deus autem hoc ipso, quod infinite magnus est, si minimis providet, non idcirco majora deserit. Ad eum vero pertinet, ut de omnibus curam gerat, quia omnium creator est (624, 4^o).

653. Obj. 7^o Experientia ostendit, sua cuique negotia succedere, prouti magis vel minus, industria, viribus, imo et fraudibus utitur, non autem pro meritis et jure uniuscujusque. Ergo.

Resp. Dist. ant. Hoc semper accidit ut dicitur, *nego*; plerumque, *subd.* justo ac sapienti consilio, *conc.* secus, *nego*.

Hoc non semper accidit. Deus enim, a quo rerum pendent eventus, aliquando facit, ut per media prorsus insufficientia negotia difficillima felicem exitum sortiantur. Sæpe item impiorum magnas vires irritas reddit, eorumque astutias et fraudes eludit, atque adeo ad contrarium exitum perducit. Quod si non semper ita disponit, ratio est, quia non tenetur in hac vita rationes cuique subducere. Vide dicta superius (626, seq.).

Ceterum sapienter disposuit supremus provisor, ut humanæ industriæ communiter responderet eventus; scilicet ne otio ac desidia homines torpescerent, sed ratione ac viribus acceptis uterentur. Nec tamen semper eventus industriæ respondent; quia Deus aliter ordinat in bonum certe nostrum, si sapimus.

654. Obj. 8^o Si Deus omnibus in particulari providet, impium est industria propria uti, vel hominum auxilia quærere.

Resp. *Nego.* Deus enim in hoc ipso providentiam suam ostendit, quod mentem tibi dedit, et vires, et naturalia media, quæ ad tuam utilitatem uteris. Proinde qui omnia sibi expectare vellet a Deo, is a divina providentia constitutum ordinem perverteret.

633. Ex his quæ postremo loco dicta sunt, deduces prudentis ac sapientis esse, ut temperatam sollicitudinem suis rebus adhibens, mediis a Deo acceptis diligenter utatur, suæ vero industriæ exitum divinæ providentiæ fidenter committat. Huc redit, donec mortalem hanc vitam trahimus, ars tota beate vivendi.



INDEX

	Pagina.
EDITOR AD LECTOREM.....	V
AUCTORIS MONITUM	VII
PROEMIUM.....	1

LOGICA

LIBER PRIMUS — DIALECTICA

CAPUT I. — DE IDEIS EARUMQUE SIGNIS

Art. I.	Apprehensionis notio.....	3
Art. II.	De quibusdam mentis operationibus circa res suasque ideas.....	4
Art. III.	Divisio idearum secundum objecta.....	5
Art. IV.	De universalium classibus.....	7
Art. V.	Divisio idearum secundum perfectionem repræsentationis.....	10
Art. VI.	De ideis inter se comparatis.....	11
Art. VII.	De signi et vocabuli notione.....	12
Art. VIII.	Terminorum divisio.....	14
Art. IX.	De quibusdam terminorum affectionibus.....	17
Art. X.	De divisionis notione.....	19
Art. XI.	De variis divisionis speciebus.....	21
Art. XII.	Præcepta ad bene dividendum.....	22
Art. XIII.	De definitione.....	23
Art. XIV.	Præcepta ad bene definiendum.....	24

CAPUT II. — DE JUDICIO EJUSQUE SIGNO

Art. I.	Judicii notio.....	26
Art. II.	De judicii signo.....	27
Art. III.	Divisio propositionum ratione formæ.....	28
Art. IV.	Divisio propositionum ratione extensionis.....	30
Art. V.	Divisio propositionum ratione materiæ.....	31
Art. VI.	De propositionibus complexis.....	33
Art. VII.	De propositionum oppositione.....	35

CAPUT III. — DE RATIOCINIO EJUSQUE EXPRESSIONE

	Pagina.
Art. I. Ratiocinii notio.....	37
Art. II. De ratiocinii expressione.....	39
Art. III. De conclusionis rectitudine et veritate.....	40
Art. IV. Syllogismi simplicis leges.....	42
Art. V. De syllogismo hypothetico.....	45
Art. VI. De syllogismis complexis.....	47
Art. VII. De ceteris argumentationibus quæ ad syllogis- mum reducuntur.....	48

CAPUT IV. — DE METHODO

Art. I. Quid sit methodus et quotuplex.....	51
Art. II. De argumentatione demonstrativa.....	53
Art. III. De inductione.....	55
Art. IV. De argumentatione probabili.....	57
Art. V. De argumentatione sophistica.....	59
Art. VI. De methodo disputandi.....	61

LIBER SECUNDUS — CRITICA

CAPUT I. — DE VERITATE EJUSQUE ASSECUTIONE

Art. I. De veritate ac falsitate.....	64
Art. II. Per quem actum falsitas in mentem subeat.....	66
Propositio. <i>Falsitas in mentem induci nequit per ap- prehensionem, sed solummodo per ju- dicium</i>	ib.
Art. III. De variis mentis statibus respectu veritatis.....	68
Art. IV. De scepticismo.....	71
Prop. I. <i>Universalis dubitatio est physice impossi- bilis</i>	ib.
Prop. II. <i>Universalis dubitatio intrinsecam contra- dictionem includit</i>	72
Art. V. De veritatibus primitivis.....	73
Prop. I. <i>Veritates primitivæ necessario debent esse veritates non demonstratæ</i>	ib.
Prop. II. <i>Veritates primitivæ sunt hæ tres : factum primum, principium primum et condi- tio prima</i>	74
Prop. III. <i>Tres primitivæ veritates absque ulla de- monstratione a philosopho admitti ut certissimæ et possunt et debent</i>	ib.

CAPUT II. — DE SENSU INTERNO ET EXTERNO, UT EST
MEDIUM ASSEQUENDÆ VERITATIS

	Pagina.
Art. I. Notiones præviæ de sensu intimo et externo.....	76
Art. II. De certitudine sensus intimi	77
Propositio. <i>Sensus intimus, in iis quæ renuntiat, est medium veritatis assequendæ omnino infallibile.....</i>	ib.
Art. III. De certitudine sensuum externorum.	79
Prop. I. <i>In sensationibus, prouti subjecti affectiones sunt, nulla potest esse falsitas....</i>	ib.
Prop. II. <i>Sensiles repræsentationes a falsitate sunt immunes, si sensus recte fuerint dispositi, et pro objectorum varietate convenienter adhibiti.....</i>	80

CAPUT III. — DE IDEIS

Art. I. De idearum objectiva realitate	83
Propositio. <i>Objectivus idearum valor 1^o demonstrari nequit; 2^o demonstratione non eget; 3^o ipsa negatione vel dubitatione affirmatur.....</i>	ib.
Art. II. De idearum universalium objecto.....	84
Prop. I. <i>Habet humana mens ideas universales....</i>	85
Prop. II. <i>Nihil est extra intellectum in rebus, ex se et ante omnem intellectus operationem, universale.</i>	86
Prop. III. <i>Universalitas omnis constituitur per intellectum cum fundamento in re.....</i>	ib.
Art. III. De cognitionibus quæ idearum comparatione colliguntur	88
Prop. I. <i>Ex immediata idearum comparatione veritates analyticæ immediatæ eliciuntur.</i>	ib.
Prop. II. <i>Mediata idearum comparatio, seu ratiocinium, plurimarum cognitionum est nobis fons.....</i>	ib.
Art. IV. De certitudine huiusmodi cognitionum.....	89
Prop. I. <i>Veritates analyticæ immediatæ metaphysica atque absoluta certitudine gaudent.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Cognitiones per ratiocinium comparatæ, falsæ esse non possunt, si tamen ratiocinium et præmissis constet veris, et ad legitimam formam sit exactum.....</i>	90
Art. V. De memoria	ib.
Propositio. <i>Memoria, quamvis debilitari aut etiam deficere possit, nunquam tamen per se sanam rationem in errorem adducit..</i>	ib.

CAPUT IV. — DE TESTIMONIO

	Pagina.
Art. I. Quid sit et quotuplex testimonium	92
Art. II. De testimonii necessitate et utilitate	93
Prop. I. <i>Veritates, quæ humanæ rationis captum superant, cognosci aliter non possunt, quam per divinum testimonium.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Utile est humano generi, ut veritates quo- que naturalis ordinis, quæ ad cogni- tionem sive Dei sive moralium officio- rum pertinent, fide divina accipiat ...</i>	ib.
Prop. III. <i>Utile est omnibus, imo plane necessarium, ut testimonio humano, sive dogmatico sive historico, fidem in pluribus adhi- beant.</i>	94
Art. III. De testimonii dogmatici auctoritate.....	ib.
Prop. I. <i>Quæcumque docentis Dei testimonio nitun- tur, infinitam habent auctoritatem...</i>	ib.
Prop. II. <i>Humanum testimonium dogmaticum cer- titudinem proprie dictam ex se gignere non valet. Judicia tamen quæ dicuntur sensus communis, ejusmodi sunt ut iis falsitas subesse nequeat.....</i>	95
Art. IV. De auctoritate historici testimonii.....	96
Propositio. <i>Testimonium historicum, certis quibusdam adjunctis, plenam jure fidem sibi vin- dicat.</i>	ib.
Art. V. De traditione, documentis et monumentis.....	98
Art. VI. Utrum auctoritas sit unicum certitudinis mo- tivum.....	99
Prop. I. <i>Humana auctoritas non est unicum certi- tudinis motivum.....</i>	100
Prop. II. <i>Divina auctoritas non est unicum certitu- dinis motivum, neque ut motivum ordine primum haberi potest.....</i>	ib.

CAPUT V. — DE VERITATIS CRITERIO

Art. I. Evidentiæ notio.....	101
Art. II. An evidentiæ sit veritatis criterium.....	103
Propositio. <i>Evidentiæ est criterium secundum quod ve- ritatem a falsitate distinguimus, ac propterea est ultimum certitudinis motivum.....</i>	ib.
Art. III. De evidentiæ limitibus.....	106
Propositio. <i>Fatendum est veritates quasdam esse quæ absolute et per se humanæ rationis captum excedunt.....</i>	107

METAPHYSICA

LIBER PRIMUS — ONTOLOGIA

CAPUT I. — DE ENTE EJUSQUE AFFECTIOIBUS

	Pagina.
Art. I. De entis notione.....	111
Prop. I. <i>Entis notio proprie definiri non potest, nec definitione eget; at potest declarari quid entis nomine veniat.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Non-ens intelligi nullo modo potest per se, sed duntaxat per respectum ad ens..</i>	112
Prop. III. <i>Intellectus noster de ipso non-ente ad modum entis cogitare potest.....</i>	ib.
Prop. IV. <i>Ab entis notione immediate dimanant principia, quæ dicuntur identitatis, contradictionis, et exclusi medii.....</i>	113
Art. II. De essentia.....	ib.
Prop. I. <i>Nulli dubium, quin probe cognoscamus rerum illarum essentias, quarum constitutio ab intellectu humano dependet. At rerum naturalium essentias imperfecte admodum, et exterius potius quam intime cognoscimus.....</i>	114
Prop. II. <i>Rerum essentia sunt indivisibiles, immutabiles, æternæ.....</i>	115
Art. III. De existentia et possibilitate.....	116
Propositio. <i>Intrinseca possibilitas nec a Dei potentia, nec a Dei voluntate originem ducit; sed ex ipsis rerum essentis emergit..</i>	117
Art. IV. De unitate et multitudine.....	119
Propositio. <i>Omne ens est unum.....</i>	121
Art. V. De veritate et falsitate.....	ib.
Propositio. <i>Omne ens verum est.....</i>	123
Art. VI. De bono et malo.....	ib.
Prop. I. <i>Omne ens est bonum.....</i>	125
Prop. II. <i>Malum non potest esse nisi in subjecto bono.....</i>	126

CAPUT II. — DE ENTIIUM GENERIBUS SUPREMIS

Art. I. De substantia.....	ib.
Prop. I. <i>Substantia notionem experientia cuique obvia suppeditat.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Substantia est ens quod per se est, neque indiget alio tanquam subjecto cui inhæreat.....</i>	127

Prop. III.	<i>Nos cognoscimus quidem quid sit substantia universim et per oppositionem ad accidens, minime vero compertum habemus quid determinatas substantias intrinsece constituat</i>	128
Art. II.	De substantiæ affectionibus.....	129
Prop. I.	<i>Substantia et accidens non univoce dicuntur ens, sed analogice</i>	ib.
Prop. II.	<i>Indubitatum est accidentia omnia corporeæ substantiæ posse, hac sublata, a Deo conservari</i>	130
Art. III.	De quantitate	131
Prop. I.	<i>Continuum proprie dictum in partes proportionales sine fine dividi potest</i>	132
Prop. II.	<i>Termini quantitatis continuæ nihil sunt positivi, sed meræ privationes</i>	ib.
Art. IV.	De qualitate	133
Prop. I.	<i>Quædam qualitates contrarium habent, non tamen omnes</i>	134
Prop. II.	<i>Qualitates sensibiles et quæ compositæ sunt, habitus item et actus sunt graduum capaces; non vero figuræ et potentiæ naturales, saltem in eodem subjecto</i> ..	ib.
Art. V.	De relatione	135
Propositio.	<i>Manifestum est esse in rerum natura relationes reales</i>	137

CAPUT III. — DE RELATIONIBUS IDENTITATIS
ET CAUSALITATIS

Art. I.	De identitate et distinctiõne	138
Prop. I.	<i>Ratio qua fit ut una eademque res pluribus ac diversis conceptibus percipiatur, tum in intellectus imperfectione, tum in obsectorum perfectione sita est</i>	140
Prop. II.	<i>Substantia a suis modis contingentibus distinguitur distinctiõne reali inadæquata et negativa</i>	ib.
Art. II.	De principio et causa.....	141
Art. III.	De quatuor causis.....	142
Art. IV.	De notionem et principio causalitatis.....	145
Prop. I.	<i>Certissimum est nos causæ efficientis genericam ideam habere, licet non cognoscamus in quo causalitas sive interna sive externa sita sit</i>	146
Prop. II.	<i>Causæ idea generica experientiæ ope acquiritur</i>	147
Prop. III.	<i>Principium causalitatis est analyticum et absolute certum</i>	ib.

	Pagina.
Art. V. De quibusdam ad efficientem causam pertinentibus.....	149
Prop. I. <i>Quidquid in effectu perfectionis est, in causa ipsius adæquata aliquo modo præcontinetur.</i>	150
Prop. II. <i>Causa efficiens agere nequit, nisi vel per se vel per aliud præsens sit ei in quo agit.</i>	151
Art. VI. De causarum finitarum activitate	ib.
Propositio. <i>Causæ secundæ non sunt meræ occasionales dicendæ, sed vere efficientes.</i>	152

CAPUT IV. — DE VARIA ENTIIUM PERFECTIONE

Art. I. De perfectione in genere	154
Art. II. De finito et infinito	156
Prop. I. <i>Infinitem actu pertransiri nequit: videlicet numerari nequit aut mensurari quocumque modo.</i>	ib.
Prop. II. <i>Finitum quodvis per finiti additionem non potest infinitum evadere.</i>	ib.
Prop. III. <i>Repugnat finitum maximum.</i>	157
Prop. IV. <i>Indefinitum nunquam potest actu infinitum fieri.</i>	ib.
Prop. V. <i>Multitudo actu infinita repugnat.</i>	ib.
Art. III. De perfectionibus quoad existendi modum...	158
Propositio. <i>Quod contingens est, existere nequit, nisi ab aliqua causa producatur.</i>	ib.
Art. IV. De perfectione ex relationibus orta	161
Propositio. <i>Opus ordinatum vel immediate vel mediate est causæ intelligentis effectus.</i> ..	162

LIBER SECUNDUS — COSMOLOGIA

CAPUT I. — DE CORPORIBUS

Art. I. De corporum existentia.	165
Propositio. <i>Absurdæ sunt hypotheses quas idealistæ confingunt, ut corporum existentiam negent.</i>	ib.
Art. II. Utrum corpora constent materia ac forma.....	168
Prop. I. <i>Si materia et forma indeterminate intelligantur, indubium est corpora materia formaque hujusmodi constare.</i>	169
Prop. II. <i>Si materiæ ac formæ vocabula determinate intelligantur juxta peripateticam ex-</i>	

	Pagina.
	<i>plicationem, dici nequit ejusmodi materia ac forma corpora constare.....</i>
Art. III. De chemicarum atomorum essentia.....	169
Prop. I. <i>Puncta omni extensione carentia ultima corporum elementa esse nequeunt....</i>	172
Prop. II. <i>Falsum est primitivum corpusculum viribus attractivis ac repulsivis constare</i>	173
Prop. III. <i>Primitiva chemicorum corpuscula non sunt composita ex materia ac forma peripatetica.....</i>	ib.
Prop. IV. <i>Atomis substantiarum chimice simplicium sunt incompositæ, eæque extensione geometrica ac vi resistendi præditæ...</i>	175

CAPUT II. — DE MUNDO CORPOREO

Art. I. De mundi notione.....	175
Art. II. De mundanæ materiæ creatione.....	177
Prop. I. <i>Mundana materia non est a se.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Materia produci debuit ex nihilo.....</i>	ib.
Art. III. De mundi initio.....	178
Prop. I. <i>Manifeste errarunt quicumque opinati sunt mundum, seu mundi materiam necessario esse sempiternam, i. e. sine existentia initio.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Mundus ab æterno conditus intrinsece repugnat.....</i>	180
Art. IV. De mundi officio.....	181
Propositio. <i>Corporum mundanorum distinctio et ordo a Deo est materiæ creatore.....</i>	ib.

CAPUT III. — DE SPATIO AC TEMPORE

Art. I. De notionibus spatii et temporis.....	182
Art. II. Quid sit spatium.....	184
Prop. I. <i>Est aliquod spatium quod merito reale dicitur.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Spatium absolutum non est aliquid extramentem existens, multoque minus divina immensitas, sed nihil est aliud quam possibilitas extensionis realis sine fine continuatæ....</i>	ib.
Art. III. De loco.....	186
Propositio. <i>Omnia corpora naturaliter existunt in loco circumscriptive; spiritus autem definitivè.....</i>	187
Art. IV. De vacuo.....	188
Prop. I. <i>Vacuum reale ac proprie dictum possibile est.....</i>	ib.

	Pagina.
Prop. II. <i>Est vacuum proprie dictum in mundo.....</i>	188
Art. V. <i>Quid sit tempus.....</i>	190
Prop. I. <i>Tempus reale a rerum successione non distinguitur.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Tempus absolutum est possibilitas successionis.....</i>	191
Art. VI. <i>De temporis mensura.....</i>	ib.
Propositio. <i>Mensura temporis est aliqua successio, seu mutatio perpetua et uniformis.....</i>	ib.

CAPUT IV. — DE NATURÆ LEGIBUS

Art. I. <i>Quid sit natura, naturæ lex, res naturalis...</i>	193
Art. II. <i>De legum physicarum certitudine.....</i>	195
Prop. I. <i>Esse aliquas naturæ leges plane manifestum est.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Leges physicæ absolute contingentes dicendæ sunt.....</i>	ib.
Prop. III. <i>Legum physicarum constantia, etiam quoad futuros eventus, indubiis innititur fundamentis.....</i>	196
Art. III. <i>Quid sit miraculum.....</i>	197
Propositio. <i>Miraculum proprie est effectus qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedit.....</i>	ib.
Art. IV. <i>De miraculi causis.....</i>	199
Prop. I. <i>Solus Deus miracula proprie dicta facere potest.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Finalis miraculorum causa in eo posita est, ut miraculo, tanquam signo de testimonio divino, aliquid a Deo hominibus manifestetur.....</i>	200
Art. V. <i>De miraculorum possibilitate.....</i>	201
Propositio. <i>Eventus qui totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedant, et intrinsece et extrinsece possibiles sunt.....</i>	ib.
Art. VI. <i>De miraculorum cognitione.....</i>	203
Prop. I. <i>Cognosci cum certitudine potest existentia facti quod naturæ ordinem excedit, si hoc factum sensibile sit.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Ex consideratione facti mirabilis una cum ejusdem adjunctis, cognosci potest, ut plurimum, utrum illud sit signum divinum, an non: quum vero hoc cognosci certo nequit, si ejusmodi factum signum divinum non est, semper indicia suppetunt ad dubitandum de ejus origine.....</i>	204

LIBER TERTIUS — PSYCHOLOGIA

CAPUT I. — DE ANIMÆ HUMANÆ NATURA

	Pagina.
Art. I. De vita.....	207
Art. II. Sitne anima simplex et spiritualis.....	208
Prop. I. <i>Anima est simplex</i>	ib.
Prop. II. <i>Anima est spiritualis substantia</i>	211
Art. III. De animæ humanæ unitate.....	216
Prop. I. <i>Eadem est in homine anima sensitiva et rationalis</i>	217
Prop. II. <i>Quamquam vegetalis vita, ex se et generatim, anima aliqua ut sui principio non indigeat; in homine tamen, idemque de brutis animantibus proportione dicendum, ipsa vegetalis vita ab anima originem habere dicenda est</i>	218

CAPUT II. — DE UNITIONE ANIMÆ ET CORPORIS

Art. I. De animæ sede.....	219
Propositio. <i>Anima est in toto corpore ipsi conjuncto</i> ..	ib.
Art. II. De unitiōnis modo.....	222
Prop. I. <i>Animæ humanæ cum corpore conjunctio physica est et substantialis, ejusmodi nempe ut e duabus distinctis substantiis una composita substantia, una natura exsurgat</i>	ib.
Prop. II. <i>Falsum est animam corpori uniri ut motor mobili conjungitur</i>	223
Prop. III. <i>Falsum est systema causarum occasionalium</i>	ib.
Prop. IV. <i>Falsum est systema harmoniæ præstabilitæ</i>	224
Prop. V. <i>Systema quoque physici influxus admitti nequit</i>	ib.
Prop. VI. <i>Verum est systema aristotelicum, animam corpori conjungi ut forma materiæ</i> ...	ib.
Art. III. De humanæ personæ identitate.....	225
Prop. I. <i>Absurde prorsus humanæ personæ identitatem in conscientia seu in conscientiæ extensione Lockius reposuit</i>	ib.
Prop. II. <i>Humanæ personæ identitas ex his tribus conjunctim exsurgit: 1^o ex identitate absoluta quoad animæ substantiam; 2^o ex identitate relativa et ad sensum quoad corpus; 3^o ex identitate modi quo binæ substantiæ simul unitæ sunt</i>	ib.

CAPUT III. — DE ANIMÆ ORIGINE AC FUTURA VITA

	Pagina.
Art. I. De originis modo.....	226
Prop. I. <i>Repugnat animas humanas e divina substantia esse decerptas.....</i>	227
Prop. II. <i>Anima humana non est ens a se, sed ab alio.....</i>	ib.
Prop. III. <i>Animæ humanæ non propagantur per traducem.....</i>	ib.
Prop. IV. <i>Anima humana produci aliter nequit, quam per creationem ex nihilo.....</i>	228
Art. II. De originis tempore.....	ib.
Prop. I. <i>Animæ humanæ productæ non sunt in mundi exordiis, ante corpora ab iis informanda.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Metempsychoseos doctrina inter humanæ mentis aberrationes merito adnumeratur.....</i>	229
Prop. III. <i>Anima humana creatur quum corpori conjungenda est.....</i>	ib.
Art. III. Utrum anima a corpore separata esse et vivere possit.....	231
Propositio. <i>Anima humana separata existere potest ac vivere.....</i>	ib.
Art. IV. Utrum anima separata reipsa vivet.	232
Prop. I. <i>Anima humana a nulla vi creata potest existentia vitæque privari.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Anima humana post separationem a corpore superstes vivet.....</i>	234
Art. V. Utrum anima sit futura immortalis.....	238
Propositio. <i>Anima humana post separationem a corpore perpetuo existet ac vivet.....</i>	ib.

CAPUT IV. — DE SENTIENDI FACULTATE

Art. I. De sensu intimo.....	243
Prop. I. <i>Sensus intimus non solas subjecti affectiones, sed ipsum quoque subjectum attingit.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Sensus actualis suiipsius cujuscumque affectionis sensum præcedit.....</i>	244
Prop. III. <i>Anima sentit perenniter suam in corpore, quod ipsa informat, præsentiam.....</i>	ib.
Art. II. De sensu externo.....	245
Prop. I. <i>Non anima sola, sed compositum ex anima et corpore facultatis sentiendi subjectum est.....</i>	246

	Pagina.
Prop. II. <i>Ad sentiendi actum requiritur objecti in organum impressio; at sensatio non hujus impressionis receptione, sed operatione aliqua eam consequente absolvitur</i>	247
Art. III. De sensationis objecto	248
Prop. I. <i>Sensilis cognitionis objectum non sunt species sensibus impressæ, sed sensibiles corporum qualitates a quibus illæ imprimuntur. Has tamen qualitates sensus cognoscunt per species</i>	ib.
Prop. II. <i>Tactus certe est discretivus objecti a subjecto, non tamen solus sed etiam visus. Reliqui vero sensus, quanquam ipsi quoque suum objectum cognoscant, non tamen ipsum a subjecto per se clare discernunt</i>	250
Art. IV. De imaginatione ac memoria sensitiva	252
Prop. I. <i>Sensationis reproductæ sedes est organum animatum; ac verisimiliter illud in quo primo habita est</i>	253
Prop. II. <i>Memoria sensitiva nihil aliud esse videtur, quam sensus internus simultaneus sensationis præsentis et phantasmatis ejus vi reproducti una cum adjunctis sensationis præteritæ</i>	ib.
Prop. III. <i>Reproductio phantastica in homine quandoque naturalis est, quandoque voluntaria</i>	254

CAPUT V. — DE HUMANO INTELLECTU

Art. I. Quid sit intellectus	255
Propositio. <i>Præter sentiendi facultatem, est in anima humana superior quædam cognoscendi facultas, quam intellectum dicimus</i>	ib.
Art. II. De intellectus objecto	257
Prop. I. <i>Essentia rerum est objectum formale intellectus, nempe id quod in rebus intellectus apprehendit</i>	ib.
Prop. II. <i>Omne ens est objectum intellectus materiale et adæquatum; sed objectum materiale primo ac per se illi proportionatum sunt res corporeæ</i>	258
Prop. III. <i>Conceptus intellectus in se spectati rationem aliquam universalem natura sua semper exprimunt. Hinc ut intellectus singulare qua tale cognoscat, necesse est ut ad sensationis seu præsentis seu revocatæ factum se convertat</i>	259

	Pagina.
Prop. IV. <i>Veritas aliter dicitur objectum intellectus apprehendentis, aliter intellectus judicantis.</i>	260
Art. III. De ontologismo.....	ib.
Propositio. <i>Ontologismi theoria omnino falsa est.</i>	261
Art. IV. De ideis innatis.....	265
Prop. I. <i>Ideæ non sunt in humana mente insertæ ac latentes, ut docuit Plato.</i>	ib.
Prop. II. <i>Nullæ sunt ideæ quæ a sola cogitandi facultate procedant.</i>	266
Prop. III. <i>Nullæ sunt ideæ menti insculptæ.</i>	ib.
Prop. IV. <i>Rosminii systema recipi nequit.</i>	267
Art. V. De traditionalismo.....	268
Prop. I. <i>Primæ ideæ per verbum aut signum quodcumque arbitrarium recipi nequeunt.</i>	ib.
Prop. II. <i>Fieri nequit ut homo hominem veritatem aliquam doceat, nisi ratio discantis vi sibi propria veritatem cognoscere possit, atque adeo nisi aliquid sciat, antequam instruat.</i>	269
Prop. III. <i>Falso asseritur revelationem traditione communicatam physice necessariam esse, saltem ad ideæ ac veritates, quæ ad ordinem seu religiosum seu moralem pertinent, assequendas.</i>	270
Prop. IV. <i>Vocabula quanquam ad intellectus perfectionem promovendam sint summopere utilia, quod nemo negat, non sunt tamen ad cogitandum adminicula absolute necessaria.</i>	271
Art. VI. Explicatur idearum origo.....	273
Prop. I. <i>Nihil est in scholasticorum hypothesi quod possibile ac maxime verisimile non sit.</i>	274
Prop. II. <i>Si hæc hypothesis recipiatur, explicatur optime quomodo intellectus noster objectorum materialium ideæ adquirat.</i>	275
Art. VII. De cognitione immaterialium.....	277
Prop. I. <i>Anima non intelligit se immediate ac per seipsam, sed per actus suos.</i>	ib.
Prop. II. <i>Idea Dei est idea deducta ex rebus finitis; cujus elementa sunt ideæ perfectionum finitarum, adjecta notione excessus, et negatione imperfectionum omnium.</i>	278
Prop. III. <i>Rationes rerum immateriales mens nostra vel cognoscit abstractione a sensationibus sive internis sive externis, vel ex aliis immaterialibus rationibus per comparisonem et judicium comparit.</i>	279
Art. VIII. De judicio.....	280
Prop. I. <i>Mentis judicium situm non est in apprehen-</i>	

	Pagina.
	<i>sione convenientiæ vel discrepantiæ inter ideas</i>
Prop. II.	<i>Judicium non est actus a voluntate elicited, sed ab intellectu</i>
Prop. III.	<i>Judicium est actus, quo mens binos conceptus in unum componit</i>
Prop. IV.	<i>Nulla sunt legitima mentis judicia, quæ sine ulla convenientiæ vel discrepantiæ prævia perceptione, ex cæco quodam instinctu ponantur</i>

CAPUT VI. — DE FACULTATE APPETENDI

Art. I.	De appetitu sensitivo et rationali.....	281
Prop. I.	<i>Appetitus sensitivi subjectum est compositum ex anima et corpore, intellectivi autem anima</i>	285
Prop. II.	<i>Voluntas malum, qua tale, appetere nullatenus potest</i>	287
Art. II.	De libertate voluntatis.....	ib.
Prop. I.	<i>Libertas non est in ultimi finis intentione. In actibus quoque intellectus consiliantis et judicantis, et in executione nulla est libertas intrinseca; sed solum in voluntatis electione</i>	288
Prop. II.	<i>Nec felicitas, nec bonum in genere electioni subjiciuntur, sed solummodo peculiaris bona finita, atque in præsentis hoc animæ statu, etiam bonum infinitum</i> ..	289
Art. III.	Humana voluntatis libertas asseritur.....	290
Prop. I.	<i>Etsi actus qui a voluntate imperari dicuntur, coacti esse possint, repugnat tamen actus a voluntate elicited esse coacto</i> ..	ib.
Prop. II.	<i>Humana voluntas libertate gaudet indifferentiæ</i>	ib.
Art. IV.	De facultate motrice.....	295
Prop. I.	<i>Facultas motrix a facultate appetendi distinguitur: videlicet membrorum motus non sunt actus ab appetendi facultate elicited, etsi ab ea imperari possint</i>	ib.
Prop. II.	<i>Subjectum in quo residet facultas motrix sunt musculi animati</i>	296
Prop. III.	<i>Non omnium musculorum facultas motrix appetitui subjicitur</i>	ib.

LIBER QUARTUS — THEOLOGIA

CAPUT I. — DE DEI EXSISTENTIA

	Pagina.
Art. I. Utrum esse Deum debeat ac possit demonstrari.	297
Prop. I. <i>Deum esse est propositio non per se nobis nota, sed quæ demonstrari debeat....</i>	ib.
Prop. II. <i>Dei exsistentia non potest a priori demonstrari, sed tantum a posteriori....</i>	298
Art. II. Argumentum metaphysicum.....	299
Prop. I. <i>Cum repugnet omne id quod est esse productum et contingens, infertur ens improductum et necessarium exsistere.</i>	ib.
Prop. II. <i>Series infinita contingentium, independens ab Ente necessario, plane repugnat....</i>	300
Art. III. Argumentum physicum.....	302
Prop. I. <i>Ex admirabili mundi ordine luculenter ostenditur, superiorem quamdam intelligentiam rebus omnibus præesse....</i>	ib.
Prop. II. <i>Epicuri systema de mundi origine absurditatis scætet.....</i>	304
Art. IV. Argumentum morale.....	308
Prop. I. <i>Universalis et consans humani generis in agnoscenda divinitate consensus atheos omnino profligat.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Consensus hæc non ab educationis præjudiciis, non a legislatorum fraude, nec a naturalium causarum ignoratione, nec ab inani metu, originem duxit....</i>	310

CAPUT II. — DE ESSENTIA DIVINA

Art. I. De notione divinæ essentiæ.....	314
Prop. I. <i>Divina essentia non est in ullo genere, quod sit ipsi et alicui alteri naturæ commune.....</i>	315
Prop. II. <i>Deus et creatura non univoce dicuntur ens, sed analogice....</i>	ib.
Art. II. De infinita Dei perfectione.....	316
Prop. I. <i>Ens actu infinitum est ens absolute perfectum.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Infinita perfectio proculdubio non continetur finitæ perfectionis gradibus interminabili incrementorum serie multiplicatis; nec ita nos infinitum concipimus, ut Lockius putavit.....</i>	ib.
Prop. III. <i>Deus est ens actu infinitum.....</i>	317

	Pagina.
Art. III. De pantheismo.....	318
Prop. I. <i>Pantheismi doctrina in se est contradictio-</i> <i>num cumulus, et in suis effectibus</i> <i>perniciosissima.</i>	319
Prop. II. <i>Tres assertiones quibus Spinosæ pantheis-</i> <i>mus continetur sunt errores turpissimi</i> <i>et manifesti.</i>	322
Prop. III. <i>Pantheismus idealis est eminenter absur-</i> <i>duus.</i>	325
Art. IV. De unitate Dei.....	326
Propositio. <i>Deus est unicus et immultiplicabilis.</i>	ib.

CAPUT III. — DE ATTRIBUTIS DEI NEGATIVIS

Art. I. De Dei simplicitate.....	32
Prop. I. <i>Deus est physice simplex.</i>	ib.
Prop. II. <i>Deus est metaphysice simplex.</i>	ib.
Prop. III. <i>Potest, atque adeo debet humana ratio di-</i> <i>vinas perfectiones et operationes inter</i> <i>se distinguere, distinctione quam di-</i> <i>cunt rationis ratiocinatæ.</i>	329
Art. II. De Dei immutabilitate.....	329
Prop. I. <i>Deus est absolute immutabilis.</i>	ib.
Prop. II. <i>Deus est actus purissimus.</i>	330
Prop. III. <i>Nullius realis et intrinsecæ relationis fun-</i> <i>damentum Deo in tempore et contin-</i> <i>genter accedere potest.</i>	331
Art. III. De immensitate.....	333
Prop. I. <i>Divina substantia in omnibus rebus est, et</i> <i>in omni loco.</i>	334
Prop. II. <i>Deus est immensus.</i>	335
Art. IV. De æternitate.....	ib.
Propositio. <i>Deus est æternus.</i>	336

CAPUT IV. — DE ATTRIBUTIS POSITIVIS

Art. I. De scientia Dei.....	337
Propositio. <i>Deus omnia quæ cognoscit, in seipso co-</i> <i>gnoscit.</i>	339
Art. II. De scientiæ diviniæ objecto.....	340
Prop. I. <i>Deus seipsum intelligit, et adæquate com-</i> <i>prehendit.</i>	ib.
Prop. II. <i>Deus omnia possibilea cognoscit.</i>	ib.
Prop. III. <i>Deus cognoscit omnia futura necessaria.</i> ...	341
Prop. IV. <i>Deo perspecta sunt omnia futura libera.</i> ..	ib.
Prop. V. <i>Porrigit se quoque divina scientia ad</i> <i>quoscumque liberos actus, qui, qui-</i> <i>busvis adjunctis positis, futuri essent.</i>	342

	Pagina.
Art. III. De Dei voluntate.....	345
Propositio. <i>Divina voluntas circa bona finita indifferentiæ libertate gaudet</i>	346
Art. IV. De attributis moralibus.....	348
Prop. I. <i>Virtutes morales, remotis imperfectionibus omnibus, in Deo reperiuntur necesse est</i>	ib.
Prop. II. <i>Summa est divinæ voluntatis propensio ad bonum quod habet, communicandum</i>	ib.
Prop. III. <i>Deus velle potest malum metaphysicum; imo debet illud velle, si quid vult extra se</i>	349
Prop. IV. <i>Deus physicum malum per se intendere nequit; intendere tamen potest tanquam medium, alicujus boni ratione</i>	ib.
Prop. V. <i>Nequit Deus malum morale intendere, nec ut finem, nec ut medium; potest tamen illud permittere, imo et decet ut permittat</i>	351
Art. V. Quomodo hujus mundi mala cum Dei bonitate componantur.....	352
Prop. I. <i>Mala physica quæ in mundo sunt, cum divina bonitate non pugnant</i>	ib.
Prop. II. <i>Mala quoque moralia quæ in mundo conspiciuntur, cum divina bonitate optime cohærent</i>	353
Art. VI. De potentia Dei.....	357
Propositio. <i>Deus est omnipotens</i>	ib.

CAPUT V. — DE EXTERNIS DEI OPERATIONIBUS

Art. I. De creatione.....	358
Prop. I. <i>Solus Deus creandi virtutem possidet</i> ...	ib.
Prop. II. <i>Gnosticorum et manicheorum hypothesis de duobus principiis intrinsece absurda est, et ad finem ad quem assumitur, inepta</i>	359
Prop. III. <i>Finis operis, seu finis ultimus ad quem mundus est a Deo ordinatus, est Dei gloria, videlicet divinæ bonitatis manifestatio</i>	360
Prop. IV. <i>Mundus est in suo genere perfectus, non tamen absolute optimus</i>	361
Art. II. De conservatione.....	362
Prop. I. <i>Omnia quæ sunt, directe a Deo conservantur</i>	363
Prop. II. <i>Ad Deum tantummodo annihilationem pertinere. dubium esse nequit</i>	364

	Pagina.
Art. III. De concursu	364
Prop. I. <i>Deus omnibus agentibus cooperatur</i>	ib.
Prop. II. <i>Dei cum agentibus liberis cooperatio libertatem nullo modo lædit aut minuit</i>	366
Prop. III. <i>Deus etsi ad actus quoque pravos concurrat, nullatenus tamen est peccati causa</i> .	ib.
Art IV. De Dei providentia	367
Prop. I. <i>Deus omnibus ac singulis rebus sapientissime providet</i>	368
Prop. II. <i>Dei providentia ad singularia se porrigit, etiam ad res minimas atque vilissimas</i> .	ib.
Prop. III. <i>Speciali providentia intellectuales creaturæ a Deo gubernantur</i>	369



INSTITUTIONES
PHILOSOPHICÆ

SALVATORIS TONGIORGI S. J.

IN COLLEGIO ROMANO PROFESSORIS

AB EODEM

IN COMPENDIUM REDACTÆ

TOMUS II

PHILOSOPHIA MORALIS



ANICHI

TYPIS M.-P. MARCHESSOU

BIBLIOPOLÆ EDITORIS

1864

ALEXANDER PONZA

PRÆPOSITUS PROVINCIÆ ROMANÆ SOCIETATIS JESU

Cum opus, cui titulus *Institutiones philosophiæ moralis in compendium redactæ* a P. Salvatore Tongiorgi, nostræ societatis sacerdote, latina lingua conscriptum aliquot ejusdem societatis theologi recognoverint, ac in lucem edi posse probaverint; potestate ab A. R. P. N. Petro Beckx Præposito generali mihi ad id data, facultatem concedo ut typis mandetur, si his ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus rei fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo officii mei munitas dedi.

Romæ, 14 Septembris 1863.

A. PONZA S. J.

Hunc librum denuo excudere interdictum est, auctore invito.

PHILOSOPHIA MORALIS

1. Philosophia moralis, græca voce, *ethica*, a *more* (gr. ἠθικός) appellationem suam derivat: docet enim quomodo humani mores componendi sint ad recte vivendum. Mos autem est *constans et uniformis agendi modus, quem rationale agens in suis deliberatis operationibus servat.*

2. Moralis hæc disciplina definiri potest: *institutio hominis ad recte vivendum.*

Hinc 1^o objectum quod ipsa considerat, sunt actus humani, quibus boni vel mali mores constant, quibus recte vel prave vivimus.

2^o Respectus sub quo hoc objectum considerat, sunt iidem actus, prouti juxta supremam recte vivendi normam ordinari possunt.

3^o Disciplina moralis est ars et scientia. Ars, quatenus *recte vivendi normas tradit*; scientia, quatenus *recte vivendi normas traditas demonstrat.*

4^o Est scientia practica. Nam quum supream agendi normas inquirat, explicat, demonstrat, non sistit in earum speculatione, sed hunc sibi finem proponit, ut cognitione speculando parta voluntatem in agendo dirigat.

5. *Ethica* a jure naturæ distingui passim solet, sed a diversis diversimode, et quandoque perperam. Nostro quidem judicio *ethica* a jure naturæ hoc solum differt, quod latius illo patet. *Ethica* namque, præter jus naturæ, quædam quoque alia considerare debet, quæ ad morum disciplinam constituendam necessario attendenda sunt: jus vero naturæ, sive jus accipiatur pro lege, sive pro attributo personæ, est pars *ethicæ* essentialis, ab eaque nullo pacto separari potest.

4. Ut tamen receptam usu divisionem, quantum licet, servemus, moralem philosophiam bifariam dispescimus. In priori parte de supremis morum principiis agimus, atque inter hæc generatim de jure naturæ, seu de lege naturali : in altera vero particulatim de summis officiis ac juribus quæ a naturali lege dimanant. Prior pars merito appellabitur *ethica generalis*, altera *ethica particularis*. Prior quoque vocari poterit simpliciter *ethica*, atque altera *jus naturæ*, quia naturæ legem per partes illustrat et explicat. Juxta quas postremas appellationes, ethica erit : *scientia quæ suprema morum principia considerat* ; jus vero naturæ : *scientia summorum officiorum ac jurium, quæ naturæ lege continentur*.

LIBER PRIMUS

ETHICA GENERALIS

5. Ut de supremis morum principiis ex ordine disputemus, hæc ad pervulgata causarum genera revocabimus. Igitur 1^o disseremus de causa finali morum humanorum, quæ est ultimus hominis finis ; 2^o de causa eorum materiali, nempe de humanis actibus ; 3^o de causa formali morum seu bonorum seu pravorum, i. e. de actuum humanorum moralitate ; 4^o de causa eorundem exemplari, nimirum de lege naturali ; 5^o demum de causa morum efficiente, videlicet de habitibus virtutum et vitiorum.

CAPUT I

DE ULTIMO HOMINIS FINE

6. Quod ad primam disputationem attinet, de septem hisce capitibus disserere oportet : 1^o de ultimo fine quem humana voluntas sibi præstituit ; 2^o de hujus ultimi finis

appetitione; 3^o de ultimo fine quem Creator homini præstituit, qui est perfecta felicitas; 4^o de objecto felicitatis; 5^o de actibus in quibus sita est felicitas; 6^o de felicitatis assecutione; 7^o de felicitate imperfecta hujus vitæ propria.

ARTICULUS I. DE ULTIMO FINE A VOLUNTATE INTENTO

7. Supponendum est primum, in omnibus actibus deliberatis finem aliquem a voluntate intendi. Nam omnes voluntatis actus vel circa finem sunt vel circa media (M. 423). Porro in iis qui sunt circa finem, apertum est voluntatem ad finem tendere. Media autem non propter se sed propter finem appetuntur.

Supponendum deinde, finem ultimum (M. 99) alium esse ultimum *simpliciter*, alium ultimum *secundum quid*.

Finis ultimus simpliciter est ille qui ita propter se diligitur, ut homo se et omnia sua ad illum ordinet. Ultimus vero secundum quid est ille ad quem non omnia referuntur, sed solum aliqua actionum series.

Propositio I

8. *Humana voluntas in suis intentionibus finem aliquem ultimum sibi præfigat necesse est; intellige: saltem ultimum secundum quid.*

Nam 1^o in causis subordinatis haberi nequit processus in infinitum. Atqui causæ finales subordinatæ (M. 99) sunt veræ causæ. Ergo progressio finium nequit in infinitum protendi. Quemadmodum igitur in causarum efficientium serie exstare debet prima, quæ sit ceterarum principium, ita quoque in serie finium qui voluntatem movent, haberi debet finis aliquis ultimus propter quem ceteri fines appetantur, ut media ad illum assequendum.

2^o Sublato fine ultimo, omnis boni ratio destruitur, ut acute notavit Aristoteles. Si enim aufertur appetibile propter se, aufertur quoque appetibile propter aliud: proindeque nihil supererit quod appetibile sit.

Propositio II

9. *Fieri nequit ut humana voluntas plures simul fines simpliciter ultimos uno eodemque actu intendat.*

Finis namque simpliciter ultimus ille est, quem homo appetit ut bonum sibi plane sufficiens, ac votorum suorum complementum. Jam si homo duo simul bona appetit, fieri nequit ut utrumque seorsum existimet esse hujusmodi. Si enim alterum eorum sibi sufficiens esse putat, nequit profecto alterum existimare necessarium, nisi sit medium ad illud; quo in casu non erit hoc alterum finis ultimus. Itemque si per alterum bonorum illorum omnia animi vota explenda esse censet, alterum ad eadem explenda non requiret.

Quod si utrumque simul bonum homo respiciat ut bonum sibi sufficiens ac ad vota sua explenda necessarium, jam neutrum illorum singillatim erit finis ultimus, sed potius collectio ex utroque. Sic denique non duo erunt fines simpliciter ultimi, sed unicus ex utroque bono constans.

Propositio III

10. *Finis absolute ultimus humanæ voluntatis est perfecta felicitas.*

Felicitas est *possessio summi boni*; videlicet boni optimi, perfecti, ac per se sufficientis ad naturæ desiderium explendum. Hoc omnes intelligunt felicitatis nomine.

Est autem distinguenda 1^o felicitas *formalis* et *objectiva*. Hæc est summum illud bonum cujus possessione beati efficitur; illa in hujus boni possessione sita est.

2^o Felicitas *naturalis* et *supernaturalis*. Illa est: *possessio summi boni quæ homini conveniat ex propria ejus natura*; hæc: *possessio summi boni quæ humanæ naturæ exigentiam et facultatem exsuperet*.

3^o Felicitas *perfecta* et *imperfecta*. Perfecta est: *possessio summi boni qua majorem ac meliorem humana voluntas desiderare nequeat*; imperfecta: *possessio qua major ac melior desiderari possit*.

4^o Felicitas objectiva considerari potest vel *universim* sub ratione abstracta boni perfecti et sufficientis, vel *in particulari*, ut constituta in re aliqua determinata, sive in determinata rerum collectione.

11. Probatur propositio ex eo quod humana voluntas in finem tendere nequit, nisi sub ratione boni: nam bonum est ejus proprium objectum (M. 425). Finis autem absolute ultimus est ille in quo sistit et conquiescit voluntatis motus, ita ut voluntas nihil aliud appetat aut appetere possit. Ergo finis ultimus est bonum in quo voluntatis tendentia conquiescit. Bonum autem in quo voluntatis tendentia conquiescit, est bonum perfectum hominis, cujus possessione felicitas continetur. Ergo.

ARTICULUS II. DE FELICITATIS APPETITU

Propositio I

12. *Felicitatis appetitus humanæ naturæ essentialis est.*

Etenim essenziale voluntatis objectum est bonum: essenziale item est illi ad finem ultimum tendere: finis autem ultimus est bonum perfectum, ut modo demonstratum est. Ergo.

Hinc 4^o felicitas ab omnibus hominibus appetitur.

2^o Voluntas felicitatem nunquam aversari potest ut malum.

Propositio II

13. *In omnibus actibus suis voluntas semper agit propter felicitatem sive explicite sive implicite intentam.*

Tribus modis potest aliquid propter aliud intendi.

4^o *Explicite (expresse, actu)*, quum quis finem aliquem sibi proposuit, eumque actu mente versat dum media appetit.

2^o *Virtualiter*, quum quis finem actuali intentione antecedenter intendit, et quamvis de eo postea actu non cogitet, agit tamen ex illius intentionis præcedentis influentia; ut quum quis propter aliquem finem iter agere incipit, dumque ambulat, licet non semper de fine actu cogitet, tamen ambulare pergit, quia antea finem intendit.

5° *Implicite (interpretative)* finis intendi dicitur, quum agens eum actu non spectat, neque antea intendit, sed in alio fine intentione sistit, qui tamen natura sua ad illum sit ordinatus; ut qui muneri suo satisfacit, nihil cogitans de satisfaciendi obligatione qua tenetur.

44. Jam certum est in primis, voluntatem operari posse propter felicitatem *explicite* intentam; sed indubitatum quoque est non semper illam hoc pacto operari. Nam non semper de illa actu cogitat intellectus. Sufficit itaque ut finis ultimus, quem actu sibi præstituere debet voluntas (8), sit ultimus solum secundum quid (7).

45. Est quoque manifestum, neque *virtualiter* felicitatem a voluntate appeti in omnibus quæcumque ipsa vult. Ad hoc enim necesse foret, ut unaquæque actionum series inchoaretur expresso beatitudinis desiderio, vi cujus homo ad agendum transiret. Atqui demonstrari nequit expressum hoc beatitudinis desiderium cuius operationum seriei præire; imo hoc experientiæ non consonat, et ex modo dictis falsum ostenditur. Ergo.

46. At quidquid agat voluntas, quidquid intendat, semper felicitatem appetit, saltem *implicite* seu interpretative.

Felicitas enim est expletio appetitus quo ad bonum ferimur. Jamvero quidquid homines appetunt, id appetunt sub ratione boni, quia nempe per illud boni appetitum, aliqua saltem ex parte, expleri posse putant. Ergo quidquid homines appetant, aliquam suæ felicitatis partem reipsa arripere conantur. Ergo ex ipsa natura actus appetendi homo semper appetit aliquid quod ad felicitatem refertur: proinde quamvis in felicitatem nec actuali nec virtuali intentione semper feratur, in omnibus tamen illam naturaliter appetit intentione saltem interpretativa.

47. Animadvertite 4° habitudinem hanc particularium bonorum ad finem absolute ultimum, non tam esse medii ad finem, quam partis ad totum, vel secundum apparentiam seu similitudinem.

Nam 2° etiam in iis actibus, in quibus ea volumus quæ veræ beatitudinis assecutioni adversantur, beatitudinem universim consideratam hac ratione intendimus: quidquid enim agimus, semper illud intendimus, ut aliquod assequamur bonum aut aliquod repellamus malum; quod est partem aliquam beatitudinis conquirere.

Animadvertite 5^o nos felicitatem nostram implicite quærere, ex quocumque motivo aliquid diligamus, sive quia res bonum in se habet, qui amor dicitur amicitiae, sive quia bonum nobis confert, qui est amor concupiscentiae. Quod si rem aliquam appetimus propter felicitatem explicite, vel, quod idem est, virtualiter intentam, amor erit concupiscentiae; quia quod sic appetimus, propter bonum nobis conferendum appetimus.

ARTICULUS III. AN EXSTET REALE ALIQUOD NOSTRÆ
FELICITATIS OBJECTUM

Propositio I

18. *Est a Deo præfinitus finis humanæ naturæ absolute ultimus.*

1^o Homo enim est opus Dei. Cum autem Deus summo consilio operetur, opera ejus universa ad finem aliquem uniuscujusque naturæ proportionatum ordinentur necesse est. Ergo etiam humana natura, imo hæc multo magis ad finem aliquem condita est. In finium autem intentione non potest esse infinitus processus. Oportet ergo ut humanæ naturæ finis aliquis ultimus a summo rerum opifice sit constitutus.

2^o Postulat humanæ naturæ conditio, ut homo secundum rectam rationem operationes suas moderetur, totamque vitam instituat. Humanas autem operationes recta ratio moderari non posset, nisi certum aliquem eumque ultimum finem sibi propositum haberet quo eas dirigeret. Postulat ergo humanæ naturæ conditio, ut aliquis finis ultimus sit illi præstitutus, ad quem humanæ actiones recte tutoque a ratione ordinentur.

Propositio II

19. *Quanquam unaquæque hominis facultas peculiarem suum finem habeat, unicus tamen est finis humanæ naturæ absolute ultimus.*

Nam 1^o Absurdum est singulis partibus suum finem esse assignatum, ac totius nullum finem esse.

2° Si nullus est totius naturæ finis, ea quæ in homine est virium multiplicitas inordinata prorsus esset. Ordo enim inter vires est nullus, nisi hæc ad unicum finem conspirent.

5° Demum partialium facultatum usus ratione regi debet. Si autem nullus esset ultimus humanæ naturæ finis, ad quem partiales facultatum fines ordinari possent, nulla regula rationi suppeteret, secundum quam diversarum facultatum usum moderatur. Ergo.

20. Hinc sequitur, finem humanæ naturæ absolute ultimum non posse esse alium ab eo quo fertur princeps ac suprema humanæ naturæ tendentia cui ceteræ hominis vires ac facultates subordinantur. Quæ suprema tendentia cum sit rationalis appetitus, concludendum humanæ naturæ finem illum esse, quo rationalis appetitus naturali impulsu propellitur.

Propositio III

21. *In consecutione ultimi finis, quem humanæ naturæ Deus constituit, perfecta felicitas reperiatur necesse est.*

Sane 1° consecutio finis ultimi importat quietem tendentiæ qua natura ad eum fertur, videlicet, ex modo dictis, quietem rationalis appetitus. Sed quod importat quietem rationalis appetitus, objectum est perfectæ beatitudinis. Rationalis enim appetitus quiescere nequit, nisi summi boni possessione expleatur, ut supra (14) demonstratum est.

2° Rationalis hominis appetitus fertur naturali ac vehementissimo desiderio in felicitatem. Igitur omnino necessarium est, finem ejus esse aliquod objectum, ejus assecutione homo evadere possit felix. Naturale enim rationalis appetitus desiderium est impulsus quidam a Deo naturæ impressus. Repugnat autem divinæ sapientiæ urgere rationalem naturam ad motum, ejus nullus sit certus terminus: repugnat divinæ bonitati desiderium adeo vehementens excitare, cui satisfieri nunquam debeat. Ergo. Recole quæ de hoc argumento dicta sunt in *Metaphysica* (M. 511, 5°; 517, 5°).

22. Hinc sequitur 1^o felicitatem esse finem omnibus hominibus communem.

2^o Objectum in quo felicitas consistit, ab unoquoque homine obtineri posse, quantum est ex parte creatoris ac provisoris Dei.

ARTICULUS IV. AN OBJECTUM PERFECTÆ FELICITATIS SINT BONA FORTUNÆ

25. Agendum nunc de objecto beatitudinis seu de bono perfecto. Bonum aliud est increatum, videlicet *Deus*, aliud creatum. Bona vero creata alia sunt externa homini, quæ dicuntur *bona fortunæ*: alia interna; quorum quædam sunt bona hominis secundum quod est animal, et dicuntur *bona corporis*; quædam autem sunt bona hominis secundum quod est rationis particeps, et dicuntur *bona animi*. Videndum igitur quodnam sit ex his bonis bonum perfectum, in quo hominis felicitas sita sit.

Considerandum primo an felicitas sita sit in bonis fortunæ. Sunt autem bona fortunæ *divitiæ, honor, gloria, potestas*.

Propositio I

24. *Hominis felicitas nequit esse posita in fortunæ bonis.*

Nam 1^o perfectæ felicitatis objectum nulli malo potest esse admixtum; 2^o eo obtento, necesse est ut nullo bono ad sui perfectionem conveniente homo careat; 3^o cum omnes homines ad felicitatem naturaliter ordinentur, necesse est ut singuli per naturalia principia, i. e. per naturales suas vires, independenter a causis exterioribus, objectum in quo felicitas sita est, adipisci queant.

Atqui fortunæ bonis nihil horum convenit. Nam licet illa affluant, homo potest multis affligi malis multisque carere bonis propriæ perfectioni omnino convenientibus, ut sunt v. g. valetudo, scientia, virtus: demum tum acquisitio hujusmodi bonorum tum conservatio a causis exterioribus magna ex parte, atque ut plurimum ex integro dependent; ac propterea hæc bona a plurimis obtineri nullo tempore possunt.

Propositio II

25. *Objectum beatitudinis non possunt esse divitiæ.*

Nam 1^o felicitatis objectum explere prorsus appetitum debet. Divitiæ autem appetitum nostrum non explent; quin potius sui desiderium semper magis acuunt, ut experientia compertum est.

2^o Id cujus assecutio ad alium finem natura sua dirigitur, non est finis absolute ultimus. Atqui divitiarum assecutio ad alium finem natura sua dirigitur. Divitiæ enim aliæ sunt *naturales*, aliæ *artificiales*. Naturales sunt res quibus utimur ad vitam sustentandam atque ad naturæ indigentias explendas, cujusmodi sunt cibus et potus, domus ac prædia, armenta, vestes, currus et similia: quæ manifeste ideo boni rationem habent, quia ad quædam alia bona homini procuranda utilia sunt. Divitiæ vero artificiales pecunia continentur; quæ quidem ideo solummodo pretium habet, quia ea uti possumus ad naturales divitias comparandas. Ergo.

Propositio III

26. *Honor non potest esse objectum beatitudinis.*

Nam 1^o honor nullam homini perfectionem affert, sed est tantummodo signum seu testimonium perfectionis qua homo exsplendescit. Finis autem ultimus non perfectionem modo, sed supremam perfectionem homini confert. Ergo honor poterit quidem esse aliquid beatitudinem consequens, at beatitudinis objectum esse nequit.

2^o Ultimi finis summique boni appetitio nunquam nimia, nunquam vitiosa esse potest. Ultimum enim finem totis viribus, toto animo diligere possumus et debemus, omniaque ad illum assequendum dirigere. Sed honoris appetitio et nimia et vitiosa esse potest: ambitio enim ab omnibus vitii loco habetur: ea vero ambitio quæ totam hominis vitam ad honorem assequendum dirigit, pessima est, invisæ omnibus ac prorsus execrabilis. Ergo.

Propositio IV

27. *Gloria seu fama dici nequit objectum beatitudinis.*

Nam 1^o gloria propter honorem desideratur, ut medium ad finem. Si ergo honor non est summum hominis bonum, multo minus est gloria.

2^o Ultimi finis assecutio hominem facit omnino perfectum. At cognitio et laus quam nobis homines conferunt, nullam in nobis perfectionem gignit, sed potius, si laus vera est, perfectionem in nobis supponit. Ergo.

3^o Demum beatitas hominis esse nequit in ea re quæ cum falsitate frequenter jungatur, quæ ab aliorum voluntate dependeat, quæ fluxa sit et instabilis. Hujusmodi autem est gloria quæ ab hominibus accipitur, ut experientia comprobatur.

Propositio V

28. *Potestas haberi non potest tanquam felicitatis objectum.*

Etenim 4^o finis ultimus debet esse ejusmodi, ut ab omnibus hominibus obtineri possit. Potestas autem principatus ad paucos solummodo pertinere potest ex ipsa naturæ intentione.

2^o Tantum abest ut potestas sit ultimus hominum finis, ut potius sit medium a natura intentum ad hominum bonum procurandum: eorum enim qui præsent potestatem ad subditorum bonum ordinatur. Quocirca magis dici posset finem hominis esse ea bona quæ per principum potestatem in humana societate procurantur, quam ipsum principatum.

ARTICULUS V. AN OBJECTUM FELICITATIS SINT BONA INTERNA

29. Considerandum secundo an felicitas consistat in iis bonis quæ sunt homini interna. Ex his alia, ut diximus (23), sunt bona corporis, ut *robur virium, pulcritudo, valetudo*, ac ceteræ hujusmodi qualitates, et *corporea voluptas*;

alia vero sunt bona animi, videlicet *virtutes intellectuales*; ut scientia, sapientia, prudentia, ars, et *virtutes morales*.

Propositio I

50. *Felicitas sita non est in bonis corporis.*

Sane 1^o Bona hæc non sunt omnibus hominibus naturaliter communia, nec proprio conatu acquiri possunt. Ergo in iis non potest consistere felicitas, quæ est finis humanæ naturæ.

2^o Summum bonum nulli alteri bono inferius est, neque ad ullum aliud ejusdem entis bonum ordinatur. Atqui bona corporis inferiora sunt animi bonis, quanto videlicet corpus anima rationali inferius est, et brutum animal homine: itemque bonum omne corporis ad animæ operationes ordinatur, ut instrumentorum perfectio ad artificis operationem. Ergo.

Propositio II

51. *Repugnat in sensili voluptate positam esse hominis felicitatem.*

Etenim 1^o id quo obtento, plura alia homini appetenda supersunt, non est summum hominis bonum. Atqui præter sensilem voluptatem multa supersunt homini appetenda. Ergo.

2^o Summum bonum acquiri debet actibus virium quæ sunt in homine perfectissimæ: harum enim virium objectum virium inferiorum objecto proculdubio melius est. At sensilis voluptas acquiritur actibus ejus vis quæ est in homine inferior. Vis enim sentiendi quæ est homini cum brutis communis, inferior est intelligentia ac rationali appetitu, quibus facultatibus homo brutis longe antecellit.

5^o Si voluptas esset summum hominis bonum, homo per hoc maxime perficeretur, quod voluptatem semper, ubicumque, et per quodcumque medium, sine modo ac regula appeteret. Homo enim maxime perficitur finis appetitione et consecutione: finis autem sine modo ac regula appetendus est, sine modo ac regula fruendus: modus enim

ac regula ad mediorem appetitionem usumque pertinent.

Atqui si voluptas ita appetatur, non modo exinde homo non perficitur, sed potius misere depravatur. Immodica enim voluptas intelligentiam hebetem facit, corporis vigorem atterit, animum a præclaris quibusque facinoribus avertit et ad omnia flagitia extimulat, hominemque contemptu atque odio dignum facit.

Propositio III

52. *Objectum felicitatis reperiri non potest in animi bonis.*

Primo quidem *non in ipso animo*. Nam humanus animus cum omnibus suis potentis est quid imperfectum, incompletum, inops; ac propterea indiget bono quo actu perficiatur. Ergo non potest esse sibi ipsi summum bonum.

53. *Neque in intellectualibus virtutibus.*

Nam quædam ex his ordinantur ad operationem, sicut ad finem, ut prudentia et ars; ac proinde ultimi finis dignitatem non habent: reliquæ vero, ut scientia ac sapientia, sunt valde imperfectæ ac laboriosæ, ac longe maximæ hominum partis capacitatem exsuperant. Præterea cum pluribus malis conjungi possunt ac reipsa conjunguntur; ac tantum abest ut boni appetitum, imo vero ut ipsum sciendi desiderium expleant, ut potius semper magis illud accendant.

54. *Neque in virtutibus moralibus.*

Virtus enim moralis vel consideratur ut habitus, vel ut actus. Neutro autem modo potest esse felicitatis objectum.

Non ut habitus. Nam summum hominis bonum est propter se expetendum, eique nihil deest quod ad hominem perficiendum pertineat. Atqui virtutum habitus non propter se, sed propter earum actus expetuntur: qui quidem actus novam quamdam perfectionem homini superaddunt.

55. Non ut actus. Etenim

1º Finis ultimus non potest ad ulteriorem finem referri. Sed omnium virtutum actus ad ulteriorem aliquem

finem referuntur. Nam per virtutum actus aut animi passiones aut rerum exteriorum usum juxta rationem moderamur. Jamvero tum animi passiones tum rerum exteriorum usus ad alium finem natura sua referuntur. Ergo.

2° Summum hominis bonum neque in omnium simul virtutum actibus, nec in singulis eorum constitui potest. Non in omnibus simul; tum quia omnium simul virtutum actus exerceri non possunt; tum etiam quia virtutum diversarum exercitatio a diversitate adjunctorum dependet; non enim semper adest v. gr. occasio exercendæ fortitudinis vel justitiæ; tum demum quia quarumdam virtutum actus non omnibus, nec semper conveniunt, ut v. gr. actus magnificentiae aut liberalitatis. Igitur si in omnium virtutum actibus summum bonum consisteret, semper aliquam felicitatis nostræ partem assequi possemus, nunquam vero totam arripere.

Non in singulis. Etenim unusquisque actus est bonum, quo majus, etiam intra idem virtutis genus, semper assequi possumus, quodque propterea boni perfecti desiderium non explet.

3° His adde quod virtus moralis boni appetitum non undequaque explet, nec *per se* hominem a molestiis ac doloribus liberat. Ergo summum hominis bonum esse nequit.

ARTICULUS VI. AN DEUS SIT OBJECTUM HUMANÆ FELICITATIS

Considerandum postremo an objectum nostræ felicitatis sit ipsum bonum infinitum.

Propositio

56. *Solus Deus humanæ felicitatis est objectum.*

Etenim 1° cum aliquod humanæ felicitatis objectum certo exstet, hoc sane vel in bonis finitis reperitur vel in bono infinito. Atqui, ut modo demonstratum est, etiam quæ perfectissima sunt inter bona finita, ultimi finis dignitatem obtinere nequeunt, ineptaque sunt ad hoc ut hominem felicem efficiant. Ergo nullum bonum finitum,

imo nullus finitorum bonorum cumulus felicitatis objectum est. Superest igitur ut sit bonum infinitum.

2^o Objectum beatitudinis ejusmodi esse debet, ut appetitum quo humana voluntas ad bonum fertur, omni ex parte expleat, ita ut nihil illi appetendum supersit. Jamvero solummodo bonum actu infinitum humanæ voluntatis appetitui perfecte explendo par est. Etenim cum humanus intellectus bonum universale apprehendat, neque illud solum sub ratione generica boni, sed etiam collective et cumulative, voluntas quoque bonum universale appetit, scilicet non bonum tantummodo in genere, sed omne collective bonum. Ergo solummodo omne bonum, omnium bonorum possibilem collectio explere potest voluntatis appetitum. Repugnat autem voluntatem posse simul assequi in se ipsis omnia possiblem bona; non enim possunt omnia bona possiblem esse actu simul. Igitur boni universalis appetitus expleri non potest nisi per illud bonum in quo omnis boni possiblem bonitas continetur. Hoc autem bonum perfectissimum, hoc bonum eminenter universale, hoc omnis boni bonum nihil est aliud quam Deus. Ergo.

3^o Felicitas, cum sit ultimi finis consecutio, summa hominis perfectio est. Perfectio autem cujusque entis est in arctissima conjunctione cum suo principio. Etenim unaquæque res suum esse habet, quia aliquo modo de suo principio participat. Ergo quanto magis de illo participat, tanto fit melior secundum esse quod habet. Propterea ultimum esse seu perfectio sita sit oportet in maxima, cujus ens sit capax, sui principii participatione; quam quidem tunc obtinet, quum intime illi conjungitur.

Jam Deus, primum rerum omnium principium, immediatum animæ humanæ principium est. Tunc ergo suam perfectionem hæc obtinebit, quum Deo arctissimo conjungatur.

57. Obj. 4^o Inter objectum humanæ felicitatis ipsumque hominem proportio aliqua esse debet. Sed inter Deum et hominem nulla est proportio.

Nam 2^o Deus, cum infinitus sit, humanæ mentis captum prorsus excedit.

Adde 5^o Objectum humanæ beatitudinis debet esse idoneum ad explendas omnes hominis facultates. Atqui Deus

est incorporeus, ac proinde explere nequit sentiendi facultatem. Ergo.

58. Resp. Ad 4. *Dist. maj.* Inter humanæ felicitatis objectum et hominem debet esse proportio, i. e. habitudo humanarum facultatum ad hoc objectum attingendum, *conc.* commensurabilitas secundum naturæ perfectionem, *nego.* Et *contradist. min.*

Quoniam divinæ naturæ perfectio ab humanæ naturæ perfectione infinite distet, nihilominus humanæ facultates aptæ sunt ad Deum pro suo modulo attingendum. Idcirco humanæ facultates habent ad Deum proportionem illam quæ propria est facultatis ad suum objectum.

Ad 2. *Dist.* Deus excedit humanæ mentis captum, quatenus adæquate apprehendi nequit humanarum facultatum actibus, *conc.* quatenus sit extra humanarum facultatum ambitum, *nego.*

Humanæ profecto facultates nunquam poterunt ea intensitate Deum apprehendere, ut infinitatem divinæ perfectionis intensitas apprehensionis adæquet; nihilominus summum verum et summum bonum nequit esse objectum extraneum iis facultatibus quæ ad omne verum et ad omne bonum tendunt.

Ad 5. *Tr. maj. Dist. 4 partem min.* Deus est incorporeus; continet tamen eminenter omnis boni rationem (M. 505), *conc.* secus, *nego.*

Dist. 2 p. Deus explere nequit sentiendi facultatem ad modum corporum, *conc.* modo eminentiori, *nego.*

An ad statum beatitudinis necessario requiratur, ut omnes hominis facultates expleantur, infra videbimus. At quomocumque se res habeat, certissimum est, Deum qui bonum est infinitum, omniumque rerum bonitatem et activitatem in se præcontinet, posse, si velit, ipsam sentiendi facultatem infinitis modis explere.

59. Obj. 4^o Felicitas naturalis a supernaturali (10, 2^o) differat necesse est. Atqui non differret, si Deus naturalis felicitatis objectum esset: nam certe Deus est objectum supernaturalis felicitatis. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Altera beatitudo ab altera differat necesse est quoad objectum, *nego*; quoad modum attingendi objectum, et quoad media ad ipsum perveniendi, *conc.*

Contradist. min. Si idem quoque esset modus utriusque beatitudinis eademque media, *conc. secus, nego.*

Felicitas supernaturalis sita est in cognitione *intuitiva* Dei, naturalis autem in cognitione *abstractiva*, ut infra dicetur. Idem ergo est objectum utriusque beatitudinis, sed non idem modus attingendi objectum. Media quoque differunt: nam media ad naturalem felicitatem assequendam forent ii actus quos homo naturæ viribus exercere potest, naturali aliquo Dei auxilio adjunctis. Media vero quibus ad supernaturalem beatitudinem pervenire possumus, sunt actus supernaturales, quos homo supra naturalem statum elevatus, exercet auxiliis divinæ gratiæ, quæ omne naturæ jus omnemque exigentiam superant.

40. Obj. 5^o Si Deus esset ultimus humanæ naturæ finis, ab omnibus hominibus naturaliter ut talis cognosceretur, et appeteretur. Sed longe plurimi Deum ut finem ultimum non agnoscunt: omnes vero naturaliter non Deum appetimus, sed potius bona finita. Ergo.

Resp. *Dist. 1 p. maj.* Naturaliter Deus cognosceretur ut finis ultimus, saltem implicite, *conc. explicite, subd.* si homines mediis naturalibus rite uterentur, *conc. secus, nego.*

Dist. 2 p. Naturaliter appeteretur, i. e. secundum humanæ naturæ modum, *conc. necessario nego.*

Contradist. 1 p. min. Plurimi Deum ut finem ultimum non agnoscunt, saltem implicite, *nego*; explicite, *subd.* si homines mediis naturalibus utantur, *nego*; secus, *trans-eat.*

Contrad. 2 p. Non appetimus naturaliter Deum, i. e. secundum humanæ naturæ modum, *nego*; necessario, *subd.* appetitu actuali, *conc. interpretativo, nego.*

Dist. 3 p. Naturaliter appetimus bona finita appetitu sensitivo, *conc. appetitu intellectivo, subd.* necessario, *nego, libere, conc.*

41. Itaque quod attinet ad cognitionem Dei ut finis ultimi, hæc attente notanda sunt.

4^o Omnes natura duce cognoscunt post aliquantam experientiam, in bonis quæ vitæ præsentis ambitu continentur, beatitudinem reperiri non posse. Natura enim ita comparati sumus, ut hisce bonis expleri nequeamus. Natura quoque duce cognoscunt omnes, felicitatem quam desideramus, esse aliquando hominibus conferendam, ac

propterea in futura vita reservari ut virtutis præmium (M. 317, 4^o). Hoc pacto omnes cognoscunt felicitatis assecutionem a Deo *dependere*; ac proinde cognoscunt *implicitè* nostram felicitatem in Deo reperiri. Hæc autem cognitio sufficit, ut vitam recte instituere, et ad finem ultimum pervenire homines possint.

2^o Ut *explicitè* cognoscatur Deum esse nostræ felicitatis objectum, revera nihil aliud requiritur, quam ut homo ratione sua ad hoc investigandum, recte et absque præiudiciis utatur. Hæc enim naturalis est via qua homo hanc veritatem assequi potest: naturale enim homini est, veritates quæ immediate non patent, ratiocinio quærere. Sed hæc inquisitio valde difficilis est homini sibi relicto, ut veterum philosophorum ambiguitates hac in re et errores demonstrant. Ex eo tamen quod Deus sit humanæ felicitatis objectum non sequitur, necessarium esse ut omnes homines hanc veritatem explicitè cognoscant. Sufficit enim, ut diximus, si hoc implicitè cognoscant.

42. Quoad tendentiam quoque appetitus ad Deum, ut ad finem ultimum, notanda duo.

1^o Omnes homines naturaliter ac necessario Deum appetunt ut finem ultimum *implicitè* seu interpretative (43, 5^o), quotiescumque felicitatem in genere, vel bonum aliquod particulare ut finem ultimum appetunt. Deus enim revera est nostræ felicitatis objectum, et omnis bonitas ab illo est.

2^o Rationalis et libera creatura ad suum ultimum finem non necessario erat propellenda ut res ceteræ, sed libertati ejus relinquendum erat, ut in eum appetitu *actuali* seipsa moveret atque ageret. Hic enim ad verum ultimum finem tendendi modus liberæ voluntati naturalis est, ejusque dignitati apprime congruens.

ARTICULUS VII. QUIBUS IN ACTIBUS SITA SIT FORMALIS FELICITAS

Propositio I

43. *Homo suum ultimum finem non aliis actibus quam intellectus et voluntatis assequi potest.*

Nam 1^o Deus est ultimus hominis finis. Deus autem cum sit incorporeus, non potest homini intime conjungi

per actus facultatis sensitivæ; ergo solum per actus intellectus et voluntatis.

2º Consecutio ultimi finis est summa perfectio ad quam homo pertingere possit. Summa autem entis perfectio continetur actibus facultatum quæ sunt in eo nobilissimæ, circa objectum perfectissimum. Ergo.

3º Res omnes in hoc ultimo fine conveniunt, quod divinarum perfectionum aliquam in seipsis similitudinem exhibentes, infinitam supremi entis bonitatem manifestent: ita tamen in hoc fine conveniunt, ut pro suæ naturæ diversitate diversimode illum assequantur (M. 603).

Homo autem non solum in suis naturalibus perfectionibus Dei perfectionem referre debet, sed etiam in sua consummata perfectione, in statu videlicet felicitatis. Cum igitur Dei felicitas in suiipsius cognitione et amore sita sit, necesse est ut hominis quoque felicitas in Dei cognitione et amore consistat.

Propositio II

44. *Actus intellectus ad naturalem felicitatem pertinens, non est cognitio essentia divinx in seipsa, sed cognitio Dei ex rebus creatis hausta; multo tamen perfectior, quam in mortali hac vita obtineri possit.*

Prob. 1ª pars.

Intellectus noster nullius rei essentiam, ut ea est in seipsa, naturaliter cognoscit, sed essentiarum notitiam acquirit per conceptus aliquos indeterminatos, et per conceptus qualitatum quibus res uno modo vel altero in nos agunt (M. 46). Ergo multo minus essentiam divinam ut in seipsa est, naturaliter cognoscere potest.

45. Prob. 2ª pars.

Quum animus certi alicujus objecti essentiam nullo modo intuetur, nec ejus qualitates experientia cognoscit, objectum hoc aliter cognoscere nequit, quam per analogicam aliquam repræsentationem. Hanc autem repræsentationem ipse sibi ratiocinando componit ex ideis quas elicit ex objectis quæ ipsi per experientiam præsentia facta sunt. Atque hæc est cognitio quæ *abstractiva* dicitur, et *per species alienas*; prima vero illa *intuitiva* appellatur, et *per species proprias*.

Jam intellectus naturalibus suis viribus divinam essentiam, ut in seipsa est, intueri non potest. Ergo naturaliter Deum cognoscere nequit nisi assurgendo ex rebus finitis, quarum cognitionem intuitivam experientia acquisivit, ad divinam perfectionem sibi representandam, ut in *Meta-physica* explicatum est (M. 404, seq. 495, 504).

46. Prob. 5^a pars.

Abstractiva illa Dei cognitio quam in præsenti hac vita comparare nobis possumus, imperfectissima est, maxime ex tribus: primo quidem quia valde laboriosa est ac facile erroribus admiscetur; deinde vero quia ad Dei notionem efformandam species non aliunde haurire possumus quam ex rebus infimis, cuismodi sunt res sensibiles; demum quia amor et delectatio quam hæc cognitio producit, ab inordinatis cupiditatibus et a vitæ hujus necessitatibus plurimum impeditur atque minuitur. Est autem manifestum, cognitionem hujusmodi ad perfectam felicitatem nullatenus sufficere. Oporteret igitur ut Dei cognitio quæ naturalis felicitatis statum constituit, sine ullo labore aut industria acquireretur, et ex nobilioribus speciebus sive e spirituum societate hauriendis, sive a Deo immediate immittendis exurgeret, totumque voluntatis amorem vehementissimo atque invincibili impetu ad Deum raperet, et in Deo defigeret.

Quare licet cognitio Dei quæ naturalis beatitudinis elementum est, ejusdem generis foret ac illa quam in præsenti vita obtinere possumus, ab illa tamen, facilitate, perfectione, claritate et effectibus longe differret.

47. Animadvertite hæc omnia hypothetice dici. Est enim certum hominem ad supernaturalem statum divina largitate fuisse evectum, ejusque finem realem esse supernaturalem felicitatem in divinæ essentiæ visione constitutam. Nihilominus, quoniam hæc ad supernaturalem statum evectio est omnino gratuita, naturalis hominis status est evidenter possibilis; ac proinde quæ de naturali felicitate disserimus, arbitraria figmenta non sunt.

48. Dices: in cognitione Dei abstractiva reperiri non potest perfecta felicitas. Ergo felicitas naturalis perfecta felicitas non est. Perfecta enim felicitas non est, si magnum aliquod bonum appetendum supersit. Sed qui solum abstractivè Deum cognosceret, appeteret adhuc maximum illud bonum intuitivæ cognitionis. Ergo.

Resp. *Dist. ant.* In cognitione abstractiva Dei non reperitur felicitas absolute perfecta, *conc.* felicitas perfecta relative, i. e. accommodata ad naturæ humanæ in naturali statu appetitum explendum, *nego.*

Ad rat. add. *Dist. maj.* si supersit appetendum bonum cognitum et possibile, *conc.* si bonum ignotum, vel certe impossibile, *nego.* Et *nego min.*

49. Sane felicitas absolute perfecta unius Dei est propria; entis autem finiti felicitas tantum relative perfecta esse potest: est autem relative perfecta, si sit entis appetitui explendo, pro vario ejusdem entis statu, accommodata. Jam in statu naturali abstractiva cognitio, de qua supra diximus (46), ad hominis appetitum explendum omnino sufficeret. Etenim homo in eo statu fortasse ne notionem quidem immediatæ Dei visionis haberet. Quod si eam haberet, non posset ejus desiderio rationabiliter moveri et angī. Bonum enim quod sit prorsus impossibile, nemo absolute desiderat: quod autem entis naturam transcendit, ut impossibile apprehenditur. Satis ergo haberet homo de magno illo bono quod ejus naturæ perfecte congruit, ejusque potentias, quantum earum naturalis capacitas postulat, abunde perficeret.

Propositio III

50. *Felicitatis formalis essentia sita est in perfecta conjunctione cum Deo per contemplationem et amorem.*

Etenim felicitas formalis est intima conjunctio cum ultimo fine, qua totalis ac summa hominis perfectio tam in ordine physico quam in morali continetur (10, 4^o). Jamvero intellectus contemplatio conjungit hominem Deo ut summæ veritati, amor vero conjungit hominem Deo ut summo bono. Proinde illa hominem perficit in suo esse physico, hic in suo esse morali. Quemadmodum enim summa hominis perfectio in ordine physico continetur actu perfectissimæ potentiæ circa perfectissimum objectum, ita summa perfectio in ordine morali sita est in amore firmiter ordinato: ordinati autem amoris radix et origo est amor super omnia summi boni ejusdemque ultimi finis.

Cum tamen uterque actus ad beatitudinis essentiam pertineat, nihilominus prioritatem sibi vindicat actus intellec-

tus. Actus enim intellectus voluntatis actum necessario præcedit; per intellectum enim offertur voluntati summum bonum ab ea diligendum.

ARTICULUS VIII. DE FELICITATIS ASSECUTIONE

Propositio I

51. *Homo suis operationibus ad finem ultimum assequendum, seipsum disponat necesse est.*

Nam 1° cum homo sit libertate arbitrii præditus, et se ad finem suum libere movere possit, omnino decebat, ut ad hunc finem non necessario impulsu, quemadmodum res ratione carentes, adduceretur, sed ut ipse ad eum libero motu tenderet; ita ut felicitas ab eo assequenda non modo summi boni, sed etiam præmii convenientis rationem haberet: id quod humanæ naturæ nobilitatem ac dignitatem vehementer extollit.

2° Homo in hac vita a Deo constitutus, dum in ea degit, ad Deum suum finem ultimum recta voluntate seipsum ordinare potest; ita ut illum ceteris omnibus præferat, ac cetera omnia solummodo diligit in ordine ad illum. Atqui plane dicendum est, Deum requirere ut homo ad suum finem hoc pacto se ordinet. Secus concludendum foret, Deum etiam subjecto non recte disposito ultimam perfectionem conferre velle; quod absonum est. Dicendum ergo, Deum requirere ut homo ad sui finis assecutionem seipsum disponat.

3° Idipsum ex dicendis de lege naturali deque ejus sanctione clarius illustrabitur.

Propositio II

52. *Homo non potest in hac vita perfectam felicitatem assequi.*

Sane 1° si in hac vita felicitatem perfectam assequi possemus, hæc sita esse deberet in ea infiniti boni cognitione ac dilectione cujus modo capaces sumus. Atqui hæc cognitio et hæc dilectio perfectæ felicitati constituendæ prorsus non sufficiunt. Nam ut jam animadvertimus (46), Dei co-

gnitio ad quam in hac vita pertingere possumus, valde laboriosa est et imperfecta. Est præterea maximæ hominum parti improporcionata, et desiderium acuit potius quam expleat. Amor vero arduus est, debilis, inconstans, ac facile amitti potest. Demum delectatio quam hæc cognitio et hic amor afferre solent, cum magnis laboribus et anxietatibus et cum perpetua pugna adversus contrarias cupiditates conjungitur, ac sæpissime perturbatur.

2^o Nemo potest esse vere beatus, nisi sit ab omnibus malis exemptus. Atqui in hac vita plurimis et quoad corpus et quoad animum subijcitur malis. Ergo.

5^o Beatitudo est pugnae finis, præmium virtutis, merces laboris, corona certantibus data. Sed vita hæc palæstra est virtutis, laboris, certaminis. Ergo solum post hanc vitam beatitudinem assequimur.

Propositio III

35. *Animæ cum corpore conjunctio ad felicitatem assequendam non necessario requiritur.*

Nam 1^o Actus intellectus ac voluntatis sine organo corporeo exercentur. Per hos autem actus felicitatem assequimur. Ergo.

2^o Ex duabus partibus quibus homo constat, altera dissolubilis est ac per se deficiens, altera incorruptibilis et immortalis: itemque illa quæ inferior est, rationem habet medii ad alteram: hæc vero rationem finis. Denique meritum in voluntatis actibus proprie situm est: nam ceteræ facultates sunt potius voluntatis instrumenta. Igitur nec humanæ naturæ constitutio, nec ratio præmii quæ felicitati inest, absolute postulant ut anima corpori conjuncta felicitate fruatur.

54. Hæc quanquam vera sint, non desunt tamen qui opinentur, corporis cum anima conjunctionem non quidem ad essentiali beatitudinis, sed ad quoddam ejus complementum et ex quadam congruentia requiri. Non enim aiunt decere videtur, Deum mirabile hoc humanæ naturæ compositum effinxisse, illudque stupendis illis sensitivi ordinis facultatibus adornasse, solum ad breve hoc probationis tempus; ita ut in florum similitudinem vix dum ad lucem

egressum penitus conteratur. Imo vero maxime decere videtur, ut in sempiterno illo felicitatis statu pulcherrima hæc natura constituatur, maximumque hoc physici ordinis ornamentum perpetua existentia donetur.

53. Igitur qui sic opinantur, in ipso naturali ordine resurrectionem corporis futuram fuisse censent. Proinde resurrectionis *substantiam* a *modo* ejus et *qualitatibus* distinguunt; ac resurrectionem naturalis ordinis et quoad substantiam et quoad modum ac qualitates intra naturalem ordinem contineri dicunt; illam vero resurrectionem quam fide futuram novimus, supernaturalem quidem esse quoad modum et qualitates quibus beatorum corpora exornanda sunt, non vero quoad ipsam rei substantiam. Hæc illi, quorum sententiam nemo, ut arbitror, omnino improbabilem esse existimabit.

56. Contra postremam propositionem hæc fere objici solent.

Obj. 4^o Felicitas, etiam naturalis, toti humano composito est tribuenda. Nam felicitas est virtutis præmium. Totus autem homo virtuti excolendæ incumbit, non modo per facultates rationales, sed etiam per facultates sensitivas; imo per has multo magis: nam hæc portant totum virtutis pondus, labores nempe et molestias quæ ad virtutem exercendam necessario subeundæ sunt.

Atqui compositum humanum manet solum in hac vita: post hanc vero solus superest animus.

Ergo felicitas in hac vita non in futura est homini tribuenda.

57. Responsio communis hæc est: *Dist. maj.* si in futura vita corpus iterum animæ conjungi deberet, *conc. secus, nego.*

Ad rat. add. *Conc. maj. Dist. min.* ita ut meritum in composito proprie ad animæ operationes pertineat et ad sensitivæ facultatis actus solum per quamdam extrinsecam denominationem ab actu voluntatis derivatam, *conc. secus, nego* (53, 2^o).

58. Qui alteram sententiam sequuntur, hoc quoque utuntur argumento, ut naturalis resurrectionis non quidem necessitatem sed congruentiam suadeant; adduntque illud: conveniens esse ut eadem humana persona quæ virtutem exercuit, virtutis præmio perfruatur.

59. Obj. 2^o Si anima beata esse nequit nisi postquam a

corpore soluta est, conjunctio ejus cum corpore in ipsius detrimentum cedit; nam felicitati moram affert.

Sed hoc dici nequit: animæ enim conjunctio cum corpore est ab auctore naturæ. Ergo.

Resp. *Nego maj. et dist. rat. add.* Moram affert felicitati, quæ tamen mora necessario afferenda erat, independenter ab animæ unione cum corpore, *conc. secus, nego.* V. dieta in prima hujus articuli propositione (51).

60. Obj. 5^o Si solum post hanc vitam felicitatem assequi possemus, mortem appetere naturali desiderio: eodem enim modo et finis appetitur et medium necessarium ad finem.

Atqui e contrario mortem naturaliter horremus omnes. Ergo.

Resp. *Nego maj.* Confer dicta in Metaphysica (M. 318).

Negatur quoque ratio addita. Nam finem quidem ultimum in genere naturaliter appetimus, finem vero ultimum determinatum (10, 4^o), multoque magis media ad illum assequendum ex se necessaria, libere; ut ex. gr. constat in appetitione virtutis.

ARTICULUS IX. DE FELICITATE IMPERFECTA

Propositio I

61. *Felicitas hujus vitæ propria consistit in iis actibus intellectus et voluntatis quibus futura felicitas maxime participatur.*

Nam 4^o eum in hac vita perfecta felicitas obtineri nequeat, felicitas hujus vitæ maxima in nulla alia re sita esse potest, quam in maxima participatione futuræ illius felicitatis.

2^o Quousque homo finem non attingit, summum ejus bonum in eo est ut se ad finem ordinet, et ad illum recta tendat. Sed hoc perficitur Dei contemplatione et amore. Ad finem enim ultimum recta tendimus si moralem legem sancte servamus: legis autem moralis summa ac caput est, ut Deum super omnia, cetera vero unice propter Deum diligamus. Quem profecto eo perfectius diligimus, quo eum magis contemplamur et cognoscimus. Ergo Dei co-

gnitio et amor, quibus felicitas futuræ vitæ continetur, felicitatem quoque hujus vitæ propriam constituunt.

3^o Hinc aliud argumentum. Maxima felicitas ejus qui ad perfectam felicitatem nondum pervenit, hæc una est, ut illam secunda spe apprehendat. Spes enim dum bonum futurum apprehendit, quasi ejus possessionem anticipat. Jamvero spes perveniendi ad perfectam futuræ vitæ felicitatem huic uni fundamento innititur, ut quis juxta honestatis præscriptum vitam suam in omnibus moderetur. Ergo.

62. Hinc colliges

1^o Actus in quibus felicitas hujus vitæ propria sita est, esse cognitionem et amorem Dei, et spem in honestate vitæ fundatam.

2^o Hanc felicitatem a virtute nunquam sejungi, et cum virtute pariter amitti.

3^o Nullam esse vitæ conditionem, nulla rerum adjuncta quæ hanc felicitatem nobis eripere valeant, sed eam semper esse in nostra potestate.

Propositio II

63. *Imperfecta hæc felicitas maximum hujus vitæ bonum est.*

Nam quanquam multis malis admixta esse potest, tamen et a pluribus natura sua nos liberat malis, cujusmodi sunt illa omnia quæ vitiis inhærent; et calamitatum omnium suavissimum lenimentum est. E contrario cetera hujus vitæ bona, si spe futuræ felicitatis homo privetur, animi tranquillitatem ac sincerum gaudium gignere nequeunt. Imo vero etsi quis hujus vitæ bonis abundet, si a spe futuræ beatitudinis excidat, non potest non esse infelix. Nihil enim infelicius illo qui cum felicitatem avide quærat, eam se assequi unquam posse desperet. Jam unusquisque probe videt, se in hujus vitæ bonis felicitatem assequi non posse: si vero ita vivat ut futuræ quoque felicitatis spem abjicere debeat, profecto de felicitate assequenda erit illi desperandum.

CAPUT II

DE ACTIBUS HUMANIS

64. Proxime sequitur ut de actibus humanis disputemus. Absolvetur hæc disputatio quæstionibus quinque : 1° namque quærendum de actuum humanorum notione ; 2° de voluntario et involuntario quæ actibus humanis insunt ; 3° de eorundem actuum imputabilitate ; 4° de merito ; 5° de causis quæ voluntarii rationem modificant.

ARTICULUS I. DE ACTUUM HUMANORUM NOTIONE

Propositio I

65. *Actus humanus ille est qui a deliberata voluntate procedit.*

Deliberatam dicimus voluntatem, quum prævia rationis advertentia de re agenda vel omittenda, eligit alterutrum ex oppositis. Igitur illi actus dicuntur humani qui ab homine ponuntur, prouti est rationale ac liberum agens, suorumque actuum dominus. Hujus notionis veritas facile patet.

Nam actus quorum homo est principium, considerari possunt tam respectu naturalium facultatum a quibus eliciuntur, quam respectu modi quo eliciuntur. Secundum primam considerationem, omnes actus quorum homo est principium, sive ii ex rationis cognitione proveniant sive non, sive necessarii sint sive liberi, ab humana natura procedunt, et ad hominem pertinent. At secundum considerationem alteram, illi soli actus sunt hominis proprii, qui ab homine fiunt eo modo agendi qui illi est proprius. Modus autem agendi hominis proprius ille est, quem homo tenet prouti a brutis distinguitur. Distinguitur vero a brutis per rationem et arbitrii libertatem. Igitur illi solum actus proprie ac vere humani dici merentur, quorum ho-

mo est dominus per rationem ac libertatem. Ceteri sive vegetalis sive sensitivæ sive etiam intellectivæ vitæ actus qui hujusmodi non sunt, *actus hominis* dicuntur, non vero humani.

66. Hinc sequitur 1^o omnem actum qui voluntatis electioni natura sua non subjacet, humanum non esse. Hujusmodi est v. gr. respiratio involuntaria aut cordis motus.

2^o Illos quoque actus qui liberæ voluntati subjici possunt, quum tamen vel rationis cognitionem vel voluntatis electionem præveniunt, humanos dici non posse. Tales sunt v. gr. motus sensitivi appetitus in subitis casibus exorientes.

Propositio II

67. *Humanorum actuum alii elicitii sunt, alii imperati.*

Actus enim a deliberata voluntate procedere potest, vel quia ab ea exeritur, ut est amare vel aversari, vel quia ab ea imperatur, ut est loqui vel adspicere.

Actus vero imperati alii sunt *interni*, ut quum voluntas intellectum aut phantasiam applicat ad agendum; alii *externi*, ut quum voluntas corporis sensus vel vim motricem ad actum determinat.

ARTICULUS II. DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO

68. *Voluntarium est quod a principio intrinseco cum finis cognitione procedit.*

Ad hanc definitionem intelligendam, adverte *voluntarium* esse denominationem a voluntate derivatam; ac proinde quidquid generatim sub voluntatem cadit, voluntarium dici posse. Potest autem aliquid cadere sub voluntatem vel ut objectum tantummodo, vel etiam ut actus seu effectus ejus. Hinc voluntarium aliud dicitur *objective* voluntarium, aliud *causaliter*.

Primo modo voluntarium est denominatio quædam in objectum voluntatis manans ab actu quo voluntas hoc vult, vel in eo sibi complacet. Exemplo sit actio *honestâ* quam ab alio fieri perspicio, et approbo. Hoc modo volun-

tarium non afficit actus humanos, ac potius dici debet *volitum* quam *voluntarium*.

Altero modo dicitur voluntarius tam actus a voluntate elicitus, quam actus ab ea imperatus. Actus elicitus dicitur voluntarius propter immediatam dependentiam a voluntate ut a suo principio. Actus vero imperatus dicitur voluntarius denominatione manante ab actu elicitio cuius est objectum et effectus. Eodem pacto voluntarii dicuntur effectus qui ex actibus imperatis consequuntur, si tamen ad voluntatem ut ad principium referendi sint: de quo mox.

Definitio porro tradita pertinet ad voluntarium altero modo acceptum, nempe ad voluntarium causaliter.

69. Manifestum est autem 1^o actus qui voluntarii dicuntur, procedere a principio intrinseco: per hoc enim distinguuntur ab actionibus quæ ab aliena vi determinantur. 2^o Manifestum quoque est, eos cum prævia finis cognitione a suo principio procedere: per hoc namque voluntarium ab actibus sensitivi appetitus distinguitur: hi enim resultant quidem ex aliqua cognitione objecti in quod tendunt, et ferri nequeunt in ignotum; non tamen supponunt cognitionem qua finis ut finis apprehendatur, et mediorum ad finem proportio intelligatur.

Ex dictis perspicis, voluntarii notionem ab actus libertate præscindere, non tamen illam excludere.

70. *Voluntario opponitur involuntarium, videlicet quod vel a principio intrinseco non procedit, vel absque finis cognitione ab eo procedit.*

Distingui autem debet 1^o *involuntarium negative* dictum; quod invenitur in subjecto voluntate carente, ut est v. gr. lapis.

2^o *Involuntarium privative* dictum; nempe de eo subjecto quod voluntarii sit capax. Reperitur autem in iis actibus hominis in quibus deest aliqua conditio ad voluntarium requisita; v. gr. quum agimus ex ignorantia inculpabili.

3^o *Involuntarium positive et contrarie*. Hoc habetur quum aliquid in subjecto contingit renitente voluntate, ut quum voluntas insurgenti resistit iracundiæ, aut corpus vinculis constringitur; atque hoc proprie dicitur involuntarium.

71. *Voluntarii divisio multiplex admittenda est.*

Primo attendenda est divisio voluntarii in *perfectum* et *imperfectum*.

Perfectum est quod fit cum cognitione rationali, quæ, quantum satis est, objectum consideravit.

Imperfectum quod fit cum cognitione solum sensitiva, vel cum cognitione rationali quæ non satis ad objectum attenderit.

72. Secundo : voluntarium aliud est *in se*, aliud *in alio*, aliud *permissivum*.

Voluntarium in se habetur quando aliquid in se est intentum. Sic sanitas est voluntaria ei qui medicina ad hunc finem utitur.

Voluntarium *in alio*, seu *in causa* habetur, quum voluntas non in se aliquid intendit, sed vult aliquid aliud in quo prius illud contineri, vel ex quo illud sequi intelligitur. V. gr. qui peccat, vult Dei offensam quæ in illo actu continetur, et pœnas sive divinas sive humanas quæ ex peccatis secuturæ, saltem confuse, prævidentur.

73. Ut igitur aliquid sit voluntarium in causa, tria hæc necessaria sunt :

1° Ut agens possit causam non ponere, vel si ea posita sit, possit eam tollere.

2° Ut cognoscat ejusmodi effectum consecuturum, aut saltem ut potuerit ac debuerit illum prævidere.

3° Ut effectus *per se* sequatur ex eo quod agens intendit, nempe ex vi actionis præcise sumptæ; vel si sequitur tantum *per accidens*, i. e. vi adjunctorum, requiritur ut agens teneatur causam non ponere vel positam tollere, idque in hunc finem ne hujusmodi sequatur effectus.

Ita qui ludo indulgere pergit, prævidens se, si ludere pergat, non posse suo muneri satisfacere, hanc omissionem vult in causa.

74. Si tertia hæc conditio desit, non habebitur amplius voluntarium in causa, et effectus dicitur simpliciter *permitteri*. Ita iudex qui reum capito plectit, damna ac dedecus uxoris et liberorum ejus non vult neque in se neque in causa, sed solum permittit.

Est igitur *permissivum* id quod agens cum eo quod vult aut omittit velle, cognoscit quidem per accidens connexum esse, quod tamen impedire non tenetur.

75. Quando vero propter effectus qui per accidens ex actione intenta consequuntur, quis teneatur actionem non ponere, id non potest generali quadam regula definiri; sed quandoque patet ex fine præcepti vel legis; quandoque ut cognoscatur, videndum quænam proportio sit inter motiva ponendi causam, et gravitatem ac probabilitatem effectus. Sic v. gr. licet vitam propriam contra injustum aggressorem defendere, etsi ex defensione sequatur aggressoris mors quia non tenetur homo vitæ alienæ providere magis quam suæ; at non licet iniquum famæ aggressorem interficere; nam bonum famæ propriæ damno vitæ alterius non prævalet.

76. Tertio : voluntarium potest esse *directum* vel *indirectum*.

Directum est quod a voluntate procedit positive agente, ut quum quis ludere vult.

Indirectum, quod a voluntate procedit, quatenus non agit quum agere potest; ut quum quis ad demandatum sibi munus animum applicare omittit.

77. Adverte 1^o aliud esse *velle non agere*, aliud *non velle agere*. Illud est voluntarium directum, hoc indirectum.

2^o Ut voluntarium indirectum habeatur, necesse est ut sit in agentis potestate considerare id quod agendum esset.

3^o De effectu qui ex omissione sequitur sive per se sive per accidens, judicandum est juxta modo dicta de voluntario in alio.

78. Quarto : voluntarium distinguendum est in *expressum* et *tacitum*.

Illud est quod verbis vel aliis signis manifestatur.

Hoc quod ex aliquo facto vel ex facti omissione colligitur adesse.

79. Quinto demum notanda est distinctio voluntarii in voluntarium *simpliciter* et *secundum quid*.

Voluntarium simpliciter habetur, quum voluntas omnibus simul adjunctis spectatis, aliquid vult.

Voluntarium secundum quid, quum voluntas vellet aliquid spectatis solum quibusdam adjunctis, quanquam spectatis omnibus illud non velit.

80. Hinc exoritur *mixtum ex voluntario et involunta-*

rio. Est enim aliquid *voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid*, quum quis definitive consentit, licet cum aliqua repugnantia; et e contrario est *involuntarium simpliciter et voluntarium secundum quid*, quum quis consensum negat, sed ei res aliquomodo placet.

Exemplum primi habes in eo qui ex naufragii metu merces in mare projicit: exemplum secundi in eo qui magnum lucrum recusat, quia injustum cognoscit.

ARTICULUS III. DE ACTUUM HUMANORUM IMPUTABILITATE

81. Imputabilitas in genere est *actionis habitudo ad agens, vi cujus ea potest ac debet tribui agenti ut effectus causæ*.

Causa actionis in agentibus quæ ex necessitate agunt, est ipsa natura; in liberis est persona suorum actuum dominium habens. Imputabilitas proprie dicta ad liberorum agentium actiones pertinet.

Imputabilitas vero moralis est *actionis habitudo ad agens, vi cujus actionis bonitas vel pravitas tribuitur agenti ut ejus perfectio vel imperfectio*.

82. Judicium quod per actualem imputationem de agente fertur, intuitu bonitatis vel pravitatis quæ est in ejus actu, dicitur *æstimatio*, si actio bona sit, *reprobatio*, si mala.

Sermo qui hujusmodi judicium patefaciat, dicitur *laus* vel *vituperatio*. Actus quibus idem judicium manifestatur, *honor* vel *contemptus*.

Quod si hoc judicium frequenti vulgi sermone celebretur, *gloria* vel *infamia* nuncupatur.

Propositio I

83. *Actus qui humani dicuntur, eorumque sive bonitas sive pravitas merito hominibus imputantur.*

Nam merito existimatur alicujus actionis auctor is, in cujus potestate fuit actum ponere vel non ponere. Atqui actus omnis humanus (65) est actus liber, qui nempe non ex naturali necessitate, sed ex deliberata agentis voluntate

procedit: proindeque in agentis potestate fuit eum ponere vel non ponere. Ergo.

Idipsum liquet de actus bonitate vel pravitate, ac per idem argumentum. Homo enim fuit liber ad actus oppositos, quorum alter erat honestatis regulæ conformis, alter ab ea difformis. Ergo ipse fuit qui actui quem posuit, conformitatem hanc vel difformitatem contulit: honestas ergo vel turpitude quæ ex hac conformitate vel difformitate actui inest, tota in auctorem actus redundat, eique inhæret.

Propositio II

84. *Non modo sui cuique actus imputabiles sunt, sed etiam alieni quandoque actus imputabiles esse possunt.*

Potest alter alterius actioni cooperari, vel ut causa physica vel ut causa moralis (M. 96). Jam si quis alterum physice in agendo juvat, ipse quoque agit; mirum proinde non est, si id quod agit, sit ipsi imputabile, atque effectus actionis communis ipsi quoque sit imputabilis.

Sed etiamsi quis alteri physice non cooperetur, id tamen quod hic suis viribus agit, potest illi esse imputabile, si ad ejus actiones concurrat ut causa moralis; v. gr. si actionem imperet aut suadeat. Actio enim ejusque bonitas vel malitia est imputabilis iis omnibus qui ad eam aliquo modo concurrunt. Ergo.

85. Cooperatio porro moralis potest esse tum *positiva*, tum *negativa*.

Positiva est 1^o si quis actionem fieri mandet; 2^o si quis consentiat, quum consensus est necessarius; 3^o si quis scienter participet de emolumentis quæ ex actione sequuntur; 4^o si quis recipiat actionis auctorem, si ejus instrumenta, aut effectus occultet vel protegat; 5^o si consilium præbeat, vel preces vel promissa adhibeat; 6^o si operantem laudet.

Negativa est 1^o si quis non obstet quum sine gravi incommodo posset ac deberet agenti resistere, vetando aut impediendo; 2^o si ab agendo alterum non dissuadeat, quum dissuadere potest ac debet, ac silentium positivæ approbationi æquivalet; 3^o si non manifestet actionis

auctorem, quum illum manifestare tenetur, ne v. g. damnetur innocens.

86. Animadvertendum, imputabilitatem alienæ actionis ad alterum ut ad causam moralem, majorem esse posse vel minorem. Æstimatur autem hujus imputabilitatis gradus 1º ex modo cooperationis moralis. Sic. v. gr. homicidium a satellite perpetratum magis est imputandum mandanti quam consulenti, et non prohibenti quum posset, magis quam non dissuadenti. 2º Ex majori vel minori rationis cognitione et advertentia; ab hac enim pendet voluntarii ratio (71; 73, 2º; 76, 5º).

ARTICULUS IV. DE MERITO ET DEMERITO

87. Meritum et demeritum sunt quidam imputabilitatis effectus. Tunc porro meritum actibus humanis inest, quum ii emolumentum aliquod alteri asserunt; demeritum vero quum in alterius detrimentum vergunt.

Definiri potest meritum: *exigentia retributionis quæ actioni inest ob emolumentum quod alteri confert.*

Demeritum vero: *exigentia retributionis quæ actioni inest ob detrimentum quod alteri affert.*

88. Retributio quam meritum vel demeritum exigunt, est: *bonum vel malum alicui conferendum, quo emolumentum vel detrimentum ex ejus actione profectum, secundum aliquem justitiæ modum adæquetur.*

Retributio quæ merito debetur, dicitur *præmium*, vel *merces* aut *stipendium*, si ex pacto in eam conventum fuerit; quæ demerito irroganda est, *punitio*, *pœna*.

89. *Mensura retributionis est aliquis justitiæ modus, ut ex definitione eruitur.*

Justitiæ autem modus secundum quem retributio fit, est triplex: nempe vel secundum justitiam *commutativam*, vel secundum justitiam *distributivam*, vel secundum justitiam late sumptam, seu *æquitatem*.

Justitia commutativa est justitia unius ad alterum: hæc inter utilitatem receptam alterius opere, et retributionem ex propriis bonis, æqualitatem statuit *arithmetica*; ut quum famulo mercedem labori debitam rependimus.

Justitia distributiva est communitatis ad singula ejus

membra, et inter singulorum merita ac præmium ex communibus bonis retribuendum, proportionem sequitur *geometricam*.

Æquitas locum habet, quum quis nihil proprie alteri debet, nihilominus ex quadam decentia et honestate ei convenit ut alterius actionem aliqua retributione compenset. Sic v. gr. parentes non tenentur ex justitiæ debito, ut filiorum observantiam ac pietatem præmio compensent; congruit tamen ut seu laudis seu alterius boni præmium illis rependant.

90. Hinc sequitur 1^o aliud esse meritum *presse* sumptum, aliud meritum *latiori sensu*.

Meritum *presse* sumptum est exigentia retributionis quæ in justitia proprie dicta, sive commutativa sive distributiva, fundatur. Hoc meritum a theologis appellatur *ex condigno*.

Meritum *late* acceptum est exigentia retributionis quæ in æquitate fundatur: hoc dicitur meritum *ex congruo*.

2^o Sequitur quoque, meritum haberi in iis actionibus quæ non sunt debitæ ex aliquo peculiari contractu. Si enim actio hoc pacto debita sit, ille in cujus utilitatem actio cedit, recipit quod sibi debetur: qui enim dat, ideo dat quia prius accepit. Sic qui pecuniam mutuo acceptam restituit, nullum acquirit meritum erga eum qui mutuum dedit.

At 3^o si actiones sint ceteroquin debitæ, non ex contractu, habere possunt meriti rationem. Ita princeps bene de populo mereri potest, et medicus de ægrotis, licet uterque ex proprii officii munere iis consulere teneatur.

Propositio I

91. *Actibus humanis inesse potest ratio meriti vel demeriti, sive erga homines individuales, sive erga hominum societatem.*

Etenim manifestum est quosdam actus humanos, et sua-pte natura et ex agentis intentione, in alterius vergere utilitatem. Atqui actus hujusmodi retributionem exigunt.

Nam inter eum qui de suis bonis aliquid alteri largitur et eum qui de his accipit, inæqualitas quædam exsurgit,

quæ naturali hominum æqualitatî contraria est. Ratio vero, quamvis hanc boni communicationem vehementer probet, ut quæ ad humanum consortium servandum necessaria est, atque a naturæ auctore est intenta, probare tamen nequit inæqualitatem quam illa fecit, diu manere. Ratio enim in omnibus ordinem quærit, et quidquid inordinatum est reprobatur; neque id minus in moralibus hominum relationibus, quam in artium operibus. Jam inæqualitas illa inordinatio quædam est, maxime quia æqualitas restaurari potest. Restaurari autem potest æqualitas, si is qui de bonis alterius accepit, tantumdem reddat de suis. Igitur ratio ex ipso ordinis principio exigit, ut qui ex alterius actione commodum percepit, vicem rependat et æqualitatem restituat.

E contrario si quis actu suo alterum quempiam bono illi debito privavit, ex eodem ordinis principio ratio exigit, ut is tantumdem de suis bonis amittat, quantum de bonis alterius detraxit. Propterea actus imputabiles qui alteri noxii sunt, pœnam merentur.

92. Hæc porro quæ diximus de merito vel demerito unius individui respectu alterius, ex æquo dicenda sunt de merito vel demerito individui erga societatem, si quis aliquam actionem suam in totius societatis utilitatem vel damnum ordinet.

Propositio II

93. *Omnes actiones honestæ eorum qui in societate degunt, hoc ipso quod honestæ sunt, meriti rationem in universam societatem habent, inhonestæ vero rationem demeriti.*

Etenim magnum societatis bonum est, ut ejus membra agant ex rationis præscripto: primo quidem quia omnis actio honesta ipsum agentem perficit, nec raro etiam plures alios; perfectio autem cujusque partis in totius perfectionem redundat: deinde vero quia societatis finis, qui est felicitas publica, ex civium honestate potissimum dependet.

Simili modo concludes, inhonestas actiones demeriti erga societatem rationem habere.

94. Retributio autem honestis civium actionibus in societate recte ordinata semper rependitur ex ipsa societatis constitutione. Semper enim cives tutelam, adjumentum ac plura alia commoda in recte ordinata societate obtinent; quibus bonis societatis finis continetur.

Propositio III

95. *Omnes actiones honestæ, spectato naturæ ordine, rationem meriti habent etiam apud Deum, atque inhonestæ rationem demeriti.*

Fundamenti loco animadvertendum est, inter Deum et hominem justitiam proprie dictam exerceri non posse. Nam justitia est quædam æqualitas dati et accepti. Hæc autem æqualitas inter Deum et hominem esse non potest. Cum enim omnia quæ homo habet, a Deo acceperit, fieri nequit ut homo aliquid Deo retribuatur, quod ipse ab eo prius non acceperit. Unde sequitur hominem, etsi omnia quæ Deo debet illi exhibeat, nunquam tamen ex se jus proprie dictum ad mercedem acquirere, ac propterea Deum non teneri, ratione eorum quæ ab homine accipit, mercedem illi retribuere. Hinc liquet, *absolute loquendo*, hominem proprie dicta merita erga Deum habere non posse.

96. At potest esse inter Deum et hominem justitia quædam *ex hypothesi* divinæ ordinationis et promissionis, quæ titulum juris homini conferat. Hæc autem divina ordinatio procul dubio habetur.

Nam Deus hominem ordinavit ad felicitatem ut ad finem, eique hanc promisit ipsa voce naturæ, si tamen ipse moralem ordinem quem Deus servari jubet, libere servet. Igitur si homo hunc ordinem servet, habet ex Dei ordinatione et promissione verum jus ad finem assequendum.

97. Hoc autem jus ita comparatum, vere potest dici meritum erga Deum; ac propterea felicitas quam Deus homini retribuet, vere dici potest merces ac præmium.

Nam 1º homo per actum honestum tendit ad Deum ut ad ultimum finem, et in hoc summum ei honorem defert, quia ipsum rebus omnibus præfert. Meritum autem est opus ordinatum ad alterum, in ejus qualecumque bonum. Ergo.

2° Omnis actio honesta in societatis humanæ bonum redundat, ut supra (95) dictum est. Pertinet autem ad supremum societatis ordinatorem, ut præmia retribuatur iis qui bene de societate merentur. Ergo.

98. E contrario omnis actio inhonesta rationem demeriti apud Deum habet, tum quia honorem Deo ut fini ultimo debitum, illi subtrahit, tum etiam quia in humanæ societatis detrimentum cedit.

99. Obj. 4° Meritum ex indebito opere nascitur. Sed quidquid homo agit, id Deo debitum est. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Ex opere quod nullo modo ex aliqua lege generali debeatur, *nego*; quod non debeatur ex aliquo peculiari contractu, *subd.* si quis agat in bonum ejus qui jam præstitit quod ex contractu debebat, *conc.* secus, *nego*.

Dist. min. Quidquid homo agit, id Deo debitum est, spectatis absolute relationibus inter Deum et hominem, *trans.* spectata ordinatione et promissione divina, *subd.* est debitum, i. e. homo ad id morali obligatione adstringitur, *omitto*; i. e. homo per id non acquirit meritum, *nego*.

Vide superius dicta (90, 2°, 5°; 95, 96). Adverte insuper, falsum esse, quidquid homo agit in Dei obsequium, Deo esse stricte debitum. Nam tenetur quidem homo facere quæ Deus præcepit; tenetur item referre ad Deum quidquid facit, saltem implicite; at non tenetur facere omnia bona opera quæ facere potest: plura enim ejus arbitrio permittuntur.

400. Obj. 2° Meritum est actio alteri utilis, demeritum actio noxia. Sed humanæ actiones nullam utilitatem nullumque damnum Deo afferre possunt. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* meritum cujus titulus sit jus absolutum, *conc.* cujus titulus sit ex alterius ordinatione et promissione *subd.* est actio utilis alteri quatenus illi confert aliquod intrinsecum emolumentum, *omitto*; quatenus exsequitur ordinem quem ille intendit et exigit, *conc.* (95-97).

404. Obj. 5° Qui bene de aliquo meretur, eum sibi debitorem facit. Atqui repugnat Deum esse hominis debitorem.

Resp. *Dist. maj.* Si inter unum et alterum possit esse absolute justitiæ ordo, *conc.* secus, *omitto*.

Contrad. min. Repugnat Deum esse debitorem ipsi homini vi juris in homine fundati, *conc.* repugnat Deum esse debitorem *sibi*, ut homini conferat id ad quod eum ordinavit, *nego*.

ARTICULUS V. DE IGNORANTIA ET CONUPISCENTIA

102. Cum voluntarii ratio duobus contineatur, rationis cognitione et dimanatione a principio intrinseco, voluntarii ratio modificari ex duplici parte potest. Cause porro quæ illam modificant ex parte cognitionis, sunt internæ, videlicet *ignorantia* et *concupiscentia*; quæ ex parte dimanationis a principio intrinseco, sunt externæ, *coactio* nempe et *metus*.

103. *Ignorantia est carentia debitæ cognitionis.* Nominine autem ignorantie venit etiam *inadvertentia* et *oblivio*.

104. Ignorantia ratione *objecti*, dividitur in ignorantiam *juris* et *facti*. Illa detinetur homo, quando ignorat legis existentiam et obligationem; hæc, quum ignorat eas rei, de qua agitur, condiciones, quæ legi applicandæ materiam præbeant.

105. Ratione *subjecti*, alia est *invincibilis*, alia *vincibilis*. Prior est quæ depelli non potuit acquisitione cognitionis oppositæ, quia vel nunquam cogitatio aut dubitatio de ejusmodi re in mente oborta est, vel si forte oborta est, adhibita morali diligentia, veritas cognosci non potuit.

Posterior est, quæ morali adhibita diligentia superari potuit ac debuit. Potuit autem superari, si in mentem venerit suspicio de re ac de sciendi obligatione, et sciendi media non defuerint.

Ignorantia porro vincibilis est *directe voluntaria*, si quis data opera in ignorantia manere vult. Hæc dicitur ignorantia *affectata*. Dicitur vero ignorantia *crassa* et *supina*, quum nulla omnino vel solum levis diligentia adhibita est ad veritatem investigandam.

106. Ratione actionis quæ ignoranter fit, ignorantia dividitur in *antecedentem* et *concomitantem*.

Antecedens est ignorantia quæ in actum influit; concomitans est ignorantia non ex qua, sed cum qua actio ponitur, ita ut ea poneretur etiamsi adesset opposita cognitio.

Propositio I

407. *Ignorantia invincibilis, cujusque modi sit, voluntarium tollit, et non voluntarium inducit: vincibilis autem, si affectata non sit, voluntarium non tollit sed minuit; at affectata voluntarium auget.*

Prima pars liquet ex eo quod voluntarium cognitionem supponit (68). Invincibilis ergo ignorantia voluntarium tollit; unde quod fit ex tali ignorantia, est omnino non voluntarium (70, 2^o). Hoc pacto si quis putans se feram occidere, hominem occidit, occisio hominis est illi non voluntaria.

Prob. 2^a pars.

Ignorantia vincibilis, si affectata non sit, est indirecte voluntaria (76): procedit enim ex debite inquisitionis omissione. Igitur quod ex tali ignorantia fit, est voluntarium in alio (72, 5^o; 73). Tamen est minus voluntarium quam esset si haberetur cognitio. Si enim cognitio haberetur, actio non fieret.

Prob. 5^a pars.

Ignorantia affectata est in se ac directe volita, ut quis liberius agat. Actio ergo ejus qui sic agit, magis est illi voluntaria, quam si absque ignorantia ageret. Ex amore enim illius inquirere non laborat.

408. *Concupiscentiæ nomine hic venit vehementior appetitus sensitivi actus, voluntatem inclinans ad bonum sensibile prosequendum, aut sensibile malum fugiendum.*

Concupiscentia hoc modo intellecta dividitur in *antecedentem* et *consequentem*. Illa exurgit independenter ab omni actu voluntatis; hæc a voluntate excitatur, vel saltem fovetur.

Notandum, concupiscentiam, sive antecedentem sive consequentem, in tantam intensitatem quandoque excrecere posse, ut in furorem ac temporariam quamdam amentiam transeat.

Propositio II

109. *Concupiscentia antecedens voluntarium ac liberum non tollit, sed minuit; consequens nullo modo minuit, sed potius intensioris in voluntate propensionis indicium est.*

Prob. 1^a pars. Voluntarium objecti cognitionem exposcit, liberum vero voluntatis indifferentiam supponit. Atqui concupiscentia neutram conditionem tollit. Nisi enim rationis usum penitus præpediat, non aufert rationi potestatem considerandi motiva quæ ab agendo retrahunt, nec eorum actualem cognitionem, saltem confusam, penitus extinguit. Quare licet voluntatem vehementius alliciat, non tamen eam ex necessitate trahit, nec arbitrii indifferentiam tollit. Voluntarii ergo, imo et liberi rationem concupiscentia antecedens ab actu non aufert.

Minuit tamen. Nam dum concupiscentia fervet, ratio vehementer apprehendit motiva quæ objectum appetibile faciunt; quæ autem ab ipsius appetitione avertere possunt, parum considerat, imo vero ab iis considerandis magna vi distrahitur. Hinc fit ut ratio minus idonea sit ad iudicium pacate ac tranquille de objecto ferendum. Aucta vero objecti appetibilis æstimatione, et oppositi consideratione impedita, hoc ipso voluntatis ad utrumlibet indifferentia minuitur.

Patet ergo, concupiscentiam antecedentem voluntarium ac liberum non tollere quidem sed imminuere.

110. Prob. 2^a pars. Concupiscentia consequens voluntatis actu excitatur. Ergo nullatenus imminuere potest voluntarii rationem. Indicio potius est, voluntatem intentione vehementiori in concupiscibile objectum ferri. Nam in hunc finem sensitivum appetitum ipsa excitat, ut objectum ejusmodi intensius prosequatur.

Licet autem concupiscentia consequens ita deinde effervescat, ut etiam rationis usum impediatur, nihilominus de voluntarii ratione nihil imminuit: imo quicquid ex ejus influxu tunc fit, voluntarium in causa censendum est.

ARTICULUS VI. DE COACTIONE AC METU

411. Coactio seu violentia est *motio, cujus principium est vis extrinseca illata repugnanti.*

Hæc est coactio *absolute* ac *simpliciter* dicta. Quod si is qui vim patitur libenter patiat, aut non resistat quantum potest, coactio dicitur *secundum quid.*

Liquet autem ex dictis in Metaphysica (M. 436), solummodo actus qui imperati dicuntur, posse vim pati, non vero eos qui ab ipsa eliciuntur voluntate.

Propositio I

412. *Coactio absoluta voluntarium tollit, et positive involuntarium inducit.*

Quod enim voluntarie fit, ab intrinseco principio procedit, et ex agentis inclinatione. Quum autem absoluta coactio est, actio a principio externo procedit, et fit renitente ejus, qui vim patitur, voluntate. Ergo absoluta coactio voluntarium penitus tollit; imo positive involuntarium inducit (70, 5^o).

Hinc vero facile colligitur, coactionem secundum quid voluntarii rationem magis minusve imminuere posse, at prorsus tollere non posse.

413. *Metus est mentis trepidatio orta ex instanti malo.*

Differt a coactione: nam vis cogens physice agit in corpus; causa vero quæ metum incutit, est causa moralis: voluntatem enim aggreditur mediante intellectus apprehensione.

414. Distinguendæ porro sunt actiones quæ fiunt *ex metu*, ab iis quæ fiunt *cum metu*. In illas metus influit tanquam motivum; has vero solummodo comitatur, quin ullum in eas influxum exerceat. Nobis sermo est de actionibus ex metu factis.

415. Metus potest esse *gravis* et *levis*. Gravis oritur ex prudenti expectatione mali gravis et imminentis sibi vel suis. Levis ex prævisione mali levis aut valde remoti aut quod facile propulsari queat.

Est autem metus *absolute* gravis, si malum ex se sit in-

gens et viro quoque constanti formidabilè. Est gravis *relative*, si malum quod timetur, debiliores solummodo animos graviter perturbet.

416. Metus causa potest esse *naturalis*, ut est morbus, incendium, naufragium; vel *libera*, ut est satelles necem minitans.

Quum causa est libera, metus est *justus*, si qui metum infert, hujus inferendi jus habeat; *injustus*, si jus non habeat.

Propositio II

417. *Actus ex gravi metu positi, sunt simpliciter voluntarii et liberi, ac solum involuntarii secundum quid.*

Sunt simpliciter voluntarii; quia metus, ut diximus (415), in voluntatem agit solum ut causa moralis. Principium igitur a quo hi actus procedunt, non est causa extrinseca quæ metum inculit, sed voluntas, quæ omnibus consideratis (79), eos ponere vult.

Sunt liberi. Nam actio motivi in voluntatem, nisi bonum apprehensum sit bonum summum, impellit quidem voluntatem ad agendum, ast eam ad unum non determinat. Fuga autem mali etsi gravissimi, summum bonum non est; imo neque est bonum hujusmodi ut aliqua ex parte non bonum, atque adeo malum videri nequeat. Ergo voluntas per metum non determinatur ad unum, sed cum sine metu aliud vellet, accedente metu, omnibusque perpensis, seipsa ad agendum determinat.

Sunt denique involuntarii secundum quid. Secluso enim motivo metus, ac re in se spectata, voluntas eam non vellet.

418. Objicit Pufendorfius. 4^o Quod est supra hominis vires, non est libero hominis arbitrio commissum, nec potest esse illi imputabile. Atqui abstinere ab agendo, quando gravis metus urget, est supra hominis vires. Ergo.

2^o Qui agit ex gravi metu, se habet ut purum alterius instrumentum, ut gladius aut securis.

3^o Si is qui vitæ sibi intento excidio alterum perimit, hujus facinoris auctor censendus esset, consequeretur nos generatim teneri ad redimendum malo nostro malum quod alteri inferendum sit. Atqui hoc generatim falsum est. Ergo.

119. Resp. ad 1. *Nego min.* Contra gravem metum agere non est profecto *physice* impossibile, sed solum *moraliter*; quia communiter homines gravissimam difficultatem, licet possint, non superant (M. 26).

Ad 2. *Dist.* se habet ut instrumentum quod ab alio *physice* moveatur, *nego*, ut instrumentum quod ab alio moveatur *moraliter*, ac seipsum *physice* movet, *conc.* et *nego paritatem*.

Ad 3. *Nego maj.* Nam hoc solum sequitur, nos teneri ad hoc ut injuriam innocenti non inferamus, mali quod nobis imminet, declinandi causa. Non tenemur redimere malo nostro malum alienum, sed solum non redimere malo innocentis malum nostrum.

120. Objicitur ad hæc. 4° Pacta vel promissa ex metu inita, sunt irrita et nulla. Ergo non sunt libera.

Resp. *Dist. ant.* Pacta vel promissa inita ex quocumque metu, *nego*; ex metu injuste incusso, *subd.* sunt irrita ex defectu libertatis, *nego*; censentur irrita ex dispositione legis sive naturalis sive positivæ, quæ hujusmodi contractus invalidos facit, *trans.* De his alibi.

121. Obj. 5° Si metus liberum aliquando non tollit, quæ ex gravi metu fiunt contra aliquam legem, semper essent prava. Atqui hoc est falsum: nam metus excusat a plurium legum observantia.

Resp. *Dist. maj.* si lex in eo casu maneret, *conc.* si lex in eo casu cessat, *nego*.

Contrad. min. quia lex cessat, *conc.* si lex maneat, *nego*.

Ad rat. add. *dist.* Metus excusat a plurium legum observantia, quia lex in eo casu non obligat, *conc.* quia metus libertatem perimit, *nego*.

Lex naturalis prohibens obligat etiam instante gravi metu, quia nunquam cessat. Propterea qui contra illam aliquid facit, licet id ex gravi metu faciat, semper inhoneste agit.

Lex humana, si in aliquo casu grave damnum ex ea sequatur, non obligat *per se*: quia legislator censetur cum hac moderatione obligare velle, nisi publica salus aliud requirat.

Tamen etiam lex humana potest obligare *per accidens*, etiam quum grave damnum imminet, puta si legis transgressio sine auctoritatis contemptu fieri nequeat.

CAPUT III

DE ACTUUM HUMANORUM MORALITATE

122. Agendum modo de actuum humanorum moralitate; ac proinde 1° de moralitatis notione; 2° de suprema ejus norma; 3° de ejus principiis; 4° de ejus extensione; 5° de ejus cognitione.

ARTICULUS I. DE MORALITATIS NOTIONE

123. Moralitas, si vocis vim consideres, a more est, ac significat *qualitatem inhærentem iis actibus ex quorum frequentia boni vel mali mores evadunt*. Si vero rem spectes, est *relatio convenientiæ vel difformitatis actuum humanorum ad propriam eorum regulam*.

Actus enim ratione moralitatis dicuntur *recti* vel *pravi*. Rectitudo autem est conformitas rei cum sua norma, ac pravitas difformitas ab illa.

124. *Duplex est moralitatis species: alia qua actus dicuntur recti, boni, honesti; alia qua dicuntur pravi, mali, inhonesti.*

Eorum enim omnium quæ secundum aliquam regulam exigi debent, respectus possibilis ad regulam necessario est duplex. Nempe vel consentiunt cum illa vel non consentiunt. Si consentiant, recti sunt, si non consentiant, pravi.

Quemadmodum vero artis opera bene vel male facta dicuntur per comparisonem ad artis regulas, quia convenit illis esse his regulis conformia, et non convenit esse difformia; ita quoque humanæ operationes ex conformitate vel difformitate cum normis agendi, bonitatem quamdam vel malitiam suscipiunt a physica bonitate vel malitia omnino diversam.

Demum actus moraliter boni honesti dicuntur, quia maxime conveniunt rationali naturæ cui imputantur, ac decorem ejus unice proprium illi conciliant: actus vero

moraliter mali dicuntur inhonesti, quia rationali naturæ vehementer repugnant, camque turpiter deformant.

Actus igitur humani, prout sunt morum regulæ conformes vel ab ea difformes, dicuntur *recti* vel *pravi*; prout hæc conformitas eis convenit, et hæc difformitas eis repugnat, dicuntur boni vel mali; prout hæc bonitas condecorat rationalem naturam, et hæc malitia illam deturpat, iidem actus dicuntur *honesti* vel *inhonesti*.

125. Moralitas *proprie* dicitur de *actibus deliberatis*, i. e. de actibus humanis (65). Hi enim sunt qui regulis agendi homini propriis conformes vel difformes esse possunt.

Primo vero et *per se* actibus a voluntate *elicitis* (66) moralitas convenit. Hi enim sunt primo ac per se actus humani; cum inter humanas facultates sola voluntas sit in suis actibus intrinsecus libera. Igitur actus ceterarum facultatum moralitatis capaces sunt, solummodo per derivationem ex actibus voluntatis, quibus imperantur.

Demum per analogiam moralitas tribuitur quoque actuum humanorum *objectis* et *circumstantiis*; eorum quoque *causis efficientibus* et *effectibus*, atque *habitibus*, qui per actus morales comparantur.

126. Non defuerunt qui negarent, ullum esse in humanis actibus boni malique discrimen: huiusmodi sunt pantheistæ, fatalistæ, materialistæ, ii denique omnes qui humanæ voluntatis libertatem negant.

Propositio

127. *Indubitatum est in humanis actionibus aliquas honestas esse, aliquas pravas.*

Etenim 1^o qui hoc discrimen inficiantur, turpissimis, ut modo inuimus, ac manifestis erroribus innituntur.

2^o iidem præterea communi ac perpetuæ hominum consensioni contradicunt. Quædam enim actiones ab omnibus hominibus bonæ, quædam malæ constanter existimantur; illæ laudibus ac præmiis, hæc vero vituperatione ac pænis dignæ semper habitæ sunt. Ac licet ethnicorum olim superstitio nostra ipsa flagitia in Deos transferret, non tamen efficere potuit, ut Deorum exemplum naturæ vocem extingueret, utque furtum v. gr. aut homicidium aut

effrenis libido, etsi divinis moribus honestari viderentur, suam turpitudinem abjicerent.

3^o Bonum enti est agere juxta quod propria ejus natura exigit: si autem contra hanc agere possit, malum ejus et imperfectio magna erit sic agere. Atqui hominis natura rationalis est: natura autem rationalis exigit, ut ceteris facultatibus quibus ipsa instructa est, ratio præsit: ratio enim iis omnibus longe nobilior est: exigit propterea humana natura, ut homo facultatum suarum actus juxta rationem ordinet. Ergo bonum est homini juxta rationem agere. Homo præterea potest juxta rationem non agere, imò vero potest agere contra rationem, quia libertate gaudet. Ergo si homo sic agat, hoc illi malum erit.

Ergo discrimen inter actiones honestas et pravas ex ipsa hominis natura profluit.

4^o Idipsum ex dicendis luculentius patebit, quum hujus discriminis radicem ac fundamentum investigabimus.

ARTICULUS II. DE SUPREMA MORALITATIS NORMA

428. Ut suprema moralitatis norma statuatur, expendenda sunt quinque: 1^o an humanarum actionum honestas ac pravitas ab hominum instituto dependeat, ut contendit Lockius et Hobbesius; 2^o an a libera Dei voluntate, ut sensit Pufendorfius; 3^o an cum Epicuro et Helvetio dicendum sit boni malique mensuram esse naturalem propensionem qua sensilem voluptatem quærimus doloremque refugimus; 4^o an cum Benthamo et utilitariis existimare debeamus, bonas esse actiones quæ ad hujus vitæ felicitatem promovendam conducunt, malas quæ ejus inminutionem inferunt; 5^o demum an secundum quod cum toto humano genere sapientiores quique semper docuerunt, boni ac mali moralis discrimen ab ipsis rerum essentiis necessario dimanet.

Propositio I

429. *Morale humanarum actionum discrimen ab hominum opinionibus ac legibus non dependet.*

Quod non dependeat ab opinionibus facile demonstratur.

Nam vel hæc opinioniones certis atque evidentibus rationibus innituntur, vel non.

Si primum, jam non ipsæ opiniones moralitatis sunt norma, sed rationes aliquæ immutabiles, quibus illæ inniuntur.

Si alterum, non posset haberi circa quarumdam actionum honestatem vel pravitatem ea judiciorum immutabilis conformitas, quæ apud omnes populos, omni tempore et in omnibus adjunctis semper obtinuit.

150. Quod ad leges attinet,

1^o An leges omnes, quidquid præcipiant, semper æquæ sunt, an vero quædam æquæ esse possunt, quædam iniquæ? Omnes prorsus leges necessario et hoc ipso quod leges sunt, æquas esse, perabsurde dicitur et contra communem hominum sensum. Nam si qua lex v. gr. parentibus injungeret ut suos natos perimerent, aut Dei cultum gratumve animum vetaret, omnes homines hujusmodi leges existimarent iniquas: ac propterea fieri non posset ut quod illæ præcipiunt, honestum haberetur.

Si autem quædam leges possunt esse et existimari iniquæ, profecto exstat aliqua humanarum actionum norma, legibus omnibus humanis longe superior, cui leges conformari debent ut rectæ sint, quamque homines intuentes, judicant de ipsis legibus, an rectæ sint an vero iniquæ. Falsum ergo, humanas leges esse supremas humanarum actionum normas.

2^o Positis humanis legibus, vel ex se bonum est ac rationi consentaneum, ut homines actiones suas iis conforment vel secus; itemque vel ex se malum est atque a ratione dissentaneum ut homines actiones suas iis conformare detrectent vel non.

Si primum dicas, fateris independenter a legibus humanis esse aliquid ex se bonum, aliquid ex se malum.

Si alterum, concludendum erit leges humanas primum moralitatis fontem non esse.

3^o Ut supra jam innuimus (127, 3^o), quidquid secundum rectam rationem est, naturaliter homini convenit, eique perfectionem rationalis naturæ propriam affert, ac proinde est naturaliter honestum; quidquid vero contra rectam rationem est, naturaliter hominem dedecet ac rationalem naturam deturpat, ac proinde naturaliter inhonestum est (124). Atqui procul dubio quædam actiones sunt secundum rectam rationem, quædam vero contra illam.

Ergo quædam actiones naturaliter honestæ sunt, quædam autem naturaliter inhonestæ.

Propositio II

151. *Morale humanarum actionum discrimen neque a Dei præcepto primitus derivari potest.*

Etenim 1° vel poterat Deus præcipere actiones quas modo vetat, ac vetare actiones quas modo præcipit, vel secus. Si hoc postremum dicatur, jam non libere sed necessario Deus præcepit quod præcepit, ac vetuit quod vetuit. Hoc autem adversarii negant; ac si semel concedatur, jam conceditur esse normam aliquam humanarum actionum necessariam, quam divina voluntas necessario sequitur. Si autem dicatur primum, consequetur Deum potuisse vetare ut malas, si ei placuisset, eas actiones quas lege naturali modo præscribit, ut sunt Deum colere, obedire parentibus, filios diligere, cupiditates coercere, indigentibus opem ferre, et similes; et e contrario potuisse præcipere ut bonas actiones quas modo vetat ut malas, præcipere nempe odium Dei, furtum, homicidium aliaque hujusmodi flagitia. Quod quidem horribile dictu est, et Deo prorsus injuriosum.

2° Si omnis humanarum actionum honestas ac pravitas a libero Dei præcepto primitus dependet, sane quid honestum sit, quid pravum, sola naturali ratione, absque positiva Dei revelatione sciri non posset. Quod patet omnino esse falsum.

3° Huc facit quoque argumentum in superiore propositione allatum tertio loco.

Propositio III

152. *Absurda penitus est opinio, quæ a sensili voluptate ac dolore boni malique moralis intrinsecum discrimen desumendum esse docet.*

Nam 1° abjectissima hac doctrina recepta, consequeretur sensilem voluptatem esse unicum hominis bonum, ac sensilem dolorem unicum malum. Hoc autem falsum est et absurdum. Sunt enim plura bona quæ a sensili vo-

luptate longissime distant, quæ tamen appeti ab hominibus possunt, ut sunt nominis immortalitas, scientificæ cognitiones ac moralium virtutum actus. Honorem quoque, dignitates, amicitias et amicorum prosperitatem sæpe homines desiderant, nulla sensilis voluptatis habita ratione. Mala quoque multa homines refugiunt, quæ cum sensili dolore nihil commune habent; ab iisque non raro tam vehementer abhorrent, ut ne in illa incidant, sensilem omnem voluptatem rejiciant, atque ipsam mortem contempnant.

2° Ratio, cum sit facultas qua bonum apprehendimus ac de bono judicamus, hanc sibi natura sua vindicat dignitatem, ut facultati appetitivæ præsit eamque dirigat. Jamvero si voluptas ac dolor unica moralitatis regula esse dicatur, ratio ab hac sua dignitate exturbetur necesse est. Sæpe enim ratio voluptatem damnat ut naturæ rationalis malum; sæpe præcipit ut subeatur dolor, imo exigit quandoque ut dolorem ipsamque mortem impavide contempnamus. Igitur sensilis voluptas ac dolor moralitatis regula non est.

5° Si Epicuri et Helvetii moralitas recipiatur, virtus in hoc erit posita, ut quæcumque effrenis animi libido postulat, aut per vim, aut per fraudem assequi conemur: suprema virtutis perfectio erit *egoismus*: qui vero ad suas cupiditates temperantiæ freno coercendas incumbit, scelestus erit existimandus: quod si quis reperiatur qui pro veritate ac justitia tuenda, vel civium suorum amore, molestias ac dolores sustineat, multo magis si quis pro his mortem oppetat, hic profecto stultus erit aut scelestissimus. Quantum vero hisce principiis positis, hominis perfectio promoveatur, quantum consulatur humanæ societatis bono, nemo profecto non videt.

Propositio IV

455. *Non minore absurditate turpatur utilitariorum doctrina, quæ ex majori vel minori actionum ad hujus vitæ felicitatem utilitate, boni malique moralis discrimen desumit.*

Etenim 4° hæc opinio supponit ultimum hominis finem contineri hujus vitæ felicitate; hujusque vitæ felicitatem

in delectatione quæ ex bonis physicis percipitur, sitam esse : quæ duo, ut patet ex dictis de fine ultimo, sunt penitus falsa.

2º Juxta utilitariorum placita, homo quivis respicere se debet ut rerum omnium hominumque reliquorum finem ultimum, omniaque sibi suisque commodis subordinare : quæ quidem intolerabilis est absurditas. Est enim certum, rerum omnium finem ultimum esse Deum, homines vero natura esse æquales, omnesque ex æquo ad Deum immediate ordinari, demum reliquas res in omnium hominum usus paratas fuisse. Manifesta præterea contradictio est, unumquemque hominem et finem esse omnium, et ab omnibus ut medium adhiberi posse. Egoismus itaque utilitariorum intrinsecæ contradictioni innititur.

3º Facile perspicitur ex egoismo utilitariorum humani convictus perniciem eodem pacto, ac vero multo magis consequi, quam ex egoismo epicureo. Hac enim doctrina constituta, unicum jus erit vis, unica virtus astutia, unicum scelus error arithmeticus in utilitate propria supputanda; nullumque erit flagitium quod si, subductis rationibus, majorem mihi delectationum quam molestiarum summam dabit, non modo honestum ac licitum, sed naturæ lege præceptum non sit. Huc redit, detractis inanum verborum involucris, utilitariorum humanitas ac sapientia.

Propositio V

434. *Suprema norma ex qua humanarum actionum honestas vel pravitas primo dependet, sita est in ordine qui ex essentialibus hominis ad cetera entia relationibus exsurgit; ac proinde in ipsa Dei essentia fundamentum habet.*

Declarandum primo cujusmodi sit ordo iste, et quo pacto sit actionum norma.

Unumquodque ens suam propriam essentiam habet (M. 42); omnis autem essentia suam intrinsecam perfectionem, quæ ex ipsis ejus constitutivis emergit. Et quoniam essentiæ rerum diversæ sunt, diversa quoque est entium intima perfectio, qua alia aliis præstantiora sunt. Ad hasce perfectionis relationes ceteræ entium essentielles re-

lationes revocari possunt. Hinc si plura simul entia considerentur, æ perfectionis relationes quas invicem habent, essentialem aliquem ac necessarium inter ea ordinem determinant, in quo unumquodque ens, pro suæ realitatis mensura, certum aliquem gradum ac locum immutabiliter obtinet.

435. Homini quoque in immensa entium serie suus est locus ex ipsa ejus natura præstitutus. Est enim homo inferior Deo, æqualis ceteris natura sibi similibus, superior brutis ac rebus corporeis, atque in ipso homine animus corpori præstat, ratio sensui.

436. Homo vero in hoc differt ab entibus ratione carentibus, quod non modo suum in hoc ordine immutabiliter locum obtinet, sed etiam et has relationes et hunc ordinem cognoscit. Præterea ejus voluntas, quum libere amat, potest vel hunc ordinem sequi, vel ab eo discedere. Etenim omnis liberæ voluntatis amor electio quædam est, qua unum alteri præfertur, atque ordo aliquis constituitur. Erit autem hic ordo conformis illi qui ex essentialibus hominis relationibus emergit, si homo has ipsas relationes suo amore servet, suamque, ut ita dicam, in entium ordine positionem exprimat; ita ut id amor præferat quod homini perfectione præcellit, atque id magis præferat quod magis præcellit. Quod si hominis amor essentialem sui ad alia entia ordinem non sequatur, ordo ab eo constitutus erit ab essentiali illo ordine difformis.

In essentiali igitur ordine hominis ad cetera entia supremam humanarum actionum normam positam esse dicimus, et ex hoc intrinsecam earundem honestatem vel pravitatem derivari; honestatem si humana voluntas agens huic ordini se conformet, pravitatem si ab eo discedat.

437. Notanda. 1^o Quod de essentialibus hominis secundum suam naturam spectati relationibus dicimus, dicendum quoque de essentialibus relationibus hominis diversimode considerati. Homo enim v. gr. ut filius, subest parentibus, atque ut civis principi.

2^o Quoniam, ut supra innuimus, in ipso homine ordo quidam habetur partium ac facultatum, suprema morum norma hunc quoque ordinem complectitur.

3^o Ceteræ perfectionis relationes quæ sunt inter entia homine inferiora, ad ordinem in quo suprema morum re-

gula sita est, ex se non pertinent. Cum enim hæc entia omnia respectu hominis rationem medii habeant, illius arbitrio suapte natura subduntur. Hinc quanquam ex his entibus alterum altero sit perfectius, ut v. gr. animal brutum arbore, ad hominem tamen eodem modo universa referuntur, videlicet ut media ad finem,

458. Probatur nunc propositio.

4^o Suprema alicujus ordinationis norma illa est, qua servata, rerum dispositio semper ordinata est, qua neglecta, semper est inordinata.

Atqui ordinatio illa quam electio facit, si conformis sit ordini qui ex essentialibus hominis relationibus emergit, semper ordinata erit; fiet enim secundum rationem aliquam ex ipsa rerum natura petitam, quæ suam cuique rei positionem determinat. Si vero fuerit ab eo ordine difformis, necessario erit inordinata: illa enim dispositio est necessario inordinata, in qua res ordinandæ locum sibi essentialiter debitum non occupant.

Ergo suprema norma ordinationis quam electio facit, suprema nempe humanæ voluntatis regula est ordo ille qui ex essentialibus hominis relationibus exurgit.

2^o Suprema humanæ voluntatis norma est ea quam ratio, unius evidentix vi determinata, approbat ac servandam decernit. Ratio enim, quum evidentix vi determinata iudicat, errare non potest.

Atqui ratio sibi relicta atque unius evidentix vi determinata, eam necessario approbat servandamque decernit normam, quam essentielles hominis relationes suppeditant. Ratio enim, statim ac has relationes cognoscit, necessario iudicat, ens perfectius imperfectiori in amoris ordinatione esse præferendum. Etenim in ente perfectiori est excessus aliquis realitatis ac bonitatis supra ens imperfectius. Quemadmodum igitur ens nihilo evidenter præferendum est, et bonum ei quod non bonum absolute sit, ita ens perfectius imperfectiori.

5^o Homines quasdam actiones semper rectas et honestas existimarunt, quasdam vero pravas et inhonestas, ut supra dictum est (427, 2^o). Atqui ad hanc iudiciorum constantem uniformitatem explicandam, prorsus necesse est ut statuamus normam secundum quam de huiusmodi actionum rectitudine vel pravitate homines iudicant, esse aliquid

omnibus notum, universale, immutabile, et a variis locorum vel personarum adjunctis independens. Hoc autem nihil aliud esse potest, quam ordo qui ex essentialibus hominis relationibus emergit. Etenim præter essentiam et ea quæ cum essentia necessario nectuntur, omnia sunt particularia, mutabilia, varia, contingentia.

459. Ex dictis deduces

1^o Recte non minus quam eleganter, habitum honeste operandi, quem virtutem dicimus, a S. Augustino definiri: *ordinem amoris*.

2^o Dictamina quæ suprema morum regula continentur, esse metaphysice necessaria: nam sicut metaphysice necessaria est hæc propositio: *Ens perfectius imperfectiori præcellit*, ita quoque hæc: *Ens perfectius imperfectiori præferendum est*.

3^o Hinc eadem dictamina esse immutabilia et æterna, prorsus ut sunt rerum essentiæ.

4^o Proinde dictamina hæc in ipsa Dei essentia fundamentum habere. Rerum enim essentiæ ab ipsa divina essentia suam intelligibilem realitatem ac necessitatem hauriunt (M. 555, 556).

ARTICULUS III. DE MORALITATIS PRINCIPIIS

Propositio I

140. *Humanus actus essentialem suam moralitatis speciem ex objecto desumit.*

Nota autem 1^o objectum actus esse id in quod actus tendit primo et per se ut in suum terminum, idemque esse ac *finem operis* (M. 98).

2^o Objectum actus hic non materialiter accipi, sed *moraliter*, i. e. cum relatione quam habet ad morum regulam. V. gr. morale objectum eleemosynæ est indigentis levamen, quatenus hoc ordini consentaneum est. Hinc objecta sunt moraliter specie diversa, atque humanis actionibus bonitatem vel malitiam specie diversam tribuunt, prouti cum speciali aliquo ordine conformitatem vel diffinitatem dicunt. Hinc est quod actus qui virtutibus specie diversis, vel eidem virtuti diversa ratione opponuntur, sunt moraliter specie diversi.

5^o Demum nota objectum morale hic esse considerandum secundum quod agentis cognitioni subest.

441. Prob. propositio ex eo quod actus omnes suam in esse physico speciem desumunt ex objecto, quemadmodum motus omnis a termino in quem tendit. Ergo etiam in ordine morali actus ab objecto suam speciem desumat necesse est.

Bonitas autem vel malitia quam actus ex objecto contrahit, est illi essentialis : id enim quod genus ad speciem determinat, essenziale rei est. Objectum autem actus speciem actui confert in ordine morali. Ergo.

Propositio II

442. *Humani actus ab adjunctis quoque moralitatem accipiunt.*

Nam 4^o quemadmodum physica entis perfectio non tantum ex iis quæ ad ejus essentiam pertinent, dependet, sed etiam a pluribus accidentibus quæ sunt præter essentiam, ut v. gr. in homine a membrorum integritate, a robore, a colore, ab ingenii acumine, atque ab aliis hujusmodi, quorum si unum aut alterum desit, ens imperfectum efficitur; ita quoque moralis humanorum actuum perfectio et imperfectio, non modo ex eo quod speciem illis confert, sed etiam ex adjunctis quæ tanquam accidentia essentialia eorum bonitati vel malitiæ superadduntur, repetenda est.

Sane 2^o quemadmodum actus objectum, ita etiam adjuncta majorem vel minorem cum ordinis regula convenientiam vel repugnantiam habere possunt. Atque hinc est, quod inter actus qui idem objectum habent, alii sunt alii meliores, alii aliis pejores.

443. Adjuncta porro quandoque novam tribuunt actui bonitatis vel malitiæ speciem, quandoque non, sed solum intra eandem speciem bonitatis vel malitiæ gradus augent minuuntve. Novam tribuunt speciem quum addunt actui conformitatem vel difformitatem ad aliquem specialem ordinem, distinctum ab eo ad quem actus refertur spectato objecto. V. gr. si quis in loco sacro furetur, ejus furtum ex objecto est solum actus contra justitiam; at ex ejusmodi adjuncto est etiam actus contra religionem. E contrario si

qui alteri stipem confert, sit et ipse pauper, ex hoc adjuncto solummodo augetur honestas actus.

Propositio III

144. *Nominatim ex fine operantis humanorum actuum moralitas æstimanda est.*

Sane finis operantis, quamvis ab operationis externæ objecto possit esse diversus, et ad hujusmodi operationem se habere ut accidens; nihilominus si consideretur actus voluntatis quo actio externa imperatur, proprium hujus actus objectum est finis a voluntate intentus. Igitur actus voluntatis a fine speciem accipit, ac per actum voluntatis etiam actus externus.

145. Ex his hæc inferre pronum est. 1° Bonitas vel malitia quam finis actui tribuit, quandoque specie differt ab ea quam actus habet ex objecto, ut si quis furetur ad homicidium perpetrandum; quandoque non, ut si quis furetur solum ex rei alienæ possidendæ desiderio.

2° Quandoque finis impedit honestatem quam actus habet ex objecto. Sit exemplo qui indigenti fert opem, ut eum ad scelus perpetrandum adiutorem habeat.

3° Quandoque finis primam et essentialem moralitatis speciem actui tribuit, quum videlicet actus ratione objecti nec bonus est nec malus. Sic qui ambulat sanitatis gratia, recte agit; qui ambulat ad alterum interficiendum, male agit, licet ambulatio sit actio moraliter indifferens.

Propositio IV

146. *Plures actus partim sunt moraliter boni, partim mali.*

Etenim adjunctorum atque adeo finis malitia potest tum ipsum actum intrinsecus afficere, tum ipsum solummodo comitari. Si priori modo adjuncta prava se habeant ad actum, profecto omnem bonitatem quam hic ex objecto haberet, destruunt, ita ut nulla ratione dici bonus possit. Atque huc facit illud: *bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.*

At si adjuncta prava posteriori modo actui ex se bono

admisceantur, ejus substantiam non afficiunt, ac proinde cum intrinsecus non depravant, sed se habent ad modum actus pravi distincti ab actu bono ipsumque comitantis. Atque hoc pacto habetur actus partim bonus, partim malus.

Sic actus ejus qui ideo fert opem indigenti, ut ambitioni vel gloriæ deserviat, est omnino pravius; actus autem ejus qui fert indigenti opem sublevandæ miseræ causa, tamen cum quodam ad gloriam affectu, partim bonus est, partim malus.

ARTICULUS IV. DE MORALITATIS EXTENSIONE

447. Quæstio de moralitatis extensione in binas resolvitur. Quærendum scilicet 1° an sint aliqui actus secundum essentiam nec boni nec mali, sed, ut aiunt, indifferentes; an sint aliqui actus indifferentes in individuo, i. e. attentis etiam adjunctis ac præsertim fine operantis.

Propositio I

448. *Evidens est esse plures actus secundum speciem indifferentes.*

Actus enim humani essentialem suam speciem moralem desumunt ex objecto, secundum quod hoc ordini convenit aut repugnat, ut modo dictum est (440, 441). Atqui plurimum actuum objecta nullam sive convenientiam sive repugnantiam cum ordine præ se ferunt; ut v. gr. ambulare, loqui, scribere, ludere, aliaque hujusmodi. Ergo.

Propositio II

449. *Actus humanus, attentis adjunctis, ac præsertim fine operantis, indifferens esse nequit.*

Nam ii ipsi actus qui sunt ex objecto indifferentes, spectatis adjunctis ac fine, vel boni vel mali sunt.

Sane homo deliberate agens, semper propter aliquem finem agit (7). Ordo autem exigit ut semper agat propter finem honestum.

Ergo aut agit homo propter finem honestum, aut secus.

Si primum, actio erit ordini conformis et honesta: si alterum, actio erit ab ordine difformis, ac proinde inhonesta.

450. Dixi ordinem exigere, ut homo semper agat propter finem honestum. Nam finis est bonum. Bonum autem vel est bonum secundum rationem, quod dicimus bonum honestum, vel bonum secundum sensum h. e. sensilis delectatio. Atqui ordo vetat ne agamus propter bonum sensus.

Etenim a) sensilis delectatio suapte natura et juxta Creatoris institutum rationem medii habet ad bonum honestum. Delectatio enim indita est actionibus quibusdam naturæ convenientibus, ut hoc lenimento agens alacrius operaretur. Qui ergo operatur propter delectationem, operationem delectationi, finem scilicet medio subordinat, ac propterea contra ordinem natura constitutum agit.

b) Si bonum sensus quandoque rationem finis habere posset, posset quandoque sensilis voluptas esse regula humanorum actuum: horum proinde suprema regula ratio amplius non esset.

c) Si in omnibus minimis propter sensilem delectationem agere liceret, totam fere vitam suam homines ad delectationem hanc licite ordinarent: major enim vitæ nostræ pars hisce minimis actibus continetur. Quo pacto autem homo sic dispositus posset in majoribus voluptatem spernere et ad honestum bonum se convertere?

Nequit igitur homo agere propter bonum sensus: proindeque propter bonum honestum agere tenetur.

451. Nota 1^o non esse vetitum sensilem delectationem quibusdam operationibus a natura inditam percipere; at solummodo non licere ut eam delectationem tanquam operationis finem intendamus.

Nota 2^o omnes actus deliberatos et ex se indifferentes ad finem honestum referendos esse, sed non semper explicitè, at sive explicitè, sive virtualiter, sive etiam interpretative (45). Referuntur autem interpretative ad finem honestum, quum actus hujusmodi cum quadam moderatione exercentur. Hæc enim moderatio indicio est, quæ ad naturæ levamen rectamque animi corporisque habitudinem conferunt, secundum rectæ rationis dictamen assumi. Atque hoc pacto fit etiam satis obligationi naturali dirigendi humanos actus ad Deum, tanquam ad ultimum finem.

Ex his principiis, quæ objici solent, commode solves.

ARTICULUS V. DE MORALITATIS COGNITIONE

452. Quæstio de moralitatis cognitione non in alium finem proponitur, nisi ut binæ erroneæ opiniones de sensus, ut aiunt, moralis origine excludantur. Est autem sensus moralis illa facultas, qua, perspectis liberis hominum actibus, statim erumpit in nobis iudicium de eorum bonitate vel malitia. Materialistæ quidam opinati sunt hunc moralem sensum ad sensitivam facultatem pertinere, atque in peculiari quodam organo situm esse, cujus nervi a moralitate commoverentur, ad eum modum quo oculus lumine, atque aures sono vellicantur. Hutchesonius vero aliique ex ea secta scriptores existimarunt, sensum moralem esse facultatem omnino spiritalem, sed a ratione prorsus diversam, quæ a moralitate afficeretur ut sensus a corporeis qualitatibus, et ex cæco quodam instinctu moralia iudicia promeret.

Videndum itaque 4° an moralitas cognoscatur per sensum corporeum; 2° an per sensum spiritalem; 3° an per intellectum.

Propositio I

455. *Perabsurdum est moralitatem sensu corporeo percipi.*

Nam 4° sensus corporeus nihil percipere potest, nisi corporea quapiam qualitate organum percipitur. Actionum vero nostrarum moralitatem qualitatem corpoream esse nemo dicere potest, nisi qui prorsus ignoret quid illa sit. Enimvero moralitas sita est in relatione actus cum morum regula; quæ quidem regula abstractum quiddam est atque universale. Atqui nec relatio ulla, nec abstracta illa morum regula cum qualitate corporea quiddam commune habent. Ergo.

2° His adde moralitatem non in externis actibus qui sub sensu cadunt, sed in internis qui nullatenus sensu percipiuntur, primo ac per se residere (125). Id quod adeo verum est, ut physica externi actus entitate eadem manente, pro vario fine quem agens intendit, idem actus ex indifferenti bonus vel malus, et ex bono malus effici possit.

Propositio II

154. *Admitti nequit ad moralia judicia explicanda, sensus spiritalis a ratione distinctus.*

Judicium enim sine perceptione identitatis aliquarum idearum vel discrepantiæ, sponte poni nequit, ut in *Meta-physica* probatum est (M. 412). Ergo admitti non potest judicia moralia ex cæco quodam instinctu, sine ulla hujusmodi perceptione, naturaliter promi.

155. Nec vero hypothesis hæc suaderi utcumque potest ex ea facilitate ac celeritate, qua judicia moralia ex hominum etiam rudiorum animis erumpunt. Hæc enim facilitas non ad omnia judicia moralia se porrigit, sed ad ea solum quæ prima sunt, et quæ a primis facili deductione derivantur: de iis enim quæ remotiora sunt, neque doctiores facile semper pronuntiare possunt. Jamvero prima illa judicia per se evidentiâ cuique esse debent, terminis intellectis; quæ vero ex iis facile derivantur, facile fieri evidentiâ possunt, accedente præsertim usu perpetuo. Præterea de pluribus ad moralitatem pertinentibus rudiores judicant ex auctoritate vel exemplo vel ex aliquo principio reflexo, quod nodum non solvit sed resecat.

Propositio III

156. *Facultas quæ moralitatem percipit, est intellectus.*

Moralitas enim consistit in relatione conformitatis vel difformitatis cum ordine qui ex essentialibus hominis relationibus exurgit (125, 154). Atqui relationes, ordinem, essentias cognoscere, proprium intellectus est munus. Nihil enim aliud est intellectus, quam facultas qua ista percipimus.

Habitus porro naturalis, seu aptitudo qua intellectus naturaliter fertur ad prima moralitatis principia percipienda ac judicio probanda, vocatur *synderesis*.

CAPUT IV

DE LEGE NATURALI

457. Nunc de lege naturali quæ supremam nobis morum normam proponit. Norma suprema humanarum actionum duplex est; alia princeps et remota, quæ *præcipit* quid agendum sit; alia secundaria et proxima, quæ universalialia prioris præcepta *applicat*. Prior dicitur *lex naturalis* seu *jus naturæ*, altera *conscientia moralis*. Norma autem præcipiens dupliciter considerari potest: primo *materialiter*, atque hoc pacto est norma *discriminans* actiones honestas a pravis; secundo *formaliter*, videlicet ut est norma *imperans* atque obligationem moralem inducens. Legem porro naturalem, secundum quod est norma discriminans, jam consideravimus (154, seq.): superest igitur ut eam consideremus prouti est norma imperans. In hunc finem quæstiones sex proponemus. Quæremus 1^o de legis naturalis existentia; 2^o de ejus proprietatibus; 3^o de ejus sanctione; 4^o de obligatione quam producit; 5^o de primo ejus principio; 6^o de conscientia.

ARTICULUS I. DE LEGIS NATURALIS EXSISTENTIA

458. Legis nomine, ut S. Thomas docet, generatim intelligimus *regulam quamdam seu mensuram actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*. Sunt autem et leges *physicæ*, et leges *artis*, et leges *morum*: leges porro morum normas actuum humanorum, qua talium, præcipiunt. Atque hæ proprie leges dicuntur.

Lex morum spectari potest tripliciter: 1^o in ipso legislatore; 2^o in subditis cui imponitur; 3^o in signo quo his intimatur.

Primo modo spectata lex sita est in quibusdam actibus intellectus et voluntatis ipsius legislatoris; secundo modo

in iudicio, quo subditi ratio legem voluntati proponit tertio modo in aliquo actu externo quo legislator mentem suam manifestat, ut est sermo vel scriptum.

159. Lex ut est in legislatore, definiri solet cum eodem S. Thoma : *ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.*

Promulgatio, quæ ad legis complementum pertinet, est propositio externa legis, quæ sufficiat ad hoc ut lex ab omnibus subditis cognosci possit. Et necessario requiritur, ut lex suum effectum obtineat. Si enim lex a subditis non cognoscatur, nec ad eos dirigendos nec ad eos obligandos esse potest idonea.

Propositio I

160. *Est in Deo lex directrix actuum rationalis creaturæ, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.*

Lex æterna juxta S. Thomam est : *ratio divinæ sapientiæ secundum quod est directiva omnium actuum et motionum.* In qua latissima acceptione, lex æterna complectitur omnia quæcumque divinæ gubernationi subjiciuntur. Propriè tamen divinæ gubernationis ratio dicitur lex, quatenus humanis actionibus regulam ponit. Atque hoc pacto accepta lex æterna, a S. Augustino definitur : *ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.*

Est autem ordo naturalis ille a quo intrinseca actuum humanorum moralitas dependet, ut dictum est in præcedenti capite (154, seq.)

161. Probatur 4^a propositionis pars.

Sicut certum est Deum de omnibus, ac præsertim de rationalibus creaturis providentiam habere, ita indubitatum est omnes, atque in primis rationales creaturas, ad actus earum fini ac perfectioni congruos ab eo dirigi ac moveri.

Res autem irrationales naturali necessitate ad hosce actus inducuntur. Sed actus humanæ voluntatis, qui sunt actus proprii humanæ naturæ, naturali necessitate dirigi ad actus homini convenientes non poterant, nisi libertate sublata. His autem potissimum actibus homo et semetipsum perfi-

ceret et suum finem assequeretur oportebat (54). Itaque in his potissimum actibus dirigi debuit. Non autem physica necessitate : ergo ea necessitate quæ cum libertate consistere posset. Hæc autem necessitas nulla alia est, nisi obligatio quæ per legem inducitur. Ergo.

162. Prob. 2^a pars.

1^o Lex qua Deus hominem ad suum finem dirigit, ejusmodi agendi modum illi præcipere dicenda est, qui humanæ naturæ conveniens et accommodatus sit. Jamvero modus agendi humanæ naturæ unice conveniens est, ut voluntas rectæ rationis ductum in omnibus sequatur : ratio enim in hunc finem homini data est, ut voluntatis electiones dirigeret ac moderaretur.

Atqui ratio ordinem naturalem in actibus humanis servari vehementer approbat, perverti improbat (158, 2^o). Ergo lex qua Deus hominem ad suum finem dirigit, ordinem naturalem servari præcipit, perverti vetat.

2^o Deus indifferenter habere se nequit ad hoc, ut homo qui ad ordinem naturalem servandum vel secus, libertate gaudet indifferentiæ, hunc ordinem servet agendo vel perturbet. Fieri prorsus nequit, ut Deo non placeat ordinem servari, nec eum perturbari displiceat. Cum enim ordinatissima sit Dei voluntas, non potest non velle ut omnia quæ ejus regimini subsunt, sint ordinatissima. Ergo Deus, prout hominum est gubernator, velit necesse est ut omnes humani actus secundum ordinem exigantur. Hoc autem, quia agitur de actibus liberis, velle nequit voluntate physice cogente. Superest ergo ut il velit voluntate moraliter cogente, i. e. obligante per legem.

165. Nota 1^o hanc legem esse ac merito dici *æternam*. Nam actus omnes divini intellectus et voluntatis æterni sunt. Promulgatio vero legis hujus, quanquam quod attinet ad subditos, non est ab æterno facta, ex parte tamen Dei æterna est : ab æterno enim facta est pro suo tempore. Decreta namque Dei æterna et immutabilia sunt.

Nota 2^o legem hanc æternam *necessariam* esse *necessitate suppositionis*, supposito nempe libero creationis decreto. Si enim Deus hominem creare voluit in eo statu, in quo ejus voluntas ad bonum et ad malum libera esset, non poterat illi non præcipere bonum, non prohibere malum, ut ex dictis liquet.

5° Ex his omnibus colliges, quam insipienter Thomasius pronuntiaverit, legem æternam esse scholasticorum figmentum.

Propositio II

164. *Lex æterna homini indicitur per naturale rationis lumen.*

Nam 4° lex æterna hominem non dirigit physica motione, sed ei proponitur tanquam regula cui se voluntas in suis liberis electionibus conformet. Hæc autem regula voluntati proponi non poterat nisi per rationem. Ratio enim est quæ de agendis judicat, ac voluntati eligenda proponit. Igitur lex æterna immediate rationi proponi debuit, quæ dein et ejus præcepta et obligationem quam illa inducunt, voluntati intimaret.

2° Idipsum ostendit et conscientia et experientia. Unusquisque enim sentit, judicia illa practica quæ de actionum honestate vel pravitate juxta ordinis normam decernunt, et sponte e ratione erumpere, et quamdam voluntati vim inferre, et tanta auctoritate præfulgere, ut vere divina esse imperia se probent. Quibus si homo non obsequatur, etiamsi scelus internum sit vel omnibus occultum, nihilominus sentit se eadem rationis voce eademque cum auctoritate, tanquam e judiciali quadam sede, aceusari, reargui, damnari, judiciumque istud vindictam sceleris illius subscqui, pudorem nempe, terrorem, animi amaritiam, ac pœnæ sibi infligendæ certam præsentionem.

Hæc eadem ex reliquorum hominum testimonio et ex constanti eorum agendi modo omnibus esse communia intelligimus. Concludendum ergo, practica rationis judicia quæ de actionum humanarum honestate vel pravitate decernunt, esse manifestationes æternæ legis, quam supremus ipse legislator rationis voce nobis indicit.

5° Atque hinc fit, ut nemo ex iis qui ratione utuntur, non existimet id quod rationis dictamina præcipiunt, placere Deo ab eoque esse præceptum; id vero quod illa ventant, Deo displicere ab eoque esse vetitum.

165. Ad legis naturalis essentiam intelligendam, hæc sedulo animadvertenda sunt.

1^o Lex quæ in Deo legislatore existens dicitur lex æterna, appellatur *lex naturalis* prout est in homine cui imponitur. Præinde (158) *lex naturalis* est ipsum iudicium rationis quo bonum a malo discernimus, nosque ipsos monemus, bonum faciendum esse malumque vitandum.

2^o Moralia rationis dictamina legis rationem habent, quatenus ad Deum præcipientem aut vetantem referuntur. Hinc ratio dici nequit vere ac proprie legislatrix, sed se habet solum ut præco, qui superioris potestatis legem promulgat, vel ut codex in quo lex descripta est.

5^o Naturalis lex merito a S. Thoma definitur: *participatio legis æternæ in rationali creatura*. Ratio enim nostra participatio quædam est rationis æternæ.

ARTICULUS II. DE LEGIS NATURALIS PROPRIETATIBUS

Legis naturalis proprietates præcipuæ sunt immutabilitas et perspicuitas.

Propositio I

166. *Lex naturalis est absolute immutabilis.*

Propria legis mutatio fieri potest dupliciter: 1^o *ab intrinseco*, quum nempe lex quæ rationabilis erat et ad commune bonum utilis, mutatis adjunctis, fit irrationabilis vel noxia; 2^o *ab extrinseco* per superiorem potestatem quæ boni communis curam habet. Fit autem hæc mutatio *per abrogationem*, quando lex totaliter ac simpliciter aufertur, vel *per derogationem*, quum aliqua pars de lege detrahitur; vel *per dispensationem*, quum manente lege, aliqua persona particularis ab ejus obligatione eximitur.

167. Jam lex naturalis mutari nequit *ab intrinseco*. Hac enim lege præcipiuntur quæ ex essentialibus hominis relationibus necessario dimanant, vetantur quæ iisdem essentialibus relationibus sunt omnino opposita. Atqui essentielles hominis relationes immutabiles sunt, ut rerum essentialium (159, 5^o). Ergo.

168. Mutari quoque nequit lex naturalis *ab extrinseco*; nempe auctoritate supremi legislatoris Dei.

Honestas enim actionum quas lex naturalis præcipit, et

inhonestas actionum quas vetat, sunt intrinsece ac metaphysice necessariæ (159, 2^o); ac proinde insunt actionibus independenter a divina voluntate. Idcirco supra diximus (165, 2^o) Deum necessario præcepisse quæ sunt juxta naturalem ordinem, ac necessario prohibuisse quæ huic ordini adversantur. Atqui in iis quæ metaphysice necessaria sunt, exceptionem ullam fieri repugnat (L. 180, 2^o). Repugnat ergo esse aliquando conveniens naturæ et ordini non oppositum, quod vi naturalis legis est naturæ repugnans et inordinatum. Igitur si Deus aliquando probaret quod lex naturalis vetat, probaret aliquid quod inhonestum est et irrationabile; id quod omnino absurdum est.

169. Objicies 1^o quædam esse præcepta, quæ quandoque obligant, quandoque non; mutatis enim adjunctis, id quod præcipiunt, irrationabile foret ac noxium. Hujusmodi est v. gr. præceptum illud: *non occides*. Hoc igitur præceptum, aliaque cum eo, ab intrinseco mutabilia sunt.

Resp. Hoc quod dicitur, contingit solum in iis præceptis quæ sub breviori formula terminis absolutis et illimitatis enuntiantur; quæ tamen cum aliqua limitatione semper intelligenda sunt, qua ad certam materiam coarctentur. Hæc igitur præcepta circa particularem materiam versantur, quæ si mutetur, non cessat præceptum, sed cessat esse id quod legis materia est. Sic præceptum illud: *non occides*, intelligendum est cum his conditionibus: *sine justa causa et sine legitima auctoritate*: quæ duo quum adsint, actio circa talem materiam sub hoc præcepto non continetur.

170. Oppones 2^o intolerandum dictu videri, Deum non posse dispensare quemquam v. gr. a præcepto quo res alienas in nostrum usum convertere prohibemur, cum ipse sit rerum omnium supremus dominus.

Respondeo hoc ipsum quod postremo loco dicitur, difficultatem diluere. Deus enim, cum sit supremus rerum omnium ac verus dominus, profecto dominium earum rerum quas Caius ab eo accepit, ad Titium transferre potest. Quod si faciat, non sane dispensat ut legislator; non enim potestatem facit Titio ut jus alienum irrationabiliter invadat, sed ut supremus dominus, jus disponendi de quibusdam rebus ab uno in alium transfert. Igitur etiam in hoc casu non mulat legem, sed legis materiam tollit.

Propositio II

171. *Generaliora legis naturalis præcepta unicuique qui rationis usum expeditum habeat, sunt plane evidèntia.*

Legis naturalis præcepta tres in classes distribuenda sunt. Prior complectitur prima illa principia quæ sine deductione ulla, intellectis terminis, cuique se vera probant, ut illa : *Ordo naturalis servandus ; Bonum faciendum, malum vitandum.* Altera eas continet conclusiones quæ ex primis principiis facili et in promptu posita deductione inferuntur, ut : *Deum cole ; Honora parentes ; Dilige proximum tuum sicut teipsum,* et similia. Ad tertiam pertinent remotiores omnes magisque particulares conclusiones, quæ ex priorum classium præceptis difficili ac proluxa ratiocinatione eruenda sunt.

Generaliora porro legis naturalis præcepta vocamus, quæ ad primam alteramque classem revocantur.

172. Hæc igitur sunt omnibus qui ratione utuntur, evidèntia.

Nam 1^o Lex naturalis est medium a Deo intentum quo homines adducat ad perfectionem eis convenientem, et ad finem humanæ naturæ præstitutum (161). Atqui lex naturalis medium ad hoc idoneum esse nequit, nisi a singulis hominibus cognoscatur (164, 4^o). Ergo ad Dei sapientiam ac bonitatem pertinebat, ut eam omnium hominum captui accommodatam omnibusque manifestam faceret.

2^o Ipsa præceptorum, de quibus loquimur, consideratio, quod affirmamus palam facit. Ea namque præcepta ex primis ideis quas humana ratio naturaliter adipiscitur, sponte efflorescunt. Si Deus omnibus excellit, sane reverentia atque honore prosequendus est. Si parentes nobis vitam communicarunt, profecto gratia ipsis referenda. Si omnes homines sunt natura æquales, quo jure alios nobiscum agere volumus, eodem nos cum illis agere debemus. Ita dic de reliquis, quæ præcipuis hominis relationibus cognitæ, ex ordinis notione facillime deducuntur. Vide dicta superius (154, seq.) et in Psychologia (M. 584, b).

173. Ex his deduces 4^o generatim hæc præcepta a nemine qui rationis usum sit assecutus, ignorari invincibiliter posse.

2° Præcepta tertii ordinis, ad quæ cognoscenda difficilius et implexa ratiocinatio requiritur, a plerisque posse invincibiliter ignorari. Plures enim sunt ad subtiliores inquisitiones inepti, nec omnes a sapientibus difficiliora hæc addiscere possunt. Sunt imo quædam remotissimæ conclusiones morales, in quibus illi ipsi qui magno præstant ingenio, ancipites hærent, nec facile vident quam opinionem amplecti debeant. Unde mirum non est si in diversas non raro sententias abeant.

174. Opponitur. 1° Inter ipsos rei moralis doctores non paucæ agitantur controversiæ circa illa ipsa præcepta quæ facili deductione cognosci posse diximus: disputant enim an liceat v. gr. mentiri ad liberandum innocentem, aut se inebriare ad recuperandam valetudinem.

2° Circa quædam ex hujusmodi præceptis nonnulli populi vehementer errarunt. Sic Germani putabant furtum licitum esse.

175. Resp. ad 4. *Dist.* Hæ controversiæ agitantur circa illa præcepta in se et universim considerata, *nego*; circa particulares quasdam eorum applicationes, quæ ad remotiores legis naturalis præcepta pertinent, *conc.*

Ut vides ex allatis exemplis, disputatio nulla fit de præceptis illis universim consideratis, sed tota controversia oritur ex accessione quorundam adjunctorum quæ materiam legis mutare videntur (169). Cujus dubii solutio subtiliorem postulat inquisitionem, proindeque præcepta illa quum circa ejusmodi materiam versantur, ad tertiam naturalium præceptorum classem revocantur.

Ad 2. Dicendum hos errores non ex legis naturalis obscuritate dimanasse, sed ex prava voluntatis inclinatione et ex recepto præjudicio. Quod autem attinet ad allatum exemplum, non incongrue responderi potest, furtum a Germanis permissum, hoc ipso quod omnium civium consensu permittebatur, naturali legi non repugnasse. Furtum enim quod naturali lege inhibetur, est ablatio rei alienæ domino rationabiliter invito.

ARTICULUS III. DE LEGIS NATURALIS SANCTIONE

176. Sanctio est *determinatio præmii quo remunerandi sunt qui legem custodiunt, ac potissimum pœnæ qua puniendi sunt qui legem transgrediuntur.*

Sanctio requiritur saltem ad hoc ut legislator palam faciat, se quoad legis executionem minime indifferenter esse, utque subditos ad legis custodiam efficaciter impellat.

Est autem sanctio *perfecta*, si meritum vel demeritum adæquet, et ad homines in officio continendos, quantum oportet, idonea sit. Secus sanctio est *imperfecta*.

Propositio I

177. *Deus naturalem legem perfecta sanctione communit.*

Nam 1^o Deus necessario amat eos qui ordinem naturalem custodiunt legique a se latæ fideliter obtemperant, eos vero qui naturalem ordinem pervertunt divinamque legem contemnunt, odio habet. Nequit autem Deus amare quemquam aut odio habere, quin amorem suum vel odium per aliquos effectus exerceat. Dei enim amor in hoc situs est, quod alteri bonum faciat, et Dei odium in hoc quod alteri malum inferat. Ergo Deus legem naturalem servantibus bona rependit, transgredientibus mala infligit.

2^o Divina providentia exigit, ut ad ordinis a se constituti executionem res singulas valido moveat impulsu earumque nature convenienti. Homo autem ad agendum non movetur, nisi amore boni ac timore mali. Movendus ergo erat homo ad ordinis a Deo præscripti custodiam per præmia ac supplicia ipsi proposita.

3^o Ad Dei providentiam illud quoque pertinebat, ut naturalis legis servandæ onus cum naturali felicitatis appetitu componeret. Si enim ordo moralis servatus hominis felicitatem non promoveret, binæ hominis naturales tendentiæ hinc ad honestatem, inde ad felicitatem, non essent inter se harmonice connexæ, sed potius altera alteram oppugnaret. Nam ad honestatis legem servandam multæ

molestiæ tolerandæ sunt, multis hujus vitæ bonis renuntiandum est, nec raro gravissima mala subeunda sunt. Ergo Deus legem naturalem servantibus præmia idonea parare debuit.

Ex altera parte, pertinet quoque ad Dei providentiam, ut omnem inordinationem ad ordinem reducat. Legis autem divinæ transgressio magna est inordinatio: homo enim contra essentialem ordinem agens, divinæ voluntati voluntatem suam præfert. Atqui inordinatio hæc ad ordinem reduci nequit nisi per pœnam. Pœna enim, dum hominem ex legislatoris voluntate contra voluntatem suam aliquid pati cogit, eum ad suum gradum repellit. Ergo Deus legem naturalem violentibus, pœnas inordinationi proportionatas infligere debet.

Propositio II

178. *Naturæ legi in hac ipsa vita sua sanctio est apposita, licet imperfecta.*

Etenim 1^o non decebat Dei providentiam, ut homo in hoc virtutis agone positus, futuræ solum retributionis spe ac pœnæ futuræ timore, ad virtutem incitaretur, nullo autem præsentis solamine leniretur, nulla præsentis pœna a scelere averteretur. Cum enim virtus humanis cupiditatibus contraria sit atque ex hoc plures habeat conjunctas difficultates, nimium gravis esset hominis conditio, si ad virtutem colendam adversus felicitatis desiderium semper luctari deberet, eique nullo modo, ne imperfecto quidem, satisfacere posset. Ergo.

2^o Experientia perpetua docet plura bona esse cum virtute providissime sociata, pluraque mala e vitio sponte consequi.

a) Quædam bona virtuti, quædam mala vitio sunt adjecta *essentialiter*. Virtus enim natura sua magnam animo satisfactionem ex interna recte factorum approbatione, magnam lætitiâ, ac perpetuam tranquillitatem affert; animi facultates ad domesticæ ac civilis vitæ munia aptas conservat, atque in dies perficit; Deoque mentem suavissime conjungit. Vitium vero animum amaritie replet, angit atque perturbat; ejus facultates hebetat vitiatque; mentemque a Deo violenter avertit ac separatam tenet.

b) Quædam bona cum virtute, quædam mala cum vitio *naturaliter* sociantur, ex ipsa videlicet humani compositi constitutione. Virtus profecto ex se corporis vires confirmat, bonam valetudinem conservat, a pluribus doloribus ac morbis liberat, vitam diuturniorem facit. E contrario vitium vires infringit, valetudini inimicum est, innumeros dolores ac morbos procreat, mortem accelerat.

c) Quædam bona cum virtute, quædam mala cum vitio *moraliter* conjuncta sunt. Nam virtus æstimationem, amorem, fiduciam, auctoritatem apud homines conciliat; vitium vero contemptum, odium, diffidentiam, infamiam.

His adde societatis humanæ felicitatem virtute potissimum comparari, vitiis vero civium extremam illi perniciem inferri. Est enim et ratione et experientia omnino manifestum, eas maxime societates florescere, apud quas religio, temperantia, veracitas, fides, justitia, benevolentia vigent; easque malis omnibus affligi et ad dissolutionem vergere, in quibus impietas, effrenis libido, ambitio, fraus, perfidia, inertia impune grassantur.

479. Obj. 1^o Vitia quoque flagitiaque maxima suam habent voluptatem; injustitia persæpe magnopere utilis est; virtus autem plurimis molestiis et calamitatibus est obnoxia.

2^o Mali ac boni hujus vitæ malis æque divexantur.

180. Resp. ad 4. *Dist. 1 partem.* Vitia suam habent voluptatem pluribus malis admixtam, *conc.* puram voluptatem, *nego.*

Dist. 2 p. Injustitia persæpe est utilis, ratione sui, *nego*; per accidens, *subd.* ut supra.

Dist. 5 p. Virtus pluribus malis obnoxia est, natura sua, *nego*, per accidens, *subd.* et simul secum affert plura bona ab ipsa inseparabilia, *conc.* secus, *nego.*

Præsentis vitæ sanctio in eo est, quod ex virtute bona plurima et ex vitio plurima mala *ex se* consequantur. Cum virtute autem nullum malum conjunctum est ex ipsius virtutis natura, sed solum vi adjunctorum et difficultatum quæ a cupiditatibus vel ab improbis hominibus ipsi obijciuntur. Ex bonis vero quæ ex virtute proveniunt, illa solum possunt sive a naturalibus causis sive ab hominibus impediri, quæ naturaliter aut moraliter (478, 2^o) cum virtute connexa sunt: quæ enim essentialiter virtutem comitantur, ab ea sunt inseparabilia.

481. Ad 2. *Dist.* Boni ac mali hujus vitæ malis æque sunt obnoxii, i. e. malis quæ essentialiter sunt cum vitio connexa, *nego*; malis naturaliter aut moraliter cum eo conjunctis, *subd.* ex se, *nego*; per accidens, iterum *subd.* ita ut boni hæc mala et facilius vitent et minus persentiant quam mali, et æquiori animo tolerant, *conc.* secus, *nego*.

Bona et mala hujus vitæ quæ naturaliter sunt cum virtute vitiove connexa, non sunt cum iis *solum* connexa, sed etiam cum aliis causis: itemque mala quæ moraliter seu virtutem seu vitium consequuntur, ab hominibus dependent. Hæc autem causæ omnes cum suis effectibus subduntur divinæ providentiæ, non ut est legislatrix, sed ut est singulorum curatrix, et unicuique de bonis ac malis præsentibus ea submittit, quæ ad ultimum finem assequendum eum juvare possunt. Vide quæ hac de re dicta sunt in *Metaphysica* (M. 625, seq.).

482. Hæc omnia id unum ostendunt, sanctionem huic vitæ attributam, perfectam sufficientemque non esse; id quod non modo concedimus, sed etiam contendimus. Non enim hæc sanctio ejusmodi est, ut hominem in quibusvis adjunctis constitutum, ad legis naturalis custodiam valide impellere possit. Nam bona quæ cum virtute copulantur, nec desiderium felicitatis adæquant, nec ab hujus vitæ molestiis ac doloribus nos omnino liberant, nec præponderant iis malis quæ quandoque ad honestatis legem sancte servandam subeunda sunt. Mala quoque quæ vitium consequuntur, nec superant emolumenta quæ summa scelera non raro afferunt, nec majora sunt iis malis quæ ob virtutis cultum aliquando sunt toleranda. Igitur sanctio qua naturalem legem in hac vita Deus communivit, perfecta illa sanctio non est quam divina providentia requirit.

Propositio III

483. *Perfecta naturalis legis sanctio ad futuram vitam pertinet; atque in ultimi finis assecutione vel amissione sita est.*

Prob. 4^a pars.

4^o Repugnat prorsus Deum legi a se latæ imperfectam tantummodo sanctionem adjecisse, et ad homines in officio

continendos non satis idoneam. Atqui si tota legis naturalis sanctio hujus vitæ finibus contineretur, ea esset imperfecta et insufficiens. Ergo legis naturalis sanctio in futuram vitam protrahitur, in eaque perfecta erit.

2º Secus frequenter dici cum veritate posset virtutem suis cultoribus in damnum, vitium vero ac turpissima flagitia scelestis hominibus in utilitatem, pensatis omnibus, cessisse. Hoc autem divinam providentiam penitus auferret.

184. Prob. 2ª pars.

1º Divinæ providentiæ munus est, ut hominem ad suum finem ordinet. Lex autem a Deo hominibus lata, est ratio divinæ providentiæ hominem gubernantis (160). Ergo maxime per legem a Deo latam homo ad finem suum ordinatur. Lex autem hominem ad finem ordinat, non cogendo sed dirigendo. Ergo si homo viam a lege divina designatam terat, si impulsui a Deo legislatore accepto obsequatur, ad finem perveniet; at si contrariam viam ineat, si impulsui divino resistat, ad finem pervenire non poterit.

2º Hæc una sanctio vere efficax, et ad homines ad virtutem incitandos atque a scelere retrahendos, in quibusvis adjunctis sufficiens esse poterat. Nam homo perfectam felicitatem necessario desiderat. Si igitur virtutis cultum cum felicitate perfecta necessario connexum videat, videbit quoque virtutem omnibus caducis bonis esse præferendam, ac nullum esse hujus vitæ bonum quod præ virtute despiciendum non sit, nullumque malum quod amore virtutis non sit tolerandum. Quod si noverit virtutem ad perfectam felicitatem medium non esse, jam plurima bona se illi præferre posse existimabit.

ARTICULUS IV. DE LEGIS NATURALIS OBLIGATIONE

185. Obligationis nomen est a *ligando*: est enim obligatio quasi quoddam vinculum libero hominis arbitrio injectum. Hoc autem vinculum non est coactio, ut patet; est ergo quædam agendi necessitas, quæ exprimitur ea voce: *debeo*, vel iis absolutis formulis: *hoc faciendum*; *ab hoc abstinendum*.

Necessitas autem agendi vel *subjectiva* est vel *objectiva*. Subjectiva inhæret immediato actionis principio: objectiva

vero in rationis manet cognitione, liberumque arbitrium non movet ut causa physica, sed duntaxat ad modum causæ moralis. Obligatio autem moralis nequit esse necessitas subjectiva. Est igitur aliqua agendi necessitas ratione cognita.

486. At non quæcumque agendi necessitas quam ratio cognoscat, moralem obligationem constituit.

Ratio enim duplicem agendi necessitatem cognoscere potest: aliam *hypotheticam*, aliam *absolutam*. Hypothetica dependet ab aliqua libera volitione, et a mea ipsa voluntate mihi imponitur; absoluta nequaquam. Patet autem, necessitatem illam in qua jacet obligatio moralis, hypotheticam non esse: est ergo absoluta. Quare moralis obligatio describi ita poterit: *absoluta agendi necessitas ratione cognita*. Quæ vocari quoque solet *necessitas moralis*, objectiva videlicet, non subjectiva: est enim necessitas quæ se habet, ut diximus, ad modum causæ moralis.

487. Non una est de obligationis moralis principio philosophorum præsertim recentiorum sententia.

Alii enim cum Vasquesio principium hoc collocant in ipsa rationali natura, quatenus hæc quasdam actiones exigit, quia sibi essentialiter convenientes, quasdam vero reprobat, quia sibi essentialiter repugnantes.

488. Alii in ipsa ratione et in practico ejus judicio: hi vocantur *rationalistæ*, inter quos Kant recenseri potest. Qui sensum moralem facultatem a ratione distinctam esse censent (452), in hoc obligationis principium constitutum esse opinantur.

489. Alii demum cum Gerdilio, ex elemento objectivo, videlicet ex rerum relationibus vel ex essentiali rerum ordine, perfectam obligandi vim enasci censent, quatenus actiones quæ secundum ordinem rectamque rationem fiunt, cum perfectione hominis propria necessariam connexionem habent: connexio autem hæc obligationem constituit.

490. Communior vero sententia est, ex essentiali rerum ordine enasci quidem, ut in superiori capite docuimus (134, seq.), convenientiam ponendi quasdam actiones et quasdam vitandi, quam convenientiam vocare possumus, si placet, obligationem imperfectam; at veram perfectam-

que obligationem originem ducere ex divinæ sapientiæ ac voluntatis ordinatione, quæ ordinem naturalem servari præcipit, perturbari velat.

Propositio I

191. *Perfecta moralis obligatio neque a) ex naturæ rationalis exigentia, neque b) ex essentiali rerum ordine, neque c) ab imperativo rationis dictamine originem ducit.*

Prob. 1^a pars.

1^o Juxta primam hanc sententiam, natura rationalis vere esset *autonoma*, i. e. sui ipsius legislatrix, sibi que obligationem inducens. Hoc autem prorsus dari non potest. In idea enim legislatoris obligantis includitur notio superioris, et in idea ejus cui lex fertur, notio subditi. Repugnat autem eandem humanam naturam esse sibi superiorem ac subditam : hæc enim duo relativa sunt, ac proinde in uno eodemque subjecto, respectu ejusdem esse nequeunt.

2^o Necessitas quam obligationis principium inducit, absoluta est, etsi objectiva, ut supra diximus (186). Atqui naturalis exigentia ejus perfectionis qua actiones moraliter honestæ naturam rationalem exornant, non potest ex se et ratione sui absoluta esse.

Natura enim absolute non exigit nisi perfectionem sui absolutam et ultimam. At perfectio hæc ea solummodo est quam affert ultimi finis assecutio. Igitur hanc unam natura absolute exigit. Perfectio autem moralis non est ultimus hominis finis, ut probatum est (54, seq.). Ergo.

3^o Principium quod obligationem infert, esse debet ex se universaliter efficax; videlicet eam agendi necessitatem per rationem ostendat oportet, quæ eo solo principio considerato, semper et in quibuscumque adjunctis absolutam se exhibeat et indeclinabilem. Atqui naturalis exigentia perfectionis moralis hanc efficaciam ex se non habet.

Etenim necesse est, ut sæpe exigentia hæc in collisionem veniat cum ceteris etiam rationalibus tendentiis quæ in nostra natura vigent, atque adeo cum tendentia illa principe quæ est ad felicitatem; et quidem collisio hæc ejusmodi esse potest, ut bonum honestum sit omnino tenue,

bonum vero quod per ipsum excluditur, magnum sit, et ad quod rationalis appetitus vehementer inclinetur. Jam in his rerum adjunctis nuquam judicare poterit ratio, exigi a natura magis perfectionem illam moralem, quam ipsam vitam ac cetera bona sine quibus hæc vita miserrima sit oportet. Ergo.

192. Prob. 2^a pars.

In primis evidens est, non omnem ordinem qui ex rerum essentiis exurgat, obligationem moralem inducere. Nemo enim unquam existimavit se morali obligatione constringi, ad sequendas in suis operibus leges v. gr. symmetriæ, aut ad equum ranæ præferendum. Sed neque ille ordo qui ex essentialibus hominis ad cetera entia relationibus exurgit, in quo supremam morum regulam sitam esse supra demonstravimus (154, seq.), perfectæ moralis obligationis principium esse potest. Nam

1^o Cur ordinem essentialem ut mearum actionum normam sequi teneor? Nulla alia ratio excogitari potest, sublato Dei præcepto, nisi hæc, quod inordinatum esset, turpe, contradictorium aliter agere: teneor autem vitare quidquid inordinatum, turpe, contradictorium est. At cur teneor? Sane quia natura rationalis ab hac turpitudine abhorret, eamque ut a se removeam exigit: huc tandem aliquando, velint, nolint, redire debent, ac reipsa redeunt adversarii. Ergo eorum opinio in primam quam modo refutavimus, tandem aliquando recidit.

2^o Hinc mirandum non est, si hoc ordinis principium efficacia careat absoluta atque universali. Caret, inquam, efficacia absoluta: quia servare ordinem non est summa hominis perfectio nec ultimus ejus finis. Caret quoque efficacia universali: quia quotiescumque ordo entium in conflictum veniat cum ordine finali propriæ felicitatis, nemo erit qui serio existimare possit, si præcisio fiat ab ordinatione divina, quæ ordinem moralem cum ordine felicitatis amice connectit, teneri se ad invertendum ac perturbandum propriæ felicitatis ordinem, potius quam ordinem entium.

193. Prob. 5^a pars.

1^o Cur practica rationis dictamina me obligare dicuntur? Profecto non omnia sed quædam solummodo rationis dic-

tamina, ea videlicet quæ moralia dicimus, me obligant. Cur autem hæc me obligant, non omnia? Nihil aliud reponi potest, nisi unum ex his tribus: vel quia dictamina moralia sunt participatio ac promulgatio æternæ legis, vel quia rationalis natura exigit ut iis obsequar, vel quia id exigunt essentialia hominis relationes. At si dicatur primum, jam fatemur obligationis principium Dei legem esse; si alterum aut tertium, hæc opinio recidit in alterutram ex sententiis modo rejectis. Ergo.

2º Hinc iisdem argumentis impugnatur. Neque vero ullatenus minuitur vis ejus argumenti quod ex autonomiæ repugnantia deducitur (494, 4º), ex eo quod ratio non sit tota humana natura. Nam si ratio una me obligat, semper verum erit, humanam naturam autonomam esse, ac seipsam obligare; esto id efficiat per rationem, aut per aliam quamcumque suam peculiarem facultatem.

Propositio II

494. *Perfecta moralis obligatio originem ducit a divinæ sapientiæ ac voluntatis ordinatione, quæ ordinis moralis custodiam cum ultimi finis assecutione necessario nexu consociat.*

4º Cum voluntas non agat nisi propter finem, non potest a ratione ostendi voluntati necessitas actionis, nisi propter aliquem finem ab ipsa voluntate intentum. Quod si finis a voluntate intentus ejusmodi sit, ut ratio judicet eum posse appeti et non appeti, jam necessitas agendi propter hunc finem non potest esse nisi hypothetica, ut supra dictum est (486). Ut ergo necessitas agendi prorsus absoluta a ratione voluntati objiciatur, duo requiruntur: 1. ut ratio judicet aliquem finem absolute non posse a voluntate non appeti: 2. ut ratio exhibeat necessariam alicujus actionis cum hoc fine connexionem. Obligatio autem moralis est necessitas absoluta. In aperto est igitur quid ad obligationem moralem constituendam requiratur.

Dico igitur. Obligatio moralis tunc solum concipitur, quum actio necessario juncta perspicitur cum fine absolute necessario. Atqui solum posita ordinatione divina quæ constituat ordinis moralis custodiam ut medium homini

necessarium ad suum ultimum finem assequendum, perspicitur finis absolute necessarius, cujus gratia ordo moralis servandus sit.

Etenim finis unicus qui absolute necessarius sit, est ille quem voluntas necessitate naturali appetit. Hujusmodi finis est perfecta felicitas. Ratio autem ostendit, felicitatem hanc in futura solum vita nobis esse paratam et a Deo dependere (52). Si ergo insuper ratio cognoscat, Deum exigere moralis ordinis custodiam tanquam conditionem necessario ab homine ponendam ut futura illa felicitate potiatur (184), jam cognoscat ordinis moralis custodiam cum unico fine qui absolute necessarius sit, esse necessario connexam. Ergo solum posita ordinatione divina quæ hunc nexum statuit, obligatio moralis concipitur.

195. 2^o Hoc moralis obligationis principio constituto, quisque intelligit ipsum solum ex se et universaliter efficax esse, cum nulla esse possint rerum adjuncta in quibus moralis obligatio firmitatem suam non retineat. Futuræ enim vitæ felicitas ac summum hominis bonum omni bono fluxo ac caduco infinite præstat, omnemque talium bonorum jacturam abunde compensat.

196. Ex hucusque dictis infertur, obligationem moralem perfectam esse *agendi necessitatem ratione cognitam, quæ exsurgit ex necessaria actionis connexionem cum ultimo fine.*

Qua notione constituta, hæc animadvertenda sunt.

1^o Auctoritas qua Deus obligationem inducere potest, non exsurgit simpliciter ex ejus potentia, sapientia, bonitate, dominio, sed ex eo quod per hæc attributa potest atque adeo debet moralis ordinis custodiam connectere ut medium necessarium cum ultimi finis assecutione.

2^o In actibus humanis duplex reperitur honestas et pravitatis; altera *radicalis* et *fundamentalis*, altera *completa* et *perfecta*. Illa sita est in convenientia actus ordinati et in repugnantia actus inordinati cum rationali natura: altera consistit in maxima convenientia obediendi divinæ legi et in maxima turpitudine inobedientiæ qua Deus ipse contemnitur. Hæc ipsa tamen perfecta honestas fons obligationis non est, licet ab ea sit inseparabilis.

5^o Quædam actiones ideo sunt præceptæ vel vetitæ, quia in se honestæ sunt vel pravæ: hujusmodi sunt quæ lege

naturali præcipiuntur aut prohibentur; quædam vero ideo sunt honestæ vel pravæ, quia præceptæ sunt vel vetitæ, ut sunt actiones quædam ex se indifferentes, quæ legibus positivis præcipiuntur aut vetantur.

4^o Actus cum lege obligante comparati, alii dicuntur *debiti seu obligatorii*, alii *liciti*. alii *illiciti*, alii *liberi*.

Obligatorius est actus *qui lege præcipitur*, i. e. sine quo ultimus finis obtineri non potest.

Licitus, est *qui lege non prohibetur*, qui ultimi finis assecutionem non impedit.

Illicitus, *qui lege prohibetur*, qui ultimi finis assecutionem impedit.

Liber demum, *qui lege non præcipitur*, sine quo ultimus finis obtineri potest.

497. Obj. 1^o Homo perfecte obligatur ad ordinem moralem servandum ante quodvis divinum præceptum. Etenim

a) Actio moraliter bona est actio conformis normæ vere obliganti; actio vero mala est actio ab ea difformis. Atqui necessario apprehendere debemus ante quodvis divinum præceptum quasdam actiones moraliter bonas vel malas. Ergo.

b) Obligatio perfecta, quam provenire dicimus ex ordinatione divina, tota hoc innititur principio: *Deo præcipienti obtemperandum est*. Atqui hoc principium ex essentiali rerum ordine emergit, ab eoque totam suam vim desumit. Nam idcirco Deo præcipienti obtemperandum est, quia Deus est summum ens.

c) Sane antequam Deus præcipiat, obligandi jus habet. Atqui huic juri obligandi necessario respondet in homine obtemperandi officium, i. e. passiva obligatio.

d) Hinc si essentialis rerum ordo veræ obligationis principium non esset, neque ipsa divina lex obligationem inferret. Qui enim ante omne divinum præceptum, ad obtemperandum Deo non obligatur, potest illi, quum præceptum imponit, obedientiam recusare.

498. Resp. *Nego ant.*

Ad 1. *Dist. maj.* Actio moraliter bona est actio conformis normæ vere obliganti, i. e. actio in qua sit honestas perfecta, *conc.* actio bona honestate solum fundamentali, *nego.* Et *contradist. min.* (196, 2^o).

Ad 2. *Trans. maj.* *Nego min.* et *dist. causalem addi-*

tam : Deo p̄cipienti obtemperare tenemur, quia est summum ens; tenemur videlicet ex hac ratione, obligatione imperfecta, *conc.* obligatione perfecta, *nego* (190).

Ad 3. *Dist. maj.* Quod obligandi jus situm est in potestate ordinandi custodiam legis a se latæ ad finis ultimi assecutionem, *conc.* situm est simpliciter in præcellentia divinæ naturæ, *subd.* jus producens obligationem imperfectam. *conc.* perfectam, *nego.* Eodem modo *dist. min.*

Ad 4. *Nego ant.*

Ad rat. add. *dist.* Qui ante omne divinum præceptum non obligatur ad obtemperandum Deo, etiam ut est supremus ordinator, potest illi recusare obedientiam, quum præceptum imponit, *conc.* qui non obligatur ad obtemperandum Deo, ut est ens perfectissimum, potest illi recusare obedientiam, quum præceptum imponit, *subd.* si per hoc præceptum Deus ordinem moralem cum ordine felicitatis necessario nexu componat, *nego*; secus, iterum *subd.* potest illi recusare obedientiam, i. e. inobedientia non erit intrinsecus inhonesta, *nego*; i. e. obedientia non apprehendetur a ratione absolute necessaria, *conc.*

Hæc postrema suppositio, quod Deus aliquid vere præcipiat et præcepti sui executionem cum felicitatis ordine non connectat, undequaque absurda est. Nam præterquam quod Dei bonitatem et providentiam destrueret, argueret etiam in Deo vel sapientiæ vel potentiæ defectum. Mirari igitur non debemus, si ex hac absurda suppositione absurda illa consecutio dimanet, obedientiam divino præcepto non posse a ratione ut absolute necessariam apprehendi.

199. Obj. 2^o Si moralis obligatio ex divinæ ordinationis cognitione dependet, jam

a) Athei qui Deum esse negant, ab omni obligatione essent exempti; id quod absonum est.

b) Qui vero Dei existentiam ignorant, si quando contra legis naturalis præscriptum agerent, non peccarent contra Deum, sed solum contra rationem.

200. Resp. ad 4. *Nego.* Nam qui negant Deum esse, id semper contra evidentiam, atque adeo contra mentis persuasionem negant (M. 457).

Ad 2. Pariter *nego.* Qui enim rationis usum sit adeptus, non potest invincibiliter ignorare Deum esse. Quod si antea

ignorasset, hoc amplius ignorare non potest tunc scilicet quum ad morale dictamen reflexionem adhibens, deliberat utrum ei sit obtemperandum necne. Quum enim auctoritatem ac vim moralis dictaminis experitur, necessario ad superius aliquod principium a quo homo dependeat, mente consurget (164, 2°, 3°). Ac propterea si ab honestatis regula deflectit, non adversus rationem tantum, sed etiam adversus Deum peccat, quem saltem confuse cognoscit.

201. Obj. 3° Saltem si tota obligationis ratio a felicitate desumitur, negari nequit,

a) Hanc doctrinam in utilitariorum systema recidere ;

b) Et virtutis amorem fieri mercenarium vel servilem.

202. Resp. ad 1. *Nego.* Utilitarii enim dicunt : *hic actus conducit ad hujus vitæ felicitatem ; ergo est honestus.* Nos vero dicimus : *hic actus est honestus ; ergo conducit ad futuræ vitæ felicitatem.*

Ad 2. *Dist.* Si quis virtutem sectetur solum quia ad illam obligatur, *trans.* absolute ac necessario, *nego.* Non enim dicimus necesse esse ut ad bene agendum semper ac solum ex motivo obligationis moveamur. Nam et plura possumus honeste agere ad quæ nullatenus obligamur, et quum ea ipsa ad quæ obligamur, exsequimur, nihil nos adstringit ut ad futuram retributionem respiciamus. Possumus enim ad bene agendum moveri honestissime, ac multo honestius quam ex motivo obligationis, tum amore honestatis, tum amore Dei cui placet honestas. Atque hoc pacto pœnam vitabimus ac mercedem merebimur, quin de mercede pœnave cogitemus.

ARTICULUS V. DE PRIMO LEGIS NATURALIS PRINCIPIO

203. In hoc articulo occurrunt quærenda tria : 1° quodnam sit, spectato cognitionis ordine, primum legis naturalis principium ; 2° quodnam sit, spectata obligandi vi qua lex naturalis pollet, primum præceptum in quo vis obligandi se primo prodit ; 3° an primum principium sit prius primo præcepto, vel vice versa.

Propositio I

204. *Primum legis moralis principium hoc est : Ordo naturalis servandus.*

Primum enim legis moralis principium debet esse veritas per se nota, quæ nullam aliam veritatem moralem supponat, et a qua ceteræ morales veritates legitima deductione inferri possint. Atqui principium modo enuntiatum est hujusmodi.

Etenim est per se evidens, ut in superiori capite ostendimus (158, 2^o; 159, 2^o).

Præterea a nulla alia morali veritate deducitur. Essentialis enim ordo, ut ibidem probavimus, est prima norma secundum quam de actionum humanarum honestate vel pravitate iudicium ferendum est.

Demum ex eodem principio omnia naturalis legis officia sponte fluunt. Officia enim erga Deum ex eo dimanant, quod homo multipliciter Deo subest : officia erga seipsum ex eo quod altera hominis pars vel facultas alteri præstat, totus vero homo Deo subicitur : officia vero erga alios ex eo quod homines natura æquales sunt.

Patet ergo primum in ordine cognitionis, legis moralis principium esse ordinis principium.

Propositio II

205. *Primum legis naturalis præceptum est illud : Bonum faciendum, malum vitandum.*

Quemadmodum supra normam supremam actionum a principio obligationis distinximus, ita nunc mirum esse non debet, quod primum cognoscendi principium a primo præcepto distinguamus.

Præcepti proprium est ut obligationem inducat : vis vero obligandi in primo præcepto ejusmodi esse debet, ut ex se sit evidens, et a nullo alio præcepto derivetur, imo fons sit obligationis quam cetera præcepta inducunt.

206. Hæc autem omnia, ex iis quæ de obligatione dicta sunt, facile in eo generali præcepto deprehendes, dummo-

do termini explicentur. Quum dicitur : *bonum faciendum*, intelligitur procul dubio bonum verum, non bonum quodcumque apparens. Quid est autem bonum hominis verum? Profecto ultimus hominis finis, sed non est bonum hoc hujus vitæ : bonum hujus vitæ verum est id quod ad ultimum finem adducit; atque hoc est bonum *faciendum* : nam ultimus finis assequendus est non faciendus; faciendi sunt autem actus qui ad illum adducunt. Itaque quum dicimus : bonum faciendum, malum vitandum, perinde est ac si diceremus : *fac quod te adducit ad ultimum finem et ad summum bonum; vita quod ab eo te abducit.*

207. Jam absoluta necessitas quam hoc præceptum inducit, ex se est manifesta (194). Ergo obligandi vis quæ illi inest, est per se evidens.

Hanc vero obligandi vim a nullo alio præcepto mutuatur, quia hoc præceptum ipsam obligationis radicem enuntiat. Hinc cetera præcepta ab eo vim suam mutantur : cetera enim præcepta eatenus obligant, quatenus eorum executio est conditio ad finem ultimum assequendum necessaria, ac propterea est verum in hac vita hominis bonum.

Propositio III

208. *Tam primum principium quam primum præceptum in suo tantum ordine prima sunt.*

Etenim essatum illud : *serva ordinem*, primum quidem cognoscendi principium est, sed primum præceptum dici non potest. Nam ordo entium, ut supra vidimus (192), ex se obligandi vi caret. Proinde quærendum ulterius superest : quem in finem ordo servandus? Cur ordinem servare obliget? Nec aliud reponi potest, nisi quod ordinis custodia ad ultimum finem assequendum necessaria conditio est : quod autem hujusmodi est, absolute necessarium est. Ergo ideo ordinem servare obliget, quia bonum obliget facere malumque vitare.

209. E converso primum præceptum haberi nequit ut primum cognoscendi principium. Ex se enim insufficientis est ad bonum morale a malo discriminandum. Nam quum dicis : *bonum est faciendum*, necessitas quidem præcepti est manifesta, sed adhuc necesse est quærere, quodnam sit hoc bonum quod faciendum est. Dices : faciendum id omne

quod ad ultimum finem adducit. At quid est quod ad finem me adducit? Est id quod Deus præcepit. Quid vero Deus præcepit? Sane quod naturalis ordo servetur. Ad hanc igitur normam deveniendum est, ut cognoscere possim quid bonum, quid malum sit.

210. Ex his quæ diximus perspicies, quomodo conciliari possint opiniones eorum qui vel effato quod nos primum principium dicimus, vel illi quod nos primum præceptum appellamus, primatum decernunt; simulque cetera principia quæ a quibusdam auctoribus ut primitiva habita sunt, e dignitate hac facile exturbabis.

ARTICULUS VI. DE CONSCIENTIA MORALI

211. Conscientia moralis, quæ a psychologica (L. 492) valde differt, dicitur esse norma immediata ac secundaria humanarum actionum; est enim iudicium quo legis moralis principia ad actiones individuas applicantur. Hæc autem applicatio fit per ratiocinium, in quo præmissæ prioris loco, principium generale ponitur, v. gr. *lucrum injustum illicitum est*: subditur deinde iudicium, quo ex actus natura et adjunctis statuitur, illum in generali principio contineri, ut: *lucrum ex hoc contractu percipiendum est injustum*: ac demum ex his duobus infertur conclusio: ergo *lucrum hoc mihi illicitum est*.

212. Actus vero cui fit per conscientiam hæc principiorum moralium applicatio, potest esse præteritus vel præsens vel futurus. Si est præteritus, conscientia vel approbat quod fecimus, vel excusat vel accusat, seu remordet. Atque hæc applicatio ad præterita facta dicitur conscientia *consequens*. Si vero actus est præsens vel futurus, conscientia iudicat quid facere liceat vel non facere. Atque hæc dicitur conscientia *antecedens*; eaque proprie est regula qua humani actus dirigendi sunt. Hoc posteriori modo accepta conscientia, definitur: *iudicium practicum ex universali aliquo morum principio deductum, quo decernimus actionem aliquam individuam esse nobis ex lege ponendam vel omittendam*.

213. Conscientia, si veritatem iudicii spectes, potest esse *reclæ* vel *erronea*.

Recta est, quum dicat id esse præceptum aut vetitum,

quod reipsa præceptum aut vetitum est. Ut porro recta sit conscientia, nihil aliud requiritur, nisi ut ratiocinationis præmissæ sint veræ, et conclusio ex iis juxta ratiocinationis leges inferatur.

Erronea, est, quum dictat esse præceptum aut vetitum quod præceptum aut vetitum non est. Qui error progigni potest vel ab errore in præmissis recepto vel ab errore in inferenda conclusione.

Error autem in præmissis receptus, potest esse vel *juris* vel *facti*.

Est error *juris*, quum quis putat legem aliquid præcipere aut prohibere, quod non præcipit vel non prohibet.

Est error *facti*, quum quis errat circa objecti cui lex applicanda est, naturam aut qualitates.

214. Error porro conscientie alius est *vincibilis*, alius *invincibilis*. Utriusque notionem desumes ex dictis de ignorantia (103). Ex quibus et illud facile intelliges, errorem invincibilem esse iudicium prudens, et errorem solum *materiale*; vincibilem vero esse iudicium imprudens et errorem *formalem* (L. 479, 2^o). Propterea quum conscientia invincibiliter est erronea, deflexio a veritate voluntaria non est; quum vero est erronea vincibiliter, deflexio a veritate voluntaria est, saltem indirecte. Hinc error invincibilis dicitur involuntarius, vincibilis voluntarius.

215. Si subjecti statum attendas, conscientia esse potest *certa*, *dubia*, *opinans*, *perplexa*, *scrupulosa*.

Certa est, quum quis iudicat absque formidine de oppositi veritate.

Dubia, quum quis hæret anceps inter opposita iudicia, ac neutri parti assensum præbet.

Opinans, quum quis alterutri quidem parti assentitur, sed cum formidine de oppositæ veritate.

Perplexa, quum mens tum agere tum non agere illicitum putat.

Scrupulosa, quum ex levibus motivis apprehenditur ac timetur peccatum ubi peccatum non est.

216. De conscientia dubia animadvertet,

1^o Eam posse oriri a dubio circa *jus* vel circa *factum* (215);

2^o Dubium, ut ignorantiam et errorem, in *vincibile* et *invincibile* dividi;

5^o *Dubium* aliud esse *positivum*, aliud *negativum*, ut in Logica dictum est (L. 478, 2^o).

4^o Esse demum distinguendum *dubium speculativum* a *dubio practico*. Illud versatur circa alicujus propositionis veritatem aut falsitatem : ut si quis dubitet an aliquid alteri promiserit, aut promisso satisfecerit ; hoc circa actionis a me hic et nunc ponendæ honestatem vel pravitatem ; ut si quis dubitet an ad promissum de cujus veritate aut implemento certus non est, implendum in præsentì obligetur. Prius *dubium*, ut patet, pertinet ad scientiam, posterius ad conscientiam.

Propositio I

217. *Contra rectam conscientiam agere nullatenus licet.*

Ratio est in promptu. Conscientia recta dicitur esse præceptum aut vetitum quod vere præceptum aut vetitum est. Sed qui agit quod est vetitum, aut non agit quod est præceptum, inhoneste agit. Ergo qui contra rectam conscientiam agit, inhoneste agit.

Propositio II

218. *Contra conscientiam erroneam agere illicitum est.*

Etenim quicumque voluntate amplectitur id quod ratio judicat esse malum, vult reipsa malum. Nam bonum vel malum est voluntatis objectum, non quomodocumque, sed prouti a ratione proponitur. Sed qui agit contra erroneam conscientiam, amplectitur voluntate id quod ratio malum esse judicat. Ergo hic malum reipsa vult, ac proinde inhoneste agit.

Propositio III

219. *Juxta conscientiam vincibiliter errantem circa actionis honestatem, agere non possumus ; juxta conscientiam vero invincibiliter errantem agere non modo possumus, sed omnino debemus.*

Prob. 4^a pars.

Qui agit juxta conscientiam vincibiliter errantem circa

actionis honestatem, agit cum dubio de actionis honestate (215). Agere autem cum hujusmodi dubio illicitum est. Qui enim cum hoc dubio agit, ita comparatus animo est, ut sive actio honesta sit sive prava, ponere illam velit. Sed qui talem animum gerit, voluntatem habet ad peccandum paratam ac promptam, et cum tali voluntate in peccandi periculum temere se conjicit. Hujusmodi vero agendi modus omnino pravus est. Ergo.

220. Dixi porro non licere agere contra conscientiam vincibiliter erroneam, si error versetur *circa actionis honestatem*. Nam si actionis honestatem certo cognoscamus, ac solum erronee judicemus eam esse præceptam cum præcepta non sit, procul dubio contra hujusmodi conscientiam agere illicitum est, at juxta illam agere licet.

221. Ex dictis inferes :

1^o Eum qui vincibili conscientiae errore detinetur, neque agere posse quod illa dictat, neque ab agendo abstinere.

2^o Obligari proinde ad erroneam conscientiam deponendam, antequam ad agendum vel non agendum se determinet. Quisque autem eam deponere potest, cum ille error sit voluntarius (215).

222. Prob. 2^a pars.

Qui invincibili conscientiae errore detinetur, errorem deponere nequit. Aliunde si juxta ejusmodi conscientiam agat, non agit ex voluntate ad peccandum parata, nec se conjicit in peccandi periculum, sed omnino prudenter agit quia judicium quo ducitur, prudens est (215). Ergo qui conscientiam invincibiliter errantem sequitur, inordinate non agit. Licet ergo eam sequi. Imo eam sequi tenemur. Contra conscientiam enim erroneam agere illicitum est (217).

Propositio IV

225. *In dubio pratico de actionis honestate, aut deponendum hoc dubium, aut si id fieri nequeat, et agendi urgeat necessitas, tutior pars est eligenda.*

Etenim ad honeste agendum requiritur certitudo saltem moralis (L. 480, 5^o) de honestate actionis peragendae; ut ex dictis manifestum est (219). Igitur cum dubio de hones-

tate actionis agere illicitum est. Deponendum ergo dubium antequam agamus. Quod si hoc fieri non possit, et actio differri nequeat, cavendum omnino ne quis peccandi periculo se exponat. Proinde si dubium est an actio sit honesta, est omittenda actio; si vero dubium est an honesta sit omissio actionis, actio ponenda est. Hoc præcipitur adagio illo juris: *In dubiis tutior via est eligenda.*

224. Ad deponendum autem dubium practicum duplex via patet.

4^o Enim deponi potest expellendo dubium speculativum (246, 4^o) a quo practicum dimanat. Dubium vero speculativum deponi potest, sive propria inquisitione sive sapientium auctoritate. Semper autem moralis diligentia adhibenda est ad dubium deponendum, ubi quis tutiorem partem amplecti nolit. Secus imprudenter agit, et peccandi periculo se exponet.

Moralis autem diligentia ea est quam homines prudentes adhibere solent, estque varia pro rei gravitate et personarum conditione. Consistit vero in usu mediorum quæ sunt in hominis potestate, et quæ ad finem conducere posse videntur.

2^o Si dubium speculativum, ut sæpe contingit, etiam adhibita morali diligentia, deponi nequeat, potest adhuc deponi dubium practicum de honestate actionis peragendæ, vi quorundam generaliorum principiorum, quæ reflexa dici solent. Horum quippe vi principiorum ostenditur esse certo licitum agere, etiamsi dubium speculativum maneat. Satis sit rem uno alterove exemplo explicare; plenior enim hac de re disputatio et satis proluxa est, et ad theologos proprie pertinet.

225. Finge itaque militem quum principis jussu ad bellum mittitur, de belli honestate dubitare. Si non possit hoc dubium deponere, recte ita ratiocinabitur: hujus belli honestas dubia est; ceteroqui scio cum qui me ad bellum mittit, meum principem esse, cui ego obtemperare teneor. Hoc jus certum est, et ex meo dubio illi non tollitur; *certum enim jus per incertam exceptionem non destruitur.* Proinde ejus præceptum possidet jus meam libertatem obligandi. Ego igitur possum licite hoc bellum suscipere, donec belli injustitia certa mihi non fiat. Hic dubio speculativo manente, dubium practicum deposuit, ac recte agit.

226. Fac e contrario me invincibiliter dubitare de aliqujus legis existentia. Ego ita ratiocinabor : libertas agendi quam ego certo possideo, dubia lege coarctari ac ligari non potest : *lex dubia non obligat* ; igitur jus agendi quod meæ libertati inest, intactum manet : possum licite agere quod hæc lex prohibere dicitur, quousque lex eadem certo mihi innotescat. Profecto hæc ratiocinatio vera omnino est ac recta, meaque actio honesta erit ; quia licet dubium speculativum non sit a me depositum, ego tamen practicam de meæ actionis honestate certitudinem adeptus sum.

227. In statu conscientiæ perplexæ,

1° Si fieri potest, *suspendenda est electio*, donec ab eo statu emergatur. In hoc enim statu, certe conscientia est erronea.

2° Si electio suspendi nequit, *eligatur quod minus malum videtur*, v. gr. id ex quo minora mala provenient. Semper enim arcendum est peccandi periculum, quantum fieri potest.

5° Si quis discernere non possit quid sit minus malum, *quidquid eligat, culpa vacabit*.

Cum enim ex neutra parte bonum apprehendat, deest illi libertas ad bonum et ad malum, quæ ad peccandum necessaria conditio est.

CAPUT V

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS

228. Superest ut virtutum et vitiorum habitus, quibus boni vel mali efficiamur, consideremus. Quam considerationem instituere oportet 1° in genere ; 2° in specie.

ARTICULUS I. DE VIRTUTIBUS AC VITIIS IN GENERE

229. *Virtus moralis est habitus acquisitus, quo animi facultates ad actus ordini rectæque rationi conformes eliciendos inclinantur.*

Vitium vero est *habitus pariter acquisitus, quo animi facultates ad actus ordini rectæque rationi repugnantes eliciendos inclinantur.*

250. Ad quas definitiones intelligendas, hæc notare juverit.

1^o Quid sit habitus proprie dictus, nempe habitus operativus, diximus in *Metaphysica* (M. 74).

2^o Virtus generatim est quædam potentie perfectio. Potentie autem perfectio est ejus determinatio ad actum. Hinc potentie quæ ex necessitate agunt, cum sint natura sua ad suos actus determinatæ, secundum se ac nullo alio addito, virtutes dicuntur. At potentie rationales, cum non sint natura sua ad unum determinatæ, possunt ad actus diversos determinari, id quod fit per habitus.

3^o Habitus virtutum atque vitiorum per actuum frequentiam acquiruntur.

4^o Quædam virtutes *absolute* virtutes dicuntur, et quædam *secundum quid*. Illæ sunt quæ non solum præbent bene agendi facultatem, sed etiam faciunt ut aliquis recte hac facultate utatur, et sic ipsum agentem bonum efficiunt: hæc vero sunt quæ solum bene agendi facultatem præbent. V. gr. scientia vel ars sunt virtutes secundum quid, quia illis possumus male uti: virtutes vero morales sunt virtutes absolute, quia actus ad quos inclinant, sunt ex se ordini ac rationi conformes.

5^o Subjectum virtutum quæ absolute virtutes sunt, non potest esse nisi appetitus rationalis, vel aliqua potentia secundum quod a rationali appetitu movetur. Homo enim eatenus bene agit, quatenus bonam voluntatem habet.

6^o Ex virtutis data notione intelligitur, quare virtus moralis dicatur *in medio consistere*. Virtus enim moralis appetitivam facultatem bonam facit in hoc quod eam in suis actibus suæ regulæ conformat, ordini videlicet per rationem proposito. Conformitas autem seu æqualitas cum propria mensura, medium quiddam est inter excessum et defectum.

7^o Quemadmodum vitia, quia disponunt ad operandum contra id quod rationali naturæ convenit, virtuti contraria sunt; ita si duo vitia inclinent ad actus quorum alter ex parte excessus, alter ex parte defectus uni eidemque virtuti opponatur, sunt ipsa quoque inter se contraria.

Propositio

231. *Virtus etiam ratione sui amabilis est.*

Dico: *etiam ratione sui*; nam et explicite propter felicitatem amari potest, et implicite semper propter illam amatur (46); quinimo amari potest etiam propter alia emolumenta quæ suis cultoribus afferre solet. Nos vero hic contendimus eam non necessario amari propter aliud bonum explicite intentum; amari autem posse, etiamsi nullum aliud ex hujus vitæ bonis conferat, præter seipsam. Nam plebei quidam philosophi affirmare ausi sunt, virtutis nullum esse intrinsecum pretium, sed eam unice propter utilitates quas ex ipsa percipere possumus, esse diligendam.

252. Prob. propositio.

1^o Ex eo quod virtus hominis potentias stabili quadam ratione disponit ad eum agendi modum, qui rationali naturæ unice convenit. Unice enim convenit rationali naturæ agere juxta ordinem quem ratio cognoscit ac necessario approbat. Jamvero id omne quod naturam disponit ad modum agendi illi convenientem, est bonum naturæ, eique apprime conveniens, et ex cujus privatione ipsa deformis ac turpis efficitur. Bonum autem naturæ conveniens, ratione sui amabile est, ejusque privatio ex se est odio digna. Ergo.

2^o Confirmatur conclusio ex communi hominum sensu. Homines enim si quem existiment ex puro virtutis amore bonum operari, eum magni faciunt, vehementerque mirantur. Quod si deprehendant eum bene agere, ob quæpiam emolumenta quæ ex virtute sibi pollicetur, omnis illico æstimatio atque admiratio corruunt, eisque contemptus et commata succedunt. †

253. Solemnis est virtutis moralis divisio in quatuor illas principales virtutes, *prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam*, quibus ceteræ omnes adnexæ sunt, tanquam toti partes. Hæ *cardinales* vocantur; prudentia quidem, quia ceterarum fundamentum est, ceteræ vero, quia summum virtutis gradum in aliqua peculiari materia attingunt.

254. Partes autem quæ in harum virtutum considera-

tione notari possunt, aliæ dicuntur partes *subjectivæ*, seu species generi subjectæ, aliæ partes *quasi integrantes*, quæ sunt quædam functiones sine quibus perfectus virtutis usus actusque non habetur; aliæ demum partes *potentiales*, videlicet virtutes principali adjunctæ, quæ ad aliquos secundarios actus ordinantur, quasi totam principalis virtutis potentiam non habentes.

ARTICULUS II. DE PRUDENTIA

235. Prudentia est *virtus intellectus, qua in quovis occurrente negotio, quid honestum, quid pravum sit, facile dignoscimus.*

Est itaque 4^o virtus quæ in intellectu residet. Ad intellectam namque pertinet ut de agendis judicet, ac normam a voluntate sequendam ipsi proponat. Sed quanquam sit virtus intellectus, ratione tamen materiæ et finis quo spectat, inter morales virtutes collocanda est; proinde moralis dicitur, quia morum directiva est.

2^o Prudentia non consistit in cognitione quadam generali eorum quæ ad bene operandum requiruntur, sed in hoc quod in particulari determinet circumstantias ad recte operandum in quovis actionum genere necessarias, cujusmodi sunt locus, tempus, modus et similes.

3^o Ad prudentiam spectat ut medium inveniatur, in quo morales virtutes consistere debeant (250, 6^o).

236. Prudentiæ species immediate numerantur duæ: *personalis*, per quam homo seipsum regit, et *gubernatrix* quæ aliorum regimen spectat. Hæc autem in tres species dispertitur, *æconomicam* qua quis recte familiam administrat, *civilem* qua quis recte civitatem gubernat, *militarem* quæ communis boni inimicos repellit.

Nota vero solam prudentiam personalem *absolute* dici prudentiam; hæc enim bonum facit subjectum in quo est: gubernatrix autem non absolute, sed cum addito, prudentiæ nomine donatur; non enim subjecti affectum bonum facit, sed affectum alienum.

237. Virtutes adnexæ prudentiæ tres enumerantur a S. Thoma, *eubulia*, *synesis*, *gnome*.

Eubulia est habitus recte consultandi, i. e. inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis.

Synesis est habitus recte judicandi de consultatis. Per hanc homines dicuntur bene sensati.

Gnome est habitus recte judicandi, quum opus est, ex altioribus principiis præter communes agendorum regulas, juxta mentem tamen legislatoris.

258. *Omne peccatum, generatim loquendo, contra prudentiam est* : omne enim peccatum est ex defectu alicujus actus rationis dirigentis. *Speciatim vero contra prudentiam peccari potest et per defectum et per excessum.*

259. Per defectum peccatur *præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, negligentia* ; quæ vitia sub *imprudentiæ* genere continentur.

Præcipitatio seu temeritas est vitium quo quis, ommissa convenienti deliberatione, opus aggreditur.

Inconsideratio est vitium quo quis judicat, non attendens ad ea ex quibus rectum judicium procedit.

Inconstantia est vitium quo quis a priori bono proposito recedit propter aliquid quod ipsi inordinate placet.

Negligentia est omissio diligentiae requisitæ in actu intellectus excitantis et dirigentis voluntatem ac vires externas in executione eorum quæ deliberata sunt.

240. Per excessum, seu per abusum eorum quæ ad prudentiam requiruntur, huic virtuti adversantur *prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, sollicitudo temporalium, et sollicitudo futurorum.*

Prudentia carnis est quæ excogitatidonea media ad explendas pravas cupiditates.

Astutia est ratio tendendi ad aliquem finem per modos agendi simulatos et aliis decipiendis idoneos.

Dolus est executio astutiæ sive verbis sive factis.

Fraus est executio astutiæ per facta.

Sollicitudo temporalium est mentis studium in rebus temporalibus quærendis et conservandis, quod inordinatum sit, sive quia eas nimium quæramus, sive quia eas amittere nimium timeamus.

Sollicitudo futurorum est nimia animi occupatio circa futura, quæ debitum rationabilis sollicitudinis tempus præoccupat.

ARTICULUS III. DE JUSTITIA

241. Justitia accipi potest et generali quadam significatione et significatione propria. Primo modo accepta est *omnium collectio virtutum*, quæ efficit ut humana voluntas adæquatæ suæ regulæ, quæ est divina lex, commensuretur.

Secundo modo accepta, definitur: *constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*.

242. Notanda. 1° Jus alterius est quod illi stricta obligatione debetur. Tantum nempe justitia alteri reddit, quantum illi debetur.

2° Justitia exerceri nequit ab homine secum ipso.

5° Justitia est in voluntate. Eam enim facit promptam ad hoc ut velit cuique reddere quod debet. Versatur autem primo circa actiones exteriores quæ sunt ad alios, et circa res quæ sunt harum actionum materia. Secundo autem moderatur passiones, quatenus earum moderatio requiritur ad finem justitiæ proprium assequendum.

4° Medium quod justitia spectat, est medium rei: non enim spectat quid sit juxta rectæ rationis regulam commensuratum ipsi agenti, sed quæ res sit commensurata juri alterius.

243. Justitia alia est *generalis* seu *legalis*, alia *particularis*.

Justitia legalis est virtus quæ commune bonum intuetur et procurat, ut debitum est toti ab unaquaque parte. Hinc virtualiter omnem virtutem complectitur, quatenus ceterarum virtutum actus ad suum finem ordinat et imperat. Dicitur vero *legalis*, quia per eam homo concordat cum lege, quæ omnium virtutum actus ad bonum commune ordinat.

244. Justitia particularis dividitur in *commutativam* et *distributivam*.

Illa est partis ad partem, i. e. privati ad privatum, et rerum commutationi normam præfinit; hæc est totius ad partes, i. e. reipublicæ seu principis ad privatos et dirigit communium bonorum et onerum distributiones. Illa vero spectat æqualitatem arithmeticam inter rem accep-

tam et rem quam reddit, ista proportionem geometricam inter rem et condiciones ac merita personarum.

245. Virtutes adnexæ justitiæ sunt illæ quæ alterum quidem respiciunt, sed a perfectæ justitiæ ratione aliquo modo deficiunt. Deficere autem ab hac possunt, vel quia debitum quod alteri reddunt, non possunt reddere ad æqualitatem, vel quia quod alteri reddunt, non est proprie ei debitum.

246. Priori modo sunt adnexæ justitiæ *religio, pietas, observantia*.

Religio est virtus quæ debitum cultum Deo, tanquam primo rerum omnium principio, exhibet.

Pietas est virtus per quam sanguine junctis patriæque benevolis officium et cultus tribuitur.

Observantia est per quam homines aliqua dignitate antecellentes cultu quodam et honore dignamur.

Observantiæ partes subjectæ sunt *dulia et obedientia*. Illa honorem præstantioribus exhibet; hæc ad omne virtutis opus se porrigit, quatenus debitum est ratione præcepti.

Hæ igitur virtutes a justitiæ ratione deficiunt ex defectu æqualitatis; quia Deo, parentibus et virtuti nunquam reddi potest quantum eis est debitum.

247. Virtutes quæ deficiunt a ratione justitiæ ex defectu debiti, sunt eæ quæ aliquid alteri reddunt quod non est illi debitum ex aliqua lege, sed solum ex honestate virtutis. Ad quam honestatem quædam ex his virtutibus sunt ita necessariæ, ut sine illis hæc conservari non possit; quædam autem conferunt quidem ad majorem honestatem, sed sine his honestas conservari potest.

248. Ad priorem classem pertinent *veracitas, gratitudo, vindicatio*.

Veracitas est virtus quæ curat ut signa quibus mentem nostram manifestamus, sint menti omnino conformia.

Gratitudo est virtus qua accepta beneficia memoria tenemus, eorumque auctores remunerari satagimus.

Vindicatio est per quam vis aut injuria et omne id quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur; videlicet ut alter ab injuria coerceatur, aut ut injuria juste reparetur.

249. Ad alteram classem pertinent *affabilitas seu amicitia, liberalitas et æquitas seu epicheia*.

Affabilitas est virtus quæ facit ut homo in conversatione cum aliis, tam in dictis quam in factis, ad unumquemque se habeat sicut decet.

Liberalitas est virtus quæ pecuniæ amorem moderatur, ac facit nos faciles et promptos ad eam expendendam, quando ratio hoc dicit.

Æquitas est virtus quæ inclinatur ad agendum contra verba legis, quando altior quædam consideratio, i. e. vel bonum commune vel ratio virtutis id postulat.

Huc revocari potest, spectato tantum naturali ordine, *caritas*, quæ ad omnes homines propter naturæ similitudinem diligendos inclinatur.

250. Justitiæ generatim opponitur *injustitia*, nempe prava voluntatis dispositio ex injustis actibus orta et ad similes inclinans.

Justitiæ commutativæ opponitur omnis *injuria* quæ in alterius sive personam sive res inferatur. De quibus alio in loco.

Justitiæ distributivæ adversatur *acceptio personarum*; quæ admittitur, quando in communium bonorum distributione, non causa sed persona respicitur, i. e. aliqua personæ conditio in distributione non consideranda, ob quam is qui minus dignus est, digniori antefertur.

251. Religioni opponuntur *superstitio* et *irreligiositas*. Illa divinum cultum exhibet cui non debet, aut eo modo quo non debet. Hæc est contemptus seu irreverentia Dei aut eorum quæ ad Deum pertinent. His addi potest *acedia*, quæ est tristitia de operibus ad divinum cultum spectantibus, ab iis exercendis animum retrahens.

Quæ vitia pietati et observantiæ opponantur, quisque facile perspicit.

Veracitati opponuntur *mendacium* et *adulatio*; gratitudini *ingratus animus*; vindicationi, per excessum opponitur *crudelitas*, per defectum, *omissio* vel *nimia remissio* in malefactoribus castigandis.

Affabilitati per excessum adversa est *adulatio*, per defectum *morositas*, seu asperitas et pronitas ad contradicendum.

Liberalitatem *avaritia* impugnat, per excessum in æstimatione et amore divitiarum, et per defectum in erogando, quando id ratio postulat; *profusio* seu *prodigalitas*, per excessum et defectum contrarium.

Æquitati quid opponatur patet.

Caritati opponitur *odium* et *invidia*. Odium est habitus qui voluntatem ab alio homine permanenter avertit, et ad ei volendum malum inclinat. Invidia est tristitia de alienis bonis, secundum quod gloria vel excellentia propria iis minui existimatur.

ARTICULUS IV. DE FORTITUDINE

252. Fortitudo est virtus, *quæ motus animi in rebus maxime terribilibus sustinendis vel repellendis moderatur.*

Hinc 1^o Fortitudo bonum facit hominem et ejus actiones, in eo quod retrahit potissima impedimenta, quæ voluntatem ab eo quod est secundum rationem, propter occurrentes difficultates retrahunt.

2^o Proprium fortitudinis munus est, ut firmiter voluntatem retineat in bono rationis contra maxima mala. Mala autem maxima sunt mortis pericula. Hæc igitur sunt propria fortitudinis materia.

3^o Fortitudo immediate versatur circa passiones timoris et audaciæ; quatenus debitam rationis mensuram iis imprimit ingruente periculo.

4^o Pericula mortis quæ sunt fortitudinis materia, ejusmodi esse debent, ut honeste suscipi vel sustineri queant; ut sunt ea quæ pro Dei honore aut pro reipublicæ vel alterius hominis salute, aut pro virtutis defensione occurrunt. Virtutis enim materia ordini contraria esse non potest.

253. *Nullæ sunt fortitudinis species.* Cum enim hæc virtus sit circa materiam omnino specialem, cujusmodi sunt mortis pericula, in plures virtutes specie differentes dividi nequit.

254. *Virtutes fortitudini adnexæ, sunt eæ quæ id quod fortitudo circa difficillima facit, in materia minus difficili imitantur.*

Quoniam vero fortitudinis actus duo sunt, aggredi periculum illudque sustinere, virtutes fortitudini adnexæ per hæc duo distinguuntur.

Ex parte primi actus, exsurgunt *fiducia* seu *magnanimitas*, et *magnificentia*.

Ex parte alterius, *patientia et perseverantia cum constantia*.

Magnanimitas ad opera magna et magno honore digna, in omni virtutum genere inclinatur. Quæ quidem non ipsum honorem appetit, sed operum magnitudinem et excellentiam, ratione cujus illa sunt honore digna.

Magnificentia intendit magnitudinem in externis artis operibus, quæ magnos sumptus requirunt.

Patientia animum confirmat in malis, ut rationis ordinem servet ac tristitiæ non succumbat.

Perseverantia hominem persistere facit in bono, quando ratio dicat, contra difficultates quæ ab ipsius operis diuturnitate consurgunt. Huic affinis est constantia, quæ animum obfirmat contra difficultates ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis provenientes.

255. Vitia fortitudini opposita sunt *timiditas, intimiditas, audacia*.

Timiditas est vitium excedens in timendo, et deficiens in audendo.

Intimiditas est justis timoris defectus.

Audacia seu temeritas est excessus in aggrediendo, si quis nempe aggrediatur malum quod aggredi non convenit, vel quando non convenit, vel quo modo non convenit.

256. Magnanimitati adversantur, per excessum quidem *præsumptio, ambitio, inanis gloria*; per defectum vero *pusillanimitas*.

Ambitio est inordinatus honoris appetitus.

Inanis gloria est gloriæ vanæ cupiditas.

Pusillanimitas facit ut quis refugiat ab operibus, ab honoribus, a gloria quæ sibi suisque viribus proportionata sunt.

Magnificentiae opponitur *ostentatio irrationabilis et indecora* in sumptibus faciendis, et *animi angustia* quæ operi magno pares sumptus non exhibet.

Patientiae contraria est per defectum *insensibilitas*, per excessum *impatientia*. Illa est defectus justæ ac moderatæ tristitiæ; ista excessus in tristitia supra eum modum quem patientia præscribit.

Perseverantiæ demum opponuntur *pertinacia et mollietates animi* cum *inconstantia*. Pertinax est qui manet in proposito, ubi non oportet et plus quam oportet; mollis,

qui a bono recedit propter tedium ortum ex defectu delectationum; inconstans qui facile mutat propositum ex tædio diuturnitatis.

ARTICULUS V. DE TEMPERANTIA

257. Temperantia est virtus quæ appetitum moderatur in iis quæ maxime alliciunt, cujusmodi sunt delectationes gustus et tactus.

Hinc 1^o ejus munus est ut in appetitione, usu ac delectatione eorum quæ sive gustum sive tactum afficiunt, ordo a ratione præscriptus servetur.

2^o Immediate proinde versatur circa concupiscentiam et delectationem, cui in sua determinata materia modum imponit.

3^o Honestatem quamdam peculiarem homini affert; excludit enim quæ ipsum maxime turpem efficiunt. Delectationes namque gustus et tactus sunt nobis cum brutis animalibus communes, quæ homine dignæ non sunt nisi rationis regulæ subjiciantur; quod si ab hac regula deficient, hominem a bono rationis violenter abducunt, eumque brutis similem efficiunt.

258. Temperantiæ species sunt *abstinentia*, *sobrietas*, *castitas*, ad quam ordinatur *pudicitia*.

Abstinentiâ significat proprie alimentorum subtractionem ultra id quod temperantia per se exigit; solet tamen accipi pro ipsa temperantia circa cibos, atque hoc pacto accepta definitur: virtus quæ cupiditates et delectationes ciborum juxta rationis regulam moderatur; iis videlicet utendo quantum valetudini et mentis officiis convenit.

Sobrietas est virtus quæ cupiditates et delectationes potus ad inebriandum apti, juxta rationis regulam moderatur; cavendo scilicet ne mentis ac judicii serenitatem perturbet.

Castitas est virtus quæ moderatur juxta rationis præscriptum concupiscentiam voluptatum carnis. Ad eam, ut dixi, ordinatur pudicitia, quæ moderatur actus externos quibus hujusmodi concupiscentia excitatur.

259. Virtutes temperantiæ adnexæ sunt *continentia*, *mansuetudo*, *clementia*, *modestia*.

Continentia est habitus voluntatis quo firmiter se tenet

in ordine a ratione præscripto, contra impetus licet vehementes concupiscentiæ, quibus ad carnis inordinatas voluptates impellitur.

Mansuetudo est virtus quæ iræ impetus juxta rationem refrenat.

Clementia est virtus quæ minuit vindictam de sonte sumendam.

Modestia est virtus coercens animi motus in rebus mediocribus, in quibus moderatio difficillima non est.

260. Modestiæ species sunt *humilitas*, *studiositas*, *modestia exteriorum motuum*, *modestia externi cultus*.

Humilitas animi appetitum temperat, ne inordinate ad excelsa quæ supra se sunt, tendat, sed intra ea quæ propriæ conditioni et humanæ vilitati conveniunt, coerceat.

Studiositas cognoscendi desiderium juxta rectæ rationis normam compescit.

Modestia quoad actus externos, decorum servat in externis motibus ac gestibus : quæ quum in jocis ac ludis versatur, *eutrapelia* dicitur.

Modestia cultus rerum externarum usum temperat, ut v. gr. in domestica suppellectili aut vestibus.

261. Temperantiæ adversantur *intemperantia* et *stupor*. Illa in gustus vel tactus delectationibus concupiscendis excedit; hæc delectationes hujusmodi fugit, quando secundum rectam rationem iis uti oportet.

Abstinentiæ et sobrietati opponitur *gula*, i. e. vitium in appetitione delectationis quæ est ex cibo et potu. Sub hoc vitio continentur tanquam species, *comissatio*, et *ebrietas*.

Castitati adversa est *luxuria*, quæ excedit rationis mensuram in appetendis carnis voluptatibus.

Continentiæ opponitur *incontinentia*, qua animus, rationis usu manente, concupiscentiæ cedit.

Mansuetudini contrariæ sunt *iracundia* et *lenitudo*. Illa est appetitus vindictæ ultra terminos a ratione præscriptos; hæc est defectus iræ quando secundum rationem irasci oporteret.

Clementiæ opponitur *crudelitas* et *inconsulta lenitas*. Illa excedit in puniendo modum; hæc pœnam convenientem irrationabiliter mitigat vel remittit.

262. Humilitati contraria est *superbia*, i. e. inordinatus propriæ excellentiæ appetitus.

Studiositati opponitur *curiositas* et *negligentia*. Prior est inordinatio per excessum in cognoscendi appetitu; posterior, inordinatio per defectum.

Contra modestiam motuum peccatur per excessum, quum quis in motibus exterioribus præscriptum rationis; i. e. convenientiam ad personas, loca, negotia transgreditur; per defectum, quum quis ex duritie vel rusticitate ad mensuram quam ratio præscribit, non pertingit.

Adversus modestiam cultus et per abundantiam et per defectum inordinatio contingere potest, ut patet.

LIBER SECUNDUS

ETHICA PARTICULARIS

SEU JUS NATURÆ

265. Hactenus de generali ethica dictum sit: veniamus modo ad ethicam particularem, ad jus videlicet naturæ per summa capita describendum. Quoniam autem naturæ lex alia præcipit individuis, alia societatibus quæ ex individuis coalescunt, alia magnæ gentium universarum societati, agendum erit 1° de jure naturæ privato; 2° de jure sociali; 3° de jure gentium.

CAPUT I

DE HOMINUM OFFICIIS

264. Prima disputatio in duas dividitur: 1^a hominis officia; 2^a jura considerat.

Quod ad primam attinet exponenda sunt: 1° officia hominis erga Deum; 2° officia erga seipsum; 3° officia erga ceteros homines.

ARTICULUS I. DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM

265. Officium in abstracto est *moralis obligatio ad certam aliquam actionem faciendam vel omittendam.*

In concreto est *actio aliqua prouti naturali lege præscribitur aut prohibetur.*

Officia porro erga Deum alia sunt *absoluta*, alia *hypothetica*. Illa dependent unice ex relationibus quas homo essentialiter habet ad Deum: hæc dependent præterea ex aliqua conditione quam sive Deus sive homo libere statuerit.

Ea officia erga Deum quorum exsecutio ad intellectum pertinet, vocari solent *theoretica*; quæ voluntate eique subditis potentiis explenda sunt, *practica*.

Propositio I

266. *Deo debetur in primis internus religionis cultus.*

Quæcumque enim sunt, a Deo sunt ut a primo rerum omnium principio, et ad ipsum ordinantur ut ad ultimum finem. Hæc sunt essentielles rerum omnium ad Deum relationes. Homo autem essentielles suas relationes suis liberis actibus exprimere naturali officio tenetur. Ergo tenetur eos actus exercere quibus et suam dependentiam a Deo ut a summo principio, et suam ordinationem ad Deum ut ad ultimum finem agnoscere potest ac fateri. His autem actibus continetur religionis cultus (246). Ergo.

267. Hinc Deo debetur 4° summus *honor*. Honor enim est testificatio excellentiæ alterius. Prima autem causa infinite hominem prætergreditur.

2° *Adoratio*, videlicet reverentia ut supremo rerum omnium domino.

3° *Fiducia* obtinendi ab eo bona quæ nobis conveniunt; ac propterea *oratio*, qua profiteamur eo nos indigere ut hæc bona assequamur, eaque ab illo postulemus.

4° *Timor*, quia summe potens est.

5° *Amor super omnia*, quia summe bonus est in se, summe beneficus nobis, et summum bonum nostrum.

6° *Acquiescentia in ejus voluntate ac providentia.* Deus enim summa sapientia ac bonitate, uniuscujusque bono prospicit.

7° *Devotio*, i. e. voluntas prompta ad exsequenda omnia quæ ad divinum cultum pertineant.

8° Hinc scelesti sunt qui religionis cultum Deo deferre contemnunt aut positive negant, quique blasphemiis, conviciis nempe ac maledictis, Deum inhonorant.

9° Absurda impietas est plures Deos colere, aut aliquid aliud præter unicum Deum divino cultu adorare. Ens enim supremum necessario unicum est.

Propositio II

268. *Homo divinæ voluntati in omnibus obtemperare debet, ac se et sua omnia in Deum aliqua ratione referre.*

Prob. 4^a pars.

Deus est primum hominis principium. Ergo supremus ejus dominus; homo autem essentialiter illi servus est. Præterea Deus est ultimus hominis finis ejusque gubernator. Ergo homo debet ad eum tendere per eos actus quos ille præcipit.

Prob. 2^a pars.

Homo relationem, quam ad Deum ut ad finem simpliciter ultimum (7) habet, suis actibus exprimere debet. Atqui finis simpliciter ultimus ille est, ad quem omnia quæ in ente sunt vel fiunt, referuntur. Ergo.

269. Notanda. 1° Ad hoc officium implendum sufficit ut omnes humanæ actiones ad Deum referantur saltem interpretative, ita videlicet agendo ut actio rationi sit consentanea (434, 2°).

2° Qui rem aliquam creatam Creatoris legi præfert, essentialem hominis ad Deum relationem facto negat, remque illam ut suum ultimum finem habet; proindeque graviter in Deum delinquit. Qui vero nullam rem Creatori præfert, sed solum aliquem suum actum in illum non refert, hic non negat essentialem hominis ad Deum relationem, neque cessat ad Deum tendere ut ad ultimum finem, sed solummodo a recto tramite aliquantum deflectit. Atque hæc est culpa levis.

Propositio III

270. *Homo, quum primum Dei notitiam acquirit, sedulo curare debet ut cognoscat ea omnia quæ ad hæc officia explenda necessaria sunt.*

Qui enim ad finem tenetur, tenetur quoque ad media necessaria, quum hæc adhibere potest. Homo autem tenetur ad explenda ea officia erga Deum, quæ supra commemoravimus. Ergo tenetur ad eas cognitiones sibi comparandas, sine quibus hisce officiis satisfieri nequit.

Hinc 1^o unusquisque, statim ac suspicari cœperit de Dei existentia, inquirere tenetur an Deus sit; ad quam inquisitionem natura ipsa nos adducit, ut alibi dictum est.

2^o Quærere quoque tenetur an Deus unus sit.

5^o Itemque an Deus sit humanarum actionum remunerator.

4^o Quum de aliqua actione dubitat an sit a Deo præcepta vel vetita, dubium deponere tenetur, antequam agat (225).

5^o Curandum cuique est ut primam ac rudimentalem Dei cognitionem, quam quisque facile haurit, quantum sive propria consideratione sive aliorum doctrina potest, perficiat et augeat; itemque ut officia saltem præcipua, quibus naturali lege adstringitur, mature addiscat.

Propositio IV

271. *Deo debetur cultus etiam externus.*

Cultus externus est interni significatio. Continentur autem motibus actibusque corporis quibus internos animi erga Deum affectus testamur, vocali Dei laude qua ejus infinitam magnitudinem ac bonitatem extollimus, ac sacrificiis et oblationibus quibus supremum ejus in nos dominium agnoscimus et profiteamur.

272. Prob. propositio.

4^o Cultus quem Deo ex naturali lege debemus, est cultus humanus, qualis nempe ex humana natura, si naturalem agendi modum teneamus, dimanat. Atqui talis cultus non potest esse tantummodo internus, sed etiam externus esse debet. Etenim homo est ita natura comparatus, ut quum

vehementior aliquis affectus animum occupat, hic in appetitum sensitivum redundet, ac dein vultu, vocibus, gestibus, motibus externis sponte exprimatur. Proinde cultus internus ita cum externo naturaliter est connexus, ut si illo tantum uti vellemus, natura ipsa nobis violenter cohibenda esset. Ergo naturalis lex non cultum solummodo internum, sed et externum præcipit.

2^o Adhibendum est ab homine illud subsidium sine quo interni cultus officia impleri nequeunt. Hoc autem interni cultus necessarium subsidium est cultus externus. Nam cum nos per sensibilia ad intelligibilia evehamur, in insensibili objecto mente affectuque consistere non possumus, nisi signis externis ad internos hosce actus nosmetipsos provocemus. Quod quidem ipsa experientia evidenter demonstrat. Nisi enim externis hisce actibus internus erga Deum affectus foveatur, illico frigescit, ac dein penitus extinguitur.

3^o Quemadmodum non solus animus, sed totum compositum ex anima et corpore a Deo dependet, ita testificatio nostræ a Deo dependentiæ fieri debet per actus compositi proprios, nempe per actus internos simul et externos.

4^o Demum homo non solum secreto Deum colere tenetur, sed quandoque tenetur etiam internos suos erga Deum affectus coram aliis profiteri, in eum præsertim finem ut pueros ac rudes ad Deum colendum suo excitet exemplo. Hoc autem fieri nequit, nisi internus cultus externis actionibus significetur. Ergo.

Per hæc ad ea omnia quæ adversus externum cultum objici solent, facile respondebis.

275. Animadvertite, naturæ lege hoc quidem præcipi, ut Deum cultu quoque externo colamus, idque prudenter, decenter, frequenter; modum vero et adjuncta hujus cultus non omni ex parte definiri, v. gr. qui ritus in externa adoratione adhibendi sint, quæ oblationes offerendæ, quo tempore, qua frequentia. Hæc igitur præfinitio vel prudenti cujusque judicio, vel lege aliqua positiva, vel divina aliqua revelatione fieri debet.

274. Officia erga Deum hypothetica exsurgunt, ut diximus, positis quibusdam conditionibus, sive ex parte hominum sive ex parte Dei. Præcipuæ ex his conditionibus sunt, ex parte quidem hominum, *votum*, et *jusjurandum*,

ex parte vero Dei, *revelatio* alicujus veritatis sive speculativæ sive practicæ.

275. Votum est *promissio Deo deliberate facta de bono possibilis et meliori quam ejus oppositum*. Manifestum est hominem, voto emisso, ad ejus implementum obligari. Si enim ex fidelitate tenemur ea quæ aliis hominibus spondimus, sancte servare, quanto magis quæ summæ majestati promisimus?

276. Jusjurandum est *invocatio divini Numinis in alicujus veritatis testimonium*. Potest esse *assertorium et promissorium*. Licitum porro est jusjurandum, si debito modo fiat. Ad quod tria requiruntur, ut nempe fiat cum *veritate, judicio et justitia*. Veritas postulat ut res quæ affirmatur, prudenter æstimetur vera; judicium ut quis non juret absque necessitate aut utilitate; justitia ut quod jurejurando confirmatur, honestum sit. Hæc postrema conditio juramentum promissorium respicit; in quo præterea requiritur, ut quod promissum est, suo tempore omnino fiat.

Perjurium est jusjurandum sine veritate. Quod quam grave scelus sit, quisque videt.

277. Quod ad revelationem attinet, his homo adstringitur officiis.

1º Si quis dubitet an Deus aliquid hominibus revelaverit, vel ultra legem naturalem præceperit, tenetur hac de re diligenter inquirere.

2º Si invenerit plures religiones quæ a Deo revelatæ dicuntur, investigare debet, an aliqua sit inter illas, quæ certis indiciis se a Deo revelatam probet.

5º Hanc ubi invenerit, eam integre et ex animo amplecti firmiterque tenere debet.

4º Si in religione quam a Deo revelatam esse constet, quædam contineantur, quorum intimas rationes humana ratio intelligere non possit, hæc quoque firmissima fide credere oportet. V. dicta in Logica (L. 244).

5º Hinc absurda est in religionis negotio *autonomia*, seu libertas moralis sentiendi de religione prout quisque vult.

6º Absurda quoque est *indifferentia* circa diversas religiones, ea nempe opinio quæ quamcumque religionem bonam ac Deo acceptam esse, et a quovis honeste eligi ac servari posse statuit.

ARTICULUS II. DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM

Propositio I

278. *Generale hominis erga seipsum officium est illud: amorem sui ordinatum esse oportere.*

Amor sui est quid innatum in nobis ac naturaliter necessarium; ex eoque ipse amor boni ac felicitatis pullulat. Amor igitur sui, quod ad rem ipsam attinet, ad hominis officia pertinere non potest. At *modus se diligendi* non est in nobis a natura, ut in irrationalibus animantibus, omnino determinatus; possumus enim nosmetipsos et juxta ordinem et contra ordinem diligere.

Juxta ordinem homo se diligit, si ex variis bonis inter quæ eligere potest, ea sibi velit quæ natura intendit, et eo ordine quo hæc bona a natura intenduntur. Nam si secus agat, malum bono præfert, vel quod in idem recidit, minus bonum magis bono, bonum apparens bono vero. Ac præterea injuriam facit Creatori cujus opus deturpat atque pessumdat.

Hoc igitur principium: *Dilige teipsum amore ordinato*, est generale hominis erga seipsum officium, a quo cetera hujusmodi officia deduci possunt. Quidquid enim circa nosmetipsos agimus, semper bonum aliquod nostrum quærimus. Si ergo semper recte bonum nostrum quæramus, recte semper nos circa nosmetipsos habebimus.

Propositio II

279. *Primum atque essenziale hominis erga seipsum officium est, ut absolute ac præ omnibus ad ultimi sui finis assecutionem contendat.*

Etenim homo ad ultimum tanquam ad supremum bonum a natura ordinatur. Qui ergo hoc summum bonum ceteris non præfert, inordinate se diligit; imo vero se odit potius quam diligit.

280. Hinc inferes 1^o ordinis a Deo præscripti custodiam, quæ est medium necessarium ad ultimi finis assecutionem

(51, 2^o; 485), esse bonum illud quod secundo loco, ex ordinato sui amore, homo appetere debet.

2^o Cetera hujus vitæ bona ordinate non appeti, nisi quatenus rationem habent medii ad ordinis a Deo præscripti custodiam.

Propositio III

281. *Sui conservatio naturæ lege unicuique præcipitur.*

Naturæ enim lex *negative* quidem præcipit ne quis mortem sibi ultro inferat, neve contra proprii corporis integritatem quidquam moliat; *positive* autem ut vitæ suæ eorumque quæ ad vitæ conservationem pertinent, convenientem curam habeat.

282. Primo igitur *voluntaria sui occisio ex se illicita est, nisi expressa divinæ voluntatis manifestatione honestetur.*

Etenim 4^o qui seipsum absque manifesto Dei nutu interficit, gravem Deo injuriam irrogat. Nam

a) Nemo potest absque Dei injuria, munus sibi a Deo demandatum, suo arbitrio deserere, atque ab officio sibi imposito se eximere. Sed qui seipsum interficit, ita se gerit. Hoc enim munus hominibus universis a Deo impositum est, ut unusquisque in hujus vitæ stadio virtuti excolendæ operam navet, Deique gloriam hoc pacto pro viribus promoveat, donec præfinitos a Deo per naturæ cursum vitæ suæ limites attingat, ac præmia piis parata assequatur. Qui autem sibi mortem consciscit, huic muneri ulterius satisfacere recusat, officium sibi impositum intolerabile arbitratur, præfinitum sibi ad faciendum virtutis periculum tempus obruncat, Deumque cultu quem adhuc ab eo sibi deferrari exigit, privat, atque injussu supremi ducis aciem stationemque sibi assignatam deserit. Ergo.

b) Deus qui humanæ vitæ essentialis est dominus, per naturæ leges ac providentiæ suæ ordinem, naturales vitæ terminos unicuique præfinit. Proinde dominium suum in nos non transtulit, sed sibi reservavit; nobis tantummodo vitam tanquam depositum credidit et in usum dedit, ut intentum ab eo finem assequeremur. Jam qui se inter-

ficat, de hoc vitæ deposito, absque domini facultate, ut dominus disponit. Nam ille solus qui rei dominium habet, destruere eam potest. Ergo qui se interficit, magnam vitæ domino injuriam irrogat.

2° Voluntaria sui occisio ordinato suiipsius amori vel maxime adversatur.

a) Qui enim contra naturalem inclinationem agit, bono convenienti se privat. Natura enim non inclinatur nisi ad bonum. Atqui inclinatio ad suiipsius conservationem non homini tantum, sed rebus omnibus naturalis est. Omne enim ens suis viribus naturaliter resistit contrariis; quod si secus esset, mundus diffunderet in chaos, et ad statum molecularem illico rediret. Unde ens quod naturaliter suam destructionem quæreret, esset omnino absurdum in ordine physico. Ergo.

b) Ad hæc: vita, quousque ab optimo providore Deo, homini conceditur, magnum proculdubio hominis bonum est. Qui ergo subducendo se ab ordine divinæ providentiæ, vitam abjicit, magno bono seipsum privat.

3° Suiipsius interfectio humanæ quoque societati, cuius naturaliter est pars, injuriam facit;

a) Quia illam membro utili privat: omnis enim actio honesta quam homo ille facturum esset, in societatis utilitatem cederet (95). Tenetur autem quisvis societatis utilitatem quantum potest promovere, tum quia pars debet concurrere ad bonum totius, tum quia beneficiis quæ in unumquemque societas confert, unusquisque pro viribus gratiam referre debet. Ergo.

b) Præterea pessimum civibus exemplum ac valde perniciosum relinquit. Si enim hæc inducatur persuasio, vel propriam vitam contemptui esse habendam quum gravior aliqua calamitas nos premit, nonne facile sibi homines persuadebunt, multo minus alienam vitam, si quando illa nobis incommoda sit, in pretio habendam esse?

285. Obj. 4° Actus fortitudinis est honestus. Sed voluntaria sui occisio est actus fortitudinis.

Resp. *Nego min.* Qui seipsum interficit, hoc intendit ut a malis quibus premitur, se liberet. Ergo non fortis sed timidus est et mali impatiens. Idcirco enim mortem eligit, quia malo quod perfert, tolerabiliorem illam esse existimat.

284. Obj. 2^o Volenti non fit injuria. Ergo qui se volens interficit, sibi injuriam non facit.

Resp. *Transeat maj. Dist. min.* i. e. non operatur contra propriam voluntatem, *conc.* contra proprium bonum, propriamque naturam, *nego*.

Nego quoque *suppositum consequentis*. Nam non sibi solum injuriam inferre homo potest, sed et Deo et societati. Jam qui se interficit, contra utriusque voluntatem operatur, ac proinde utrique facit injuriam.

285. Obj. 3^o Nulla fit naturæ injuria ab eo qui se vita privat. Nam

a) Homo se esse non amat, nisi ut sit felix. Sed quandoque homo tot tantisque malis premitur, ut de felicitate sit illi desperandum.

b) Licet unicum quod nobis supersit, malis nostris adhibere remedium. Sed quandoque unicum superest nobis remedium, mors.

286. Resp. ad 1. *Tr. maj. Nego min.* Nam hominis felicitas non est in hac vita speranda. Dum in hac vita sumus, ad felicitatem futuram merendam contendere debemus. Quæcumque autem mala nos opprimant, impedire nos non possunt, quominus futuram felicitatem mereamur; imo vero tunc maxime quum malis affligimur, magnam meritorum segetem per patientiam colligere possumus.

Ad 2. *Dist. maj.* malis nostris veris, *conc.* malis hujus vitæ, *subd.* si hoc remedium non sit iis malis pejus, et Deo injuriosum, *conc.* secus, *nego*: et *contradist. min.*, quæ etiam *negari* potest.

287. Obj. 4^o Beneficiis renuntiare possumus, præsertim si ea molesta nobis fiant. Sed vita est beneficium nobis a Deo concessum. Ergo vitæ renuntiare possumus absque Dei injuria.

Resp. *Dist. maj.* Beneficiis quæ nobis conferant plenum rei dominium, *trans.* beneficiis quæ nobis solummodo conferant rei usum, ac simul officia aliqua nobis imponant, *subd.* renuntiare iis possumus consentiente rei domino cui obligamur, *conc.* eo non consentiente, *nego*.

288. Obj. 5^o Saltem licitum erit violentas in se manus inferre, quum hoc unicum est medium ad peccatum vitandum.

Resp. *Nego* quod affirmatur ejusque *suppositum*. Pec-

cati enim non vita est causa, sed libera voluntas. Potest igitur peccatum vitari semper. Et quamvis valde probabile sit peccatum futurum, nullo pacto licet ad incertum peccatum vitandum, certum admittere.

289. Obj. 6^o Objicere se manifesto vitæ discrimini perinde est ac mortem sibi ultro inferre. Sed illud sæpius et licitum et laudabile est. Ergo.

Resp. *Dist. maj.* Si quis *directe*, in eo quod periculo se objicit, mortem intendat, vel absque justa causa se periculo objiciat, *trans.* si quis ex justa causa periculo se objiciat, et mortem nullatenus intendat, *nego. Contradist. min.*

Itaque qui dum periculo se objicit, mortem intendit, huic mors est voluntaria *directe* et *in se* (76, 72); hic ergo illicite agit.

Pariter si quis absque justa causa manifesto se exponat periculo, si effectum prævideat, mors illi erit voluntaria *in causa*; proinde hic quoque culpabiliter operatur.

Qui vero se exponit mortis periculo in hunc unice finem, ut officio nobiliori satisfaciat, ex ejus actione duo sequuntur effectus, alter est quod officio suo satisfacit, alter quod mortem incurrit. Igitur prior solummodo effectus, qui est in agentis intentione, est illi *voluntarius in se*, alter vero est præter ejus intentionem, ac nullo modo voluntarius (84, 82).

290. Ex negativo propriæ conservationis præcepto tenemur quoque *integritatem proprii corporis tueri, nec contra eam quidquam moliri.*

Debet enim homo sibi conservare omne id quod natura bonum illi esse censuit; secus ordinate seipsum non diligeret (278). Hinc mutilatio proprii corporis est ex se illicita; nisi ea ad vitam servandam medium necessarium sit.

291. Ad positivum propriæ conservationis præceptum hæc pertinent.

1^o Tenetur unusquisque, quantum illi permissum est, *valetudinis curam habere.* Hinc unusquisque cavere debet ab iis quæ natura sua eam perdere et vitare possunt; nisi altiori officio ad hæc subeunda urgeatur: ac præterea ad eam conservandam illa debet adhibere media quæ in ipsius potestate sunt. Ratio est, quia tenentur omnes efficere, ne se ad munia quæ supremus gubernator unicuique explenda

demandavit, ineptos reddant, neve a via quam ille singulis præfinivit, proprio arbitrio declinent. Ex his deducere potes, quæ regula servanda sit in tuenda valetudine.

2° Tenentur omnes ea *bona externa sibi comparare*, quæ ad vitam conservandam requiruntur; tum etiam studium et industriam adhibere, ut quæ proprio muneri explendo necessaria sunt, quantum valent, sibi procurent.

3° Naturæ quoque lex est, *ut boni nominis curam habeamus*, videlicet ut viri probi et honesti et in nostro munere explendo periti, veram existimationem apud eos quibuscum agimus, constanti vitæ nostræ ratione procureremus, conservemus, ac si quando ea amissa sit, recuperemus. Etenim bona existimatio majorem virtuti stabilitatem affert, fidem et amicitias conciliat, contra aliorum injurias validum est propugnaculum, et ad omnia illa emolumenta quæ societas probis honestisque viris confert, nobis aditum aperit: quandoque etiam necessaria est ad hoc ut proprio munere fungi atque ipsam adeo vitam sustentare possimus.

292. Quod *ad sui perfectionem* attinet, hæc sunt officia ex naturæ lege omnibus communia.

4° Tenetur homo et Dei et suorum officiorum eas sibi comparare cognitiones, quæ ipsum idoneum efficiant ad vitam juxta legis naturalis præscriptum peragendam. Hæc enim ad felicitatis assecutionem necessaria est conditio. Hinc curandum ei summopere est, ut conscientiæ judicia recta sint, aut saltem ab errore vincibili (224) libera.

2° In reliquis, intellectus cultura honesta est, si bona magis necessaria non impediat; at lex naturæ ea solum cognitionum suppellectili cujusque intellectum ornari jubet, quæ ad peculiaris sui muneris officia obeunda in sua quemque conditione idoneum efficiunt.

3° Præcipit naturæ lex, ut voluntatem promptam expeditamque ad omne id quod officium postulat, amplectendum, et ad omnem in actionibus nostris pravitatem vitandam, acquiramus et conservemus; et consequenter ut sensitivi appetitus cupiditates rationis ductu temperare ac coercere assuescamus.

4° Imperat proinde ut prudentiæ (233) ac justitiæ (244, 5°), fortitudinis (232) ac temperantiæ (237) habitus acquirere et in dies perficere pro viribus studeamus.

ARTICULUS III. DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS

293. *Officiorum erga alios fundamentum est relatio naturalis æqualitatis.*

Si enim omnes homines natura sunt æquales, ordo postulat ut unusquisque ita se gerat erga alios homines, sicut se gerere debet erga scipsum. Hinc unusquisque diligere ceteros debet sicut semetipsum; videlicet ea mala quæ sibi inferri non vult, aliis inferre non debet, illudque bonum quod sibi vult, ceteris velle tenetur. Hinc omnia officia hominis erga alios ad illa duo celebria effata revocantur: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: Quod tibi fieri vis, alteri fac.*

Officia quæ prius effatum complectitur, perfectis aliorum juribus respondent, atque officia dicuntur *justitiæ*; ea quæ complectitur alterum, imperfectis respondent juribus, ac vocantur officia *humanitatis et beneficentiæ*.

Humanus porro appellatur qui alios juvat absque suo incommodo aut rerum suarum detrimento. Beneficus qui opem fert indigenti non sine aliquo suo incommodo vel detrimento.

294. Notanda. 1^o Non idem est ceteros diligere *sicut semetipsum*, et *quantum semetipsum*. Primum enim significat velle aliis ac nolle illud ipsum quod nobis volumus aut nolumus; alterum vero velle aliis hoc aut nolle, æquali affectus intensitate. Jam vero primum ex ordinis lege consequitur, alterum nequaquam; imo vero physice impossibile est. Si enim ceteris æquales natura sumus, nobiscum sumus unum idemque.

2^o Hinc quum æqualis est necessitas aut æquale periculum, non est contra mutæ caritatis officium, si quis prius sibi provideat quam alteri.

295. Officia justitiæ alia ex una naturæ consideratione fluunt, alia præterea ex facti alicujus suppositione consequuntur: alia item omnes homines respiciunt, alia non omnes, sed diversos, pro jurium quibus pollent, diversitate. Hoc loco præcipua tantum referimus quæ ex sola naturæ consideratione fluunt, quæque omnes homines respiciunt; cetera ex dicendis in sequentibus colligentur.

4^o Homicidium, i. e. mors alteri illata directe et absque jure, naturali legi omnino repugnat. Ratio est manifesta ex dictis (282, 295).

2^o Eidem adversatur mutilatio, vulneratio, dolor quicumque sine justa causa alteri inflictus. Ratio ex eodem fonte aperte deducitur (295).

3^o Nefas est alterum rebus ad vitam conservandum necessariis privare.

4^o Nefas alterius bonum nomen lædere, sive *contumeliis* sive *detractione*. Est autem contumelia *injusta honoris diminutio*; detractio, *injusta famæ læsio*. Illa fit palam contra presentem, hæc furtim et in absentem: utraque verbis potissimum continetur. Injusta est utraque, nisi præstantioris boni causa fiat.

5^o Damnum quod alteri voluntario intulimus, est a nobis reparandum. Hoc postulat justitiæ æqualitas (94, 244).

6^o Nemo decipiendus. Hinc illicitum mendacium; i. e. *locutio contra mentem*. Cujus inhonestas etiam ex eo deducitur, quod mutua fides veracitati innititur; veracitati autem humana societas. Quanquam autem mentiri illicitum est, non est tamen illicitum iis uti verbis, quæ veritatem occultent, etiamsi alter exinde occasionem sumat aliter credendi, si quando id justa aliqua causa requirat.

7^o Exsecrandum scelus est, alterius mentem pravis opinionibus inficere, aut voluntatem ad peccandum pertrahere. Hæc enim hominem a summo suo bono directe avertunt.

8^o Demum illicitum est odio habere quemquam, quamvis ille homo malus aut nobis inimicus sit. Malitia enim aut prava in nos voluntas naturæ similitudinem non aufert. Vitia quidem et quiquid naturam humanam deturpat, abominari et insectari honestum est; homo semper diligendus.

Propositio

296. *Officia humanitatis et beneficentiæ naturæ jure generatim omnibus præscribuntur.*

Nam 4^o ceteros diligere debemus ut nosmetipsos. Dilectio autem qua nosmetipsos prosequimur, non in eo solummodo sita est, quod nobis malum non inferimus,

sed etiam in eo quod bonum nostrum et volumus et pro virili procuramus. Ergo.

2° Officia hæc nobis præcipi demonstrant naturalis illa hominis ad hominem propensio, -iique commiserationis sensus qui, aliorum malis perspectis, sponte in omnium animis cientur, et ineffabilis illa dulcedo qua post benefacta in alios collata perfundimur, et magna illa voluptas quam experimur, quum ab aliis nos diligere perspicimus. Hæc enim omnia incitamenta sunt, quibus ipsa natura nos ad bene faciendum extimulat.

3° Nemo est qui sibi soli sufficiat, nemo qui aliorum ope atque auxilio in plurimis non indigeat. Mutuam ergo bonorum communicationem natura intendit.

4° Demum quemadmodum corpus humanum conservari nequit, nisi omnia membra sibi invicem opitulentur, ita humana societas consistere nequit, nisi hac beneficiorum commutatione ad commune bonum unusquisque conspiret.

297. Tria hic notanda sunt, quorum primum spectat ad benefaciendi obligationem qua in particularibus adjunctis tenemur; alterum ad conditiones servandas in beneficiis elargiendis; tertium ad gratiam qua accepta beneficia retribui oportet.

298. De obligatione benefaciendi hæc tenenda sunt, quæ ex ordinis principio non difficulter colliguntur.

1° Quicumque homini in extrema necessitate spirituali posito, certam opem ferre potest, eum juvare tenetur, etiam cum aperto vitæ discrimine, dummodo majus inde malum non consequatur.

2° Ei qui in extrema necessitate versetur subvenire tenemur, ex iis quæ nobis prorsus necessaria non sunt ad servandam vitam.

3° In gravi alterius necessitate, quum videlicet gravis mali periculum ei imminet, succurrendum est indigenti, ex bonis quæ naturæ conservationi et status nostri honestati superflua sunt.

4° In communibus pauperum necessitatibus, e superfluis statui opem iis ferre tenemur; non quidem ita ut omnibus omnium necessitatibus provideamus; sed juxta ejusmodi mensuram, quæ si ab omnibus divitibus pro suarum facultatum ratione adhiberetur, omnium pauperum indigentis provisum foret.

299. Conditiones in beneficiis elargiendis servandæ ad binas hasce revocantur.

1^o Spectanda est vera alterius utilitas. Beneficia enim si verum hominis bonum impediunt, si vitia aut desidiam foveant, si a salutaribus pœnis liberent, non beneficia profecto sed maleficia sunt.

2^o Ordo debitus servandus, quum æqualis est in pluribus necessitas. Videlicet consanguinei, propinqui, familiares ceteris præferendi, itemque benefactores et amici iis quibus nihil acceptum debemus, civesque extraneis, et digni indignis.

500. Quod ad gratum animum attinet, ejus necessitas est manifesta. Si enim omnes homines diligere, omnibus benefacere debemus, quanto magis iis qui in nos beneficii extiterunt (91)? Hinc ingratum animum merito omnes execrantur. Tantum enim est vitii hujus cum natura, non dicam rationali, sed sentiente repugnantia, ut ipsæ feræ ab eo abhorrere videantur.

Triplex est gratia. Alia memori habetur animo, alia agitur verbis, alia factis refertur. Prior autem, si sola maneat, est inutilis; altera si a prima sejungatur, mendacium est. Igitur prima et altera conjunctæ necessario requiruntur: quum vero facultas datur, tertiam quoque accedere convenit.

CAPUT II

DE HOMINUM JURIBUS

501. Consideranda deinde sunt hominum jura. Quæ consideratio quæstiones continebit septem. Dicendum enim est 1^o de jure in genere; 2^o de præcipuis jurium divisionibus; 3^o de jure dominii in res externas; 4^o de contractibus; 5^o de jurium defensione per vim; 6^o de injuriæ vindicta; 7^o de duello.

ARTICULUS I. DE JURE IN GENÈRE

502. Jus, prout personæ attributum significat, est *potestas moraliter inviolabilis*.

1° Est potestas quæ se habet vel ad modum potentiæ activæ, ut est jus ad aliquid agendum, acquirendum, retinendum, vel ad modum potentiæ passivæ, ut est jus ad alimentum, ad protectionem, ad alterius servitutem.

2° Est potestas moraliter inviolabilis; cui videlicet respondet in aliis hominibus moralis obligatio, quæ eos impedit quominus illi resistant illamve impetant, atque adeo cogit ut eam revereantur, eique se subjiciant.

Unde patet 3° juris originem eandem ac obligationis esse; nimirum ordinem naturali lege præceptum. Quemadmodum enim ordo facit ut huic conveniat sine impedimento aliquid agere vel habere, ita facit quoque ut ceteris conveniat ejus potestati cedere. Proinde lex naturalis per hoc quod vetat id omne quod ordini contrarium est, et hoc ad non resistendum obligat, et jus in illo solidat atque inviolabile efficit.

4° Hinc vis qua quis moralem obligationem contemnens, jus impetit aut ei resistit, quanquam ejus exercitium impedire potest, jus tamen ipsum minime destruit. Hoc enim cessare nequit, nisi aut ordo realis cui innititur, immutetur, aut voluntas quæ illud possidet, ei sponte renuntiet.

5° Finis jurium est, ut bonum ordinis quod Creator intendit, libere asequi possimus. Igitur ad ea quæ cum ordine pugnant, jus nullum esse potest.

503. Ex his colliges quid sit juris *subjectum* et *terminus*, *materia* et *titulus*.

a) Subjectum est persona in qua est jus. Dixi personam; nam ad eum qui jus habet, alii obligantur. Obligatio autem haberi nequit nisi ad ens intelligens.

b) Terminus est persona quam jus respicit; quæ videlicet morali obligatione adstringitur ne jus violet.

c) Materia, seu objectum, est aliquid agendum, retinendum, acquirendum, habendum, quod naturæ lege præcipiatur aut suadeatur, aut in nostra potestate relinquatur.

d) Titulus seu fundamentum est factum aliquod, quod spectatum in ordine morali producit vi ordinis in subjecto jus ad certam quamdam materiam, et in termino obligationem; v. gr. emptio.

504. Sunt qui contendant officium a jure gigni; sunt etiam qui sentiant ab officio gigni jus. Neutri tamen parti absque distinctione assentire licet.

Si enim de jure divino et officio humano sermo sit, proculdubio *jus divinum omnis officii causa est*. Omnis enim moralis obligatio ab infinito supremi legislatoris jure imponitur.

Juris humani inviolabilitas est ab imperio, quo Deus ordinem servari præcipit, perturbari vetat, officiumque imponit, quo alienæ facultatis exercitium impedire prohibemur. Proinde *juris humani inviolabilitas officio hominibus imposito est ratione posterior*.

Quod si spectetur jus humanum et officium illi respondens, *præcisione facta a divino præcepto*, utrumque ab ordine gignitur, ut dictum est (502, 5^o); nihilominus *ratio quæ facit ut sit juxta ordinem facultas illa quæ dicitur jus, prior est ratione quæ facit ut sit inordinatum illi resistere*.

Propositio

505. *Hominum jura æqualia non sunt: omnia tamen jura sunt æqualiter inviolabilia.*

Prob. 1^a pars.

Homines secundum essentiam sunt naturaliter æquales. Hinc jura omnia quæ ipsi inhærent essentiæ, sunt in omnibus æqualia. Hoc pacto omnes homines æquale jus habent tendendi ad ultimum finem, exercendæ virtutis, vitæ sustentandæ, et cetera hujusmodi.

At si homines spectentur secundum individuales qualitates quibus essentia in singulis determinatur, proculdubio, etiam naturaliter, inæquales sunt. Nam filius v. gr. ut filius, est a patre dependens ut a causa; facultates item agendi in diversis diversæ sunt; alius enim est alio fortior, alius alio ingeniosior, alius alio prudentior; hinc etiam singulorum operationes et effectus varietatem habent;

denique officia quoque pro personarum atque adjunctorum varietate varia sunt. Ex his autem omnibus jura quædam prodeunt (502, 4^a; 505, c). Manifestum est ergo, jura in hominibus, etiam naturaliter, æqualia non esse.

Prob. 2^a pars.

Omnia jura ab eodem fonte inviolabilitatem suam hauriunt, ab ordine videlicet qui divina lege servandus præcipitur. Ordo autem divina lege præceptus omnes homines æque obligat. Ergo omnia jura sunt ab omnibus æque inviolabilia.

506. Collisio jurium contingit in jurium usu, quum nempe duo jura opposita ita in conflictum veniunt, et *usus unius alterius usum impediat*.

Quotiescumque autem hoc contingit, fieri nequit ut jus utrumque vim suam in iis adjunctis licite exserat. Si enim hoc fieret, concludendum esset, ordinem tam unius quam alterius juris possessorem obligare ad alterius facultatem agnoscendam ut inviolabilem, ac simul ejus violandæ potestatem utrique facere; quod profecto absurdum est. Igitur si bina jura quæ in conflictum veniunt, ejusdem prorsus roboris esse ponamus, uterque possessor a sui juris usu prohibebitur. Si vero alterutrum altero debilius est, hoc validiori cedere debet. Jus namque validius, cum majori obligandi vi polleat, juris alterius vim elidit, ejusque possessorem obligare pergit. Hic ergo nequit illi resistere: proinde jure suo uti nequit.

In hac tamen collisione jus debilius non exstinguitur, sed ejus duntaxat exercitium suspenditur, donec collisio cesset.

507. Juris autem majus minusve robur non ex vi physica qua defendi potest, sed secundum rationem est æstimandum. Obligatio enim quæ juris validitatem constituit, est necessitas secundum rationem.

Jam 1^o obligatio quam jus alterius infert, major est, quo *materia* juris majoris momenti est, videlicet, quo bonum obtinendum est majus. Hoc pacto jus ad vitam sustentandam majus est jure domini in res externas non necessarias.

2^o Validius est jus, quo universalior est *ordo* a quo gignitur. Ordo enim universalior particulari præcellit. Sic jus plurium vel totius societatis juri unius individui, ceteris paribus, prævalet.

Demum validius est jus, quo evidentior est ejus *titulus*. Titulus enim juris cogitus obligationem ei se subjiciendi producit.

ARTICULUS II. DE PRÆCIPUIS JURIIUM DIVISIONIBUS

508. Dividitur jus 4^o in *perfectum et imperfectum*.

Jus perfectum est illud cujus possessor potest licite vim adhibere ad cogendos eos qui illi satisfacere renuunt.

Imperfectum est, cujus possessor vim coactivam licite adhibere non potest.

Jura perfecta respiciunt omnem proprietatem, videlicet libertatem, dominium et creditum. Imperfecta eas indigentias quibus respondent officia humanitatis et beneficentiæ (296).

509. Notanda duo. 1. Jus imperfectum fieri potest perfectum, ut in extrema necessitate, vel quum contractus aliquis intercesserit.

2. In statu civili vis coactiva ab ipso juris possessore exerceri nequit; sed ei solum competit *actio* qua apud judicem quod suum est, reposcat.

510. 2^o Jus aliud est *alienabile*, aliud *inalienabile*.

Alienabile est illud quod quis remittere potest et in alium transferre; ut est jus proprietatis in domum vel frumentum.

Inalienabile quod remitti nequit et in alium transferri. Hujusmodi est jus omne quod necessarium sit ad aliquod officium explendum.

511. 5^o Attendenda est nobis potissimum juris divisio in *congenitum et acquisitum*.

Jus congenitum est illud cujus titulus est ipsa hominis natura et existentia.

Acquisitum, cujus titulus est factum ab homine positum.

Propositio

512. *Esse jura quædam homini congenita, manifestum est.*

Etenim homo ex ipsa sua essentia facultates quasdam a natura accipit, ut iis in suum bonum utatur; rationem

præterea habet, qua suarum facultatum usum moderetur; habet et finem quo tendere debeat; pluribus denique officiis tum erga Deum, tum erga semetipsum, tum erga alios adstringitur. Ex his autem omnibus plura exsurgunt jura (302, 4^o; 303, c). Ergo.

Neque obstat illud, hominem antequam ad rationis usum pertingat, sua jura æque ac officia penitus ignorare. Inde enim nullatenus deduci poterit eum statim ac ad existentiam venit, sicut officiis non subditur, ita juribus nullis instructum esse. Etenim ad hoc ut quis officio teneatur, requiritur ante omnia ut officium cognoscat: voluntas enim obligari nequit, nisi per legem ordinis quæ ab intellectu proponitur. Ad hoc ergo ut quis officio obligetur, usus rationis præcedere debet. Ast ad hoc ut quis jure sit instructus, solum necesse est ut ceteri qui jus illud revereri debent, legem ordinis cognoscant eaque obligentur. Quare is qui nondum ad rationis usum pervenit, aliquibus juribus pollere potest.

513. Jura porro ingenita sunt

1^o *Jus tendendi ad ultimum hominis finem.* Ex quo dimanat

a) Jus ne intellectus impediatur a summi boni cognitione, aut pravis opinionibus imbuatur;

b) Jus implendi omnia officia et exercendi omnem virtutis actum qui ad finem illum adducere possit;

c) Jus ne voluntas a virtutis amore retrahatur, sive per metum sive per vitii illecebras quæ cupiditates virtuti contrarias incendunt.

2^o *Jus ad vitæ conservationem.* Omnes enim naturali officio tenentur et ad propriam vitam conservandam (284) et ad aliorum vitam non impetendam (295). Ergo est in unoquoque jus ad propriæ vitæ conservationem. Hinc inest unicuique

a) Jus utendi rebus quæ ad vitam conservandam sunt absolute necessariæ, ut sunt aer, esca, potus, somnus aliaque hujusmodi;

b) Jus arcendi quæ vitæ exitium aut detrimentum valetudinis inferre possunt;

c) Jus ad bonum nomen conservandum, tuendum.

3^o *Jus ad sui perfectionem,* quod exigit

a) Ut nemo perfectioni intellectus impedimentum apponat per deceptionem ac mendacium;

b) Ne impediatur intellectus ab inquisitione veritatis et ab augenda cognitionum suarum suppellectili, nisi hæc cura alieno juri aut majori bono adversetur;

c) Ut nemo virtutum quæ singulis conveniunt, exercitium et incrementum impediatur;

d) Ut nemo impediatur ab eligendo eo vitæ genere iisque studiis atque exercitationibus, quas sibi melius convenire arbitrabitur; si tamen ad hoc judicium et electionem idoneus censi possit;

e) Ut indigentium necessitatibus ceteri subveniant. Huc pertinent officia humanitatis ac beneficentiæ;

f) Ut nemo alterum privet voluptate qua licite frui potest, aut alterius sive animo sive corpori dolorem inferat absque causa quæ cum ordine congruat.

4° *Jus independentiæ* in licito suarum facultatum exercitio. In quo jure plurima sane ut quisque perspicere potest, comprehenduntur. Vi enim hujus juris potest quilibet operari omne id quod suum bonum esse judicat, nec licite impediri potest alterius arbitrio aut malevolentia aut alia quavis cupiditate, sed solum jure validiori quod cum hoc independentiæ naturalis jure in conflictum veniat.

5° *Jus defensionis*, quo resistimus eis qui absque justa causa malum nobis inferre tentant, ut ab injuria abstineant vel desistant. De quo mox.

514. Jura acquisita dimanare possunt

1° *Ex propriis actionibus licitis*. Huc pertinent

a) Jus exercendi honestas artes quas quis didicit;

b) Jura dominii ex occupatione;

c) Jura paternitatis.

2° *Ex actione alterius*. Hujusmodi sunt

a) Jus quod exurgit ex injuria vel damno injuste illato; jus videlicet inferendi vim ut injuria ac damnum reparatur, vel ut nocendi potestas in posterum auferatur;

b) Jura filiorum.

3° *Ex actione propria et alterius*, ut

a) Jus omne quod ex pactis et contractibus oritur;

b) Jura dominorum, principum, magistratuum, eorumque qui iis subsunt; de quibus omnibus dicitur in sequentibus.

ARTICULUS III. DE RERUM EXTERNARUM DOMINIO

345. Dominium est vox analoga, quæ distingui solet in dominium *proprietatis*, et *jurisdictionis*. Dominium jurisdictionis est potestas in homines; dominium vero proprietatis, de quo loquimur, est *jus in re se porrigens ad omnem rei usum et dispositionem ex arbitrio proprio, ceteris exclusis*.

1^o Est jus in re; nam qui dominus est, ipsam rem sibi obligatam habet. Hæc rei conjunctio cum domino dicitur *proprietas*.

2^o Proprietas ceteros ab usu rei excludit. Quum enim plures in re jus habent, res non est propria alicujus, sed *communis*.

3^o Rei dominus uti potest ac disponere de ipsa rei substantia, operando circa ipsam, vel eam consumendo, vel destruendo, et de iis quæ rei substantiæ accedunt; insuper percipere potest emolumenta omnia quæ ex usu rei proveniunt et fructus quos illa profert.

4^o Hinc divisio domini in *plenum* seu *perfectum*, et *semiplenum* seu *imperfectum*. Plenum complectitur omnes domini partes seu jura specialia in illo contenta; videlicet rei proprietatem, emolumenta ex usu, et jus percipiendi fructus: semiplenum est quod uno aliquo ex his juribus caret. Hoc vero aliud est *directum*, quod sola rei proprietate continetur, aliud *utile*, quod absque rei proprietate, vel usum vel fructum habet, vel conjunctim usum-fructum.

5^o Possessio est actualis occupatio vel detentio rei, et a dominio distinguitur, ut juris exercitium ab ipsomet jure. Proinde amissa possessione, non idcirco admittitur dominium.

Propositio I

346. *Si purum jus naturæ consideretur, omnia sunt omnibus communia negative, non vero positive; sive homines collective considerentur, sive singillatim.*

Etenim res omnes externæ in omnium hominum usum factæ sunt; natura vero nihil singulis ut proprium attri-

buit; neque ex sola naturæ lege deduci ullo pacto potest, hoc aut illud in illius potius quam in hujus usus esse paratum. Igitur ex solo naturæ jure res sunt *potentia* omnium, *actu* nullius; atque hæc est communitio naturæ *negativa*.

317. Communitio vero *positiva* ex naturæ jure haberetur, si natura toti hominum communitati jus in omnia actu concessisset. Hoc vero dupliciter intelligi potest: primo quod omnia terræ bona omnibus hominibus collective tanquam unum et indivisum patrimonium ipso naturæ jure pertineant, ad quam opinionem plures ex veteribus jurisperitis accedere videntur; secundo, quod singuli homines jus a natura acceperint in omnia, cum facultate ceteros excludendi a cujuscumque rei usu, quod fuit Hobbesii deliramentum.

318. Jamvero prima opinio omnino falsa est. Nam

1^o Valde improvida fuisset natura, si dominium unice ad hominum communitatem pertinere voluisset. Si enim omnia communiter possiderentur, confusio ingens rerum administrationem perturbaret, ac maxima hominum pars rei communis procurandæ laborem ceteris relinqueret; unde et ipsa procuratio valde negligenter fieret, *quæ enim communiter fiunt, communiter negliguntur*, ut vetus fert adagium, et infinitis querelis, jurgiis, discordiis latissimus aperiretur aditus, neque paci neque justitiæ locus ullus superesset.

2^o In hac hypothesi vel potuisset unusquisque partem aliquam ex communibus bonis juxta suam suorumque indigentiam occupare, vel secus. Si dicatur primum, jam natura non bonorum communionem sed proprietatem intendit; si alterum, profecto natura sibi contradiceret; nam ex una parte jus homini tribuisset ad ea quæ vitæ conservandæ necessaria sunt, ex altera vero hoc jus illi negasset. Ergo.

319. Hobbesii opinio est penitus absurda.

Nam 1^o indigentia ejusque finitæ sunt; nec profecto ut iis satisfiat, omnia terræ bona requiruntur. Stulte ergo egisset natura, si hisce indigentis explendis omnia terræ bona singulis ut propria attribuisset.

2^o Stultissima etiam ex eo fuisset natura, quod singulis hominibus ea jura dedisset quæ se mutuo eliderent ac

destruerent. Facultas enim quam ceteri ut inviolabilem agnoscere ac revereri naturæ lege non teneantur, jus non est (502). Juxta Hobbesium autem singuli essent omnium domini, ac nemo teneretur alterius dominium agnoscere ac revereri, imo omnes ex naturæ præscripto illud perpetuo violare possent ac deberent. Itaque si res se haberent uti Hobbesius commentus est, nullum hominibus jus natura dedisset; ac si quod esset inter homines jus, hoc solum in vi prævalente consisteret.

520. Communistarum opinio est, proprietatem omnem injustam esse ac verum latrocinium; cunctaque bona naturali jure positive communia esse, proinde statum hominum naturæ conformem hunc esse, ut singuli cives de proprio lucro nihil cogitantes, communi solummodo bono promovendo adlaborent; ii vero qui reipublicæ præsumunt, suam singulis de communibus bonis partem, pro cujusque indigentia, tribuant.

Propositio II

521. *Hujusmodi bonorum communionem ac distributionem, quæ solum in piis quibusdam hominum cætibus in quos communistæ implacabile odium susceperunt, viget ac vigere potest, in humana societate universe constitui posse ac debere, perabsurde affirmatur.*

Nam 1^o qui forent indigentia qua quisque laborat, aestimatores? Non sane singuli cives: nam in propria causa nemo æquus est judex. Essent igitur seligendi iudices qui de singulorum necessitatibus inquirent. Ast huic muneris nulla horum sagacitas aut industria satisfacere posset, totaque civitas invidia, querelis, discordiis repletur, ac brevi dissolveretur.

2^o Bonorum divisio, si solum ad indigentia mensuram fieret, injusta esset. Nam majoribus vel nobilioribus laboribus major debetur retributio, et præcellentioribus meritis majus præmium. Præterea etiam ubi opera esset materialiter æqualis, non esset æqualis in singulis laborantibus labor nec par animi molestia: hæc enim ex cujusque viribus, ingenio, propensionibus ac vario animi corporisque statu aestimanda sunt. Quod si ad laborum ac

meritorum normam distributio exigetur, jam maximæ quidem civium parti ex iis quæ acciperet, nihil superesset, pluribus vero, qui ultra necessitatem acciperent, superesset multum. Atque hoc pacto bonorum inæqualitas et proprietas et conditionum varietas et herilis potestas ac servitus, ex ipsa justitiæ lege, statim inducerentur.

3º Ipsa ingeniorum moralis varietas ad hanc bonorum communitatem evertendam sufficeret. Nam cum inter homines alii in rerum usu sibi temperare nesciant, alii vero temperanter ac sobrie vivant, ii quidem sportulam quam accepissent, totam quotidie obligurirent; hi vero ejus partem absumerent, partem sibi reservarent. Hinc inter avidiores et temperantiores contractus fieri inciperent, in quibus pro varia hominum perspicacia et industria, varia quoque fortuna esset.

4º His adde quod cum universi laboris individualis fructus in commune conferri deberent, omnis ad laborem stimulus deficeret. Laboris enim stimulus est necessitas et lucri spes. Maxima igitur pars negligentissime commissas sibi partes exleret, requiem sibi quærens atque aliorum labori confidens. Sic omnis industria elanguesceret, artes et commercia deperirent, sublatisque omnibus adminiculis ex quibus populorum opes ac felicitas dimanant, humana societas in imam barbariem prolaberetur.

5º Demum societas, qualem communistæ comminiscuntur, naturalem hominum independentiam et dignitatem fæde proculcaret. Ad eam enim regendam ac sub ferrea æqualitatis lege continendam, necessaria esset ejusmodi vis, quæ homines a propria utilitate conquirenda perpetuo prohiberet, et ad omnem suam activitatem in communem utilitatem conferendam compelleret, eosque ad laborem quem plerique omni ope declinare contenderent, adigeret, ac datæ sibi fructuum parti acquiescere cogeret. Hujusmodi vero regimen quid aliud esset nisi inaudita quædam ac plane intoleranda tyrannis? Quid aliud forent communistarum civitates quam frementium mancipiorum ergastula? Præclarum sane spectaculum, videre exosos quosdam magistratus, duplici exercitu, altero scribarum, altero lictorum stipatos incedere, et cives usquequaque conquirere, ac tanquam servile pecus ad laborem quotidie compellere!

Propositio III

322. *Proprietas ab humanis legibus repetenda non est.*

Nam 1^o Hæc opinio falso innititur fundamento, videlicet omnia bona principio fuisse positive communia. Si enim non ponas sub humanæ societatis dominio omnia fuisse posita jure naturæ, jam societas nemini quidpiam ut proprium tribuere poterat: nemo enim potest alteri dare quod suum non est.

2^o Si res ex naturæ jure solum negative communes sunt, certe res quælibet sub uniuscujusque dominium venire poterat, sed actu nullius erat. Igitur unusquisque arbitratus suo occupare poterat, natura ipsa permittente et absque ullius injuria, quidquid sibi opus esse judicaret. Nulla ergo necessitas ut hoc a societate acciperet, vel ut ullius consensum exspectaret.

Propositio IV

323. *Proprietatis jus repetendum primo est a congenitis hominum juribus, accedente occupatione.*

Præter jus propriæ conservationis, congenitum est homini jus ea omnia subsidia sibi comparandi, quæ ad vitæ conservationem et commoditatem necessaria sunt vel opportuna (315., 2^o). Atqui in hunc finem homo pluribus indiget: multa enim ad quotidianas cibi et potus, ad vestiendi, ad habitandi necessitates, multo vero plura ad justam commoditatem requiruntur. Non potest autem homo uti rebus in genere, sed res individuas adhibeat oportet. Res vero individuae quæ ab uno adhibentur, ab alio adhiberi nequeunt. Quisque igitur jus habet excludendi ceteros ab usu earum rerum, quas ut in suos usus adhiberet, occupavit. Jus autem utendi quibusdam rebus in proprium bonum, ceteris exclusis, dominium est. Ergo ex jure congenito propriæ conservationis, accedente rerum occupatione, dominium gignitur.

324. Ast homo jus habet non solum satisfaciendi præsentibus necessitatibus, sed etiam prospiciendi futuris. Hoc

enim prudentia in primis postulat : sæpe enim abundantiae annis anni penuriae succedunt, et quæ hyemis v. gr. tempore necessaria erunt, æstate paranda sunt. Præterea misera nimis vita foret, si victum, vestem, tugurium in dies conquirere et ea solum quæ temere quærentibus occurrerent, in nostros usus convertere cogere. Quod si hoc vitæ genus natura postularet, næ illa homines ad perpetuam damnasset barbariem : qui enim ejusmodi vitam vivunt, ab omni humanitate ac civili cultu remotissimi sunt, nullisque artibus ac disciplinis dare operam, nec religionis officii ut par est, vacare possunt, quemadmodum experientia compertum est.

Igitur jus homini inest, non solum ut quæ immediate necessaria sunt, quasi e naturæ manu apprehendat, sed etiam, quotiescumquo hoc fieri possit absque alterius injuria, ut stabilem sibi suæque familiæ sedem quærat, et certum agrum occupet, et gregum armentorumque subsidia sibi vindicet, ceteris ab earum rerum usu jugiter exclusis. Sic *stabilis proprietatis jus* oritur, primo indeterminate a juribus congenitis providendi futuris necessitatibus et incumbendi ad animi cultum; determinate vero ab occupatione.

525. Quod si occupationi agrorum cultus accedat, qui quidem multiplicatis hominibus necessario adhibendus est ut tellus omnibus sufficiat, et in certa sede quam quis occupavit, domum exstruat, et animalium greges proprio labore curet ac nutriat, novus exsurget stabilis proprietatis titulus. Si enim homo non alteri propter mercedem, sed sibi laboret, manifestum est laborum fructus ad laborantem pertinere. Fœcunditas autem quam æger ex hominis cultura acquirit, et domus ædificatæ commoditates et gregum uberes fœtus laborum ejus fructus sunt. Novo igitur jure stabilem proprietatem, domini operatio confirmat.

526. Generatim si quis agrum aut pecora aut alias quas-cumque res stabili dominio possidet, quidquid his rebus, sive naturæ beneficio sive propria industria accedat, sub ejus dominio continetur. Etenim qui rem jure possidet, rei quoque qualitates ac vires, earumque effectus possidet; maxime si hujusmodi effectus non soli naturæ sed etiam arti ejus ac labori debeantur. Jus vero stabilis occupatio-

nis hunc maxime finem habet, ut occupans iis quæ rei occupatæ deinde accedent, uti ac frui possit.

527. Modi acquirendi domini alii sunt *originarii* ac *derivativi*, quibus acquiruntur res nullius; alii *derivativi*, quibus acquiruntur res quæ sub alterius dominio fuerunt.

1° Modi originarii, ut ex modo dictis liquet, sunt *occupatio* et *accessio*.

Occupatio est apprehensio rerum nullius, animo eas sibi habendi ut proprias.

Accessio est omne incrementum quod res nostra acquirit, sive naturæ beneficio, ut sunt animalium fœtus, sive hominum industria, ut quum ex ligno fit arca aut ex lapidibus domus, sive utroque modo, ut plantatio ac satio.

2° Modi derivativi sunt *divisio* et *traditio*.

Divisio fit, quum quæ in positiva plurium communione est posita, singulis sociis, pro jure quo quisque gaudet, communi consensu dividitur.

Traditio, quæ et *alienatio* dicitur, est domini translatio ab uno ad alterum, domini voluntate facta: de qua in articulo sequenti.

ARTICULUS IV. DE CONTRACTIBUS

528. Dicendum nunc de contractibus, per quos jura diversa, ac præsertim jus proprietatis ex uno in alterum transferuntur.

Contractus definitur: *duorum vel plurium in idem placitum consensus*.

Est itaque 1° consensus, non quidem intellectus, sed voluntatis; neque merum voluntatis propositum, sed actus efficax, quo jus ab uno remittitur et accipitur ab altero.

2° Est consensus in idem placitum, quatenus videlicet rem eandem vel idem jus alter remittit, alter acceptat.

3° Consensus iste signo aliquo externo manifestandus est. Uterque enim paciscens alterius voluntatem cognoscat oportet.

4° Ex contractu oritur vera obligatio, qua qui jus suum in alterum transfert, tenetur hoc jus in altero agnoscere atque ut inviolabile habere, non secus ac cetera jura quæ ad illum pertinent. Qui initam contractu obligationem violat, fidem frangere dicitur.

5^o Obligatio hæc est *mutua*, quando uterque invicem se obligant; *non mutua* quando solum alteruter alteri se obligat. Contractus in quibus obligatio non mutua gignitur, dicuntur *unilaterales* vel *gratuiti*, ut est v. gr. mutuum; ii vero e quibus mutua exurgit obligatio, *bilaterales* vel *onerosi*, ut est locatio.

6^o Contractus sunt *executivi*, quum in præsentibus jus transfertur et acceptatur; *promissorii*, quum ad futuram præstationem paciscentes se obligant.

529. Conditiones quædam ad contractuum validitatem necessariæ sunt ipso jure naturæ; aliæ vero adjectæ sunt legibus positivis; aliæ ex contrahentium voluntate adjici possunt. *Conditiones quas naturæ jus requirit, sunt tres.* 1^a respicit *materiam* contractus; 2^a *personas* contractum ineuntes; 3^a *consensum*.

Propositio I

330. *Materia contractus debet esse physice possibilis et licita.*

Physice possibilis, i. e. quæ vires naturæ non excedat. Nemo enim ad impossibile tenetur.

Licita, nempe nulli legi sive naturali sive positivæ contraria. Lex enim naturæ obligare nequit quempiam ad inhoneste agendum.

Propositio II

331. *Personæ paciscentes debent esse habiles ad contrahendum.*

Nempe 1^o plenum rationis usum obtinere debent. Contractus enim est actus humanus, adeoque rationis advertentiam et libertatem requirit. Hinc pueri, amentes, ebrii, si ad contractum aliquem ineundum pertrahantur, nulla obligatione tenentur. 2^o Debent esse instructi facultate libere disponendi de re quæ est contractus materia; qui enim jus non habet, transferre illud nequit.

Propositio III

552. *Consensus nec ex errore adhibitus, nec injusto metu extortus sit oportet.*

Quod ad errorem attinet, animadvertite posse hunc versari vel circa *substantialia*, ut aiunt, vel circa *accidentalialia* contractus.

Circa *substantialia* est error, quum versatur vel circa *substantialiam rei* de qua fit contractus, ut si vitrum pro gemma emas, vel circa *naturam contractus*, ut si quis putet sibi fieri commodationem, cum alter locationem facere intendat, vel circa *motivum principale*, ut si quis alteri certam pecuniæ summam promittat, quia existimat eum suum consanguineum esse.

Circa *accidentalialia* est error, quum versatur circa qualitates accidentales sive rei, sive contractus, sive motivi: v. gr. si quis rem pluris valere credat quam reipsa valeat.

553. Itaque si error est circa *substantialia* contractus, hic est invalidus ex jure naturæ: quia quum alter contractantium hujusmodi errore decipitur, intentio ejus non fertur in illam eandem rem in quam fertur intentio alterius, ac proinde non habetur consensus duorum in idem.

Si vero error est circa *accidentalialia* contractus, habetur consensus duorum in idem, ac propterea contractus est validus; nisi forte *accidentalialis rei* qualitas tanquam consensus conditio in pactum deducta sit: tunc enim cum contractus sit conditionalis, qualitas illa ad rei *substantialiam* pertinet.

Quod si error circa *accidentalialia* contractus causam contractui dederit, *rescindi* potest contractus, si hic rescindibilis sit, ratione injuriæ quam decipiens fecit. Si autem hujusmodi error contractui causam non dederit, contractus quidem rescindi nequit, sed deceptor restituere tenetur emolumenta percepta.

554. Quoad metum, notandum est hic agi de metu gravi (145), extrinsecus et injuste incusso, et ad hunc finem incusso ut contractus ineatur. Consensus autem ex tali metu datus, certe est voluntarius (147). Contractus igitur ex metu initus, invalidus esse nequit ob voluntarii

defectum. *Est tamen invalidus, seu, ut alii loqui amant, rescindibilis arbitrio ejus qui metum passus est, ratione injuriæ.*

Qui enim metu incusso consensum extorsit, non modo jus non habet exigendi aut retinendi id quod contractus materia fuit, sed etiam injuriam reparare, omniaque damna ex ea dimanantia compensare tenetur. Ergo qui metum passus est, nulla obligatione adstringitur ad pacta servanda. Si enim hic obligaretur, alter jus in illum possideret : hæc namque relativa sunt (504).

Propositio IV

535. *Obligatio ex contractibus orta, ex quatuor potissimum causis deficere potest.*

1^o *Ex materiæ mutatione;* si nempe hæc evadat aut physice impossibilis aut inhonesta. Ratio patet ex dictis (550).

2^o *Si alteruter ex contrahentibus promissa non servet.* Qui enim fidem a se præstitam servare recusat, jus amplius non habet ut sibi fides ab altero servetur. Hic ergo ab obligatione suscepta liberatur.

3^o *Si uterque contrahens priorem consensum retractet.* Per hoc enim acquisito juri cedunt, et consequenter obligatio omnis e contractu orta tollitur.

4^o *Ex supremæ potestatis auctoritate.* Potest enim princeps subditorum suorum contractus irritos facere, si id bonum commune requirat.

ARTICULUS V. DE JURIORUM DEFENSIONE PER VIM

Propositio I

536. *Ad jus tuendum contra injustum aggressorem, vi uti licet.*

Nam æterna honestatis lex verum suorum jurium possessorem hominem facit. Vult ergo unumquemque sua jura possidere suamque possessionem retinere. Si quis ergo vim

adhibeat contra aliquod alterius jus, huic profecto lex eadem permittit, ut contra vis inimicæ conatus suam possessionem retineat. Permittit ergo illi ut vi sua utatur, ad inimicam vim elidendam.

Propositio II

357. *In vi adhibenda contra injustum aggressorem, licet etiam ei damnum inferre, si hoc necesse sit.*

Quum enim alter alterius jura invadit, nec repelli potest quum ei damnum inferatur, alteruter damnum subeat oportet, aut aggressor aut innocens possessor. Ex duobus autem æquum est ut damnum subeat potius qui injuste agit, quam innocens. Hoc ergo moralis lex permittat oportet. Si enim aliter illa præciperet, aggressorem diligeret præ innocente, sanciret quodammodo injustitiam, atque injusti aggressoris fieret complex.

Propositio III

358. *Injustum vitæ aggressorem occidere licet, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.*

Moderamen inculpatæ tutelæ his quatuor continetur :

1^o Ut non major violentia inferatur quam sit opus ad vitæ periculum repellendum;

2^o Ut vis adhibeatur in ipso aggressionis actu, non ante vel post;

3^o Ut nullum aliud medium suppetat declinandi periculum, ut est v. gr. tuta fuga;

4^o Ut mors aggressoris non intendatur per se, sed solum vitæ defensio.

359. Prob. propositio.

1^o Quum aggressio injusta est, duo jura in collisionem veniunt; jus conservandi scipsum quo instructus est iniquus aggressor, et simile jus in innocente cui vis infertur. Hic autem habet præterea jus *defensionis*, jus nempe elidendi inimicam vim ne a prioris juris possessione exturbetur (356); quo jure aggressor non gaudet; nam injusta aggressio juris titulus esse nequit. Ergo jus conservationis quod est in invadente, ante rationis tribunal, debilius est, et quidem hujus culpa, quam jus quo munitus est qui

invaditur. Invadentis ergo jus in collisione suspensum maneat necesse est (506, 507).

2^o Si naturæ lex vitæ defensionem cum iniqui aggressoris nece prohiberet, innocens in summum vitæ discrimen adductus, plus alienæ vitæ quam suæ consulere teneretur. Hoc autem omnino iniquum foret, et scelestissimis hominibus ad omne facinus animum ac stimulos adderet. Ergo.

540. Dices : Aggressor, si occidatur, in æternam perniciem certo prolabitur. Ergo occidi nequit; nam æterna alterius salus, etiam cum propriæ vitæ certo discrimine, procuranda est (298, 4^o).

Resp. Qui sic ageret, heroicæ profecto caritatis actum exerceat : hic tamen naturæ lege non præcipitur. Caritatis enim lex nos obligat ut extremæ alterius *necessitati* spirituali succurramus, etiam cum vitæ discrimine, *si certam ei opem ferre possimus, et dummodo major inde malum non consequatur*. Jamvero injustus aggressor non est in necessitate spirituali, sed in voluntario perditionis periculo, a quo potest se ipse liberare, si ab aggressionem desistat. Præterea non est certa spes cum ab æterna perditione retrahendi; potest enim in scelestis suis moribus perseverare. Demum si innocens injusto aggressori necem suam permittere teneretur, majus inde malum immineret, quam sit unius hominis perditio; videlicet proborum clades et scelestorum impunitas; quæ quidem non unum tantum hominem, sed longe plurimos in sempiternum exitium adducerent. Igitur nex iniquo vitæ invasori illata, caritatis præcepto non adversatur; æternaque ejus perditio voluntaria occisori non est, sed ex justa ejus defensione per accidens sequitur.

Propositio IV

541. *Injustum bonorum aggressorem non semper occidere licet, sed solum si agatur 1^o de bonis ad vitam necessariis, 2^o de bonis quorum jactura in gravem necessitatem spoliatum dejiceret; servato semper moderamine inculpatæ tutelæ.*

Non semper licet : non enim quodlibet bonum dignum est quod in conflictu humanæ vitæ præferatur.

Quum vero agitur de bonis ad vitam servandam necessariis, injustus horum aggressor, ipsius vitæ aggressor est; quia mediis ad vitam necessariis alterum expoliare vult.

In altero casu, in conflictum veniunt hinc jus conservandi vitam, inde jus domini quoad maximam bonorum partem. Hoc autem jus, si per se spectatum cum priore comparetur, debilius est. At si utrumque jus cum adjunctis consideretur et in ordine ad bonum magis universale ad quod utrumque referri potest ac debet, non ita erit judicandum. Nam ex una parte venit jus *aggressoris* ad vitam conservandam, ex altera jus hominis *pacifici et innocui* ad bona sua. Ad bonum autem humani generis multo magis necessaria est hujus juris inviolabilitas quam illius. Hoc ergo est illo validius (298, 2^o). Igitur si alia via non suppetat ea bona tuendi vel saltem recuperandi, latronis occisio licita dicenda est.

Propositio V

342. *Illicitum est honoris vel famæ aggressorem interimere.*

Nam 1^o calumnia aut contumelia vel illata jam est, vel inferenda prævidetur. Si primum, calumniatoris cædes non defensio sed vindicta erit: si alterum, non erit defensio contra præsens periculum, nec contra periculum certum; est enim dubium an illi sint homines accredituri. Ergo.

2^o Jus ad honorem vel bonam famam, collatum cum jure adversarii ad vitam, huic prævalere nequit. Non in se spectatum, ut patet: neque si sociale bonum consideretur; nam potius si hæc via defendendi honoris licita esset, infinitis cædibus via pateret; id quod in extremam roipublicæ perniciem cederet.

Propositio VI

345. *Violentum pudicitæ invasorem occidere licitum est, si mitiori medio pudicitæ honos defendi nequit.*

Nam impuri hujus aggressoris jus ad vitam jure ad integritatem candoremque pudicitæ infirmius est, si jus

utrumque consideretur respectu boni universalis; maxime quod 1^o violentus pudicitiae aggressor non modo jus alterius ad propriam integritatem ac decorem, sed etiam jus naturalis independentiae invadit; vult enim persona uti pro lubitu tanquam re; et 2^o hæc aggressio, si non penitus repellatur jungitur cum consensus periculo,, ac certe sensum et phantasiam diris vulueribus fœdatam relinquit.

ARTICULUS VI. DE INJURIÆ VINDICTA

Propositio I

544. *Vindicta licita est, si pœna sit illatæ injuriæ proportionata, et ulciscens animus non malum peccantis, sed bonum quod per pœnam ei illatam obtinetur, tanquam finem intendat.*

Nam vindicta fit infligendo malum physicum ei qui jus alterius læsit, ut æqualitas restituatur (94). Ergo tantum solummodo pati debet delinquens, quantum alterius bonum illicite læsit. Pœna igitur ejusmodi esse debet ut, attentis omnibus adjunctis, culpæ gravitatem non excedat.

Si vero ulciscens intentio in malum nocentis tanquam in finem ferretur, jam ulciscens eum quem punit, inimicitiae odio prosequeretur; id quod prorsus illicitum est (295, 8^o).

At si inter delictum et pœnam debita adsit proportio, et ulciscens non ad odium explendum, sed ad honestum finem pœnam ordinet, vindicta ex se honesta est. Nam actus quo ordo læsus reparatur, ex suo genere bonus est. Si ergo fiat propter bonum finem, omnino est honestus.

Propositio II

545. *Magno hominum bono, vindictæ exercendæ potestas, in statu civili, supremo imperanti reservata est.*

Sane ad justam pœnam infligendam ex se necessaria non est jurisdictionis potestas. Nam justæ vindictæ finis est securitas futura ejus qui injuriam passus est et emendatio

ejus qui injuriam intulit. Hi autem fines intendi per se possunt, vi naturalis independentiæ qua quisque gaudet, etiam ab iis qui nulla jurisdictionis potestate præcellunt. Igitur privata vindicta, si debito modo sumatur, juri naturali per se contraria non est.

546. Si tamen ea privatis quibusque permetteretur, vix aliquando debito modo fieret; posito autem civili statu, hominum societatem in extremam perniciem adduceret.

Nam 1^o plures quibus nulla reipsa injuria facta est, de læsis suis juribus persæpe plurimum conqueruntur; 2^o valde difficile est ut qui vere injuriam passus est, sine præjudicio et cum debita diligentia de injuriæ auctoribus inquireat, et quantum quisque peccaverit et qua pœna sit dignus, vel quid ad futura damna præcavenda necessarium sit, sine errore ac solis rationis ponderibus judicet; 3^o difficile quoque est ut in ultione sumenda iram coerceat, et ex solo rationis motivo agat, justitiæque modum nulla in re excedat; 4^o plurima vero delicta, ex præpotenti aliquorum vi, impunita forent; unde 5^o suspicionibus, odiis, terroribus, insidiis ac cædibus omnia replerentur, nullaque major miseria foret, quam inter homines vivere.

Sapientissime igitur et divina et humana lex præcepit, ut omnis vindicta supremæ politicæ potestati reservetur. Nam præterquam quod ad supremi imperantis officia pertinet ut civium jura tueatur eorumque iniquos aggressores debitis pœnis mulcet, ipse solus potest et de injuriæ veritate decernere, et de sontibus rite inquirere, et justam pœnæ mensuram sine partium studio determinare, et reos vel potentissimos per vim ordini subicere.

Quædam tamen leviores pœnæ quæ ad educationem et disciplinam necessariæ sunt, a parentibus, tutoribus, præceptoribus infligi possunt. Præter hæc, in sociali hoc hominum statu, omnis privata vindicta illicita est.

ARTICULUS VII. DE DUELLO

547. Duelli nomino, quod illicitæ seu defensionis seu vindictæ genus est, intelligitur *singulare certamen, ex conducto susceptum, privato arbitrio, privatis de causis et armis ad occidendum ac vulnerandum aptis.*

Est barbærica quædam consuetudo, quæ ex feritate incultarum quarumdam gentium, ex legum ac magistratuum defectu et ex superstitione orta est, enutrita postmodum et ad nostra usque tempora producta ab insana ulciscendi libidine cum gladiatoria quadam jactantia et humanæ desipientiæ timore conjuncta. Adhibita est primo hæc decertandi ratio, ad veritatem quasi divino interposito judicio manifestandam, deinde inita est, ac nostro adhuc tempore initur ad honorem tuendum, vel ad ulciscendam honoris injuriam. Suscipitur autem *ex conducto*, i. e. certo loco, tempore armisque præfinitis, adhibitis etiam pugnae testibus ac patronis, quos sacrilega nominis translatione *patrios* appellant.

Nobis sermo non est de duello inito ex causa publica et publicæ auctoritatis jussu vel consensu, ad bellum citius et cum minori utriusque partis detrimento dirimendum; quod quidem duelli genus an naturæ jure licitum sit vel secus, ex adjunctorum varietate judicandum erit.

Propositio

548. *Duellum jure naturæ prorsus illicitum est.*

Etenim 4° illicitum est propriam vitam manifesto discrimini absque ulla justa causa directo exponere (289): illicitum quoque alienam vitam impetere, nisi defensionis necessitas urgeat (295, 4°; 558).

Sed qui singularia hæc certamina offert vel acceptat, in manifestum vitæ discrimen absque justa causa directe se conjicit; nam non necessitate aliqua ad certamen adigitur, sed ad illud voluntarie se confert; voluntarie quoque et inito pacto, omni se sive defensionis sive offensionis adminiculo, quod adversario commune non fecerit, expoliatur.

Alienam quoque vitam impetit præter defensionis necessitatem: hæc quippe pugna defensio vitæ non est, sed utrinque voluntaria et mature perpensa aggressio, nec necessaria est sive ad vitam sive ad cetera bona tuenda quæ injusti aggressoris necesse quandoque defendi possunt; nam plura alia media defensionis, satisfactionis, reconciliationis suppetunt.

Ergo qui singularia hæc certamina ineunt, duplici se,

eoque nefario scelere commaculant; pravitate videlicet quæ in sulipsius occisione, et quæ in alterius deliberata cæde reperitur.

2^o Quod vero ad honorem tuendum vel ad honorem qui per injuriam læsus existimatur recuperandum, duellum suscipi dicitur, nihil potest dici stolidius. Nam primo, ad honorem tuendum vel recuperandum, illicitum est adversarium petere ad necem (542). Præterea ad eum finem assequendum, nullum medium est ineptius. Etenim vel loquimur de honore apud viros sapientes ac probos, vel de honore apud stultorum ac scelestorum vulgus comparando. Atqui apud sapientes ac probos honor per hujusmodi facinus profecto nec acquiritur, nec augetur, nec recuperatur; nam hi honorem virtuti deserunt, non robori corporis quod nobis est cum belluis commune, nec stolidæ jactantiæ ac temeritati, quæ potius miserationem et risum quam existimationem aut admirationem movet. Ad fortitudinis autem laudem sibi comparandam, satis est se promptum ostendere ad vim vi, si necesse fuerit, strenue repellendam, non vero gladiatoria temeritate in arenam descendere et sui spectaculum facere. Demum si te inurbare, si imprudenter, si turpiter, si contra datam fidem egisse, aut mendacem fuisse tibi per contumeliam exprobratum fuerit, anne te urbanum, prudentem, honestum, fidelem, veracem probi existimabunt, si adversarium ferro transverberaveris? Quæ major excogitari potest insania?

Honor vero quo scelestorum vel ineptorum vulgus actus virtuti contrarios afficit, non profecto honor sed verum dedecus est; quique honorem hujusmodi aucupatur, hominumque stultissimorum dicteria reformidat, nœ ille imbecillem se animo atque omnino stultum probat.

Igitur per singularia certamina honor nec acquiritur nec recuperatur, sed potius amittitur.

5^o Hæc valent tam in statu naturæ quam in statu civili. At in statu civili privata hæc certamina etiam ex eo inhonesta sunt, quod ipsa civilis ordinis fundamenta invadunt. Fundamentum enim civilis ordinis est auctoritas imperantis, quæ per leges communem justitiæ mensuram præfinit, per judicia dirimit civium controversias, per exsequendi potestatem in inferentes civibus injurias dignis

pœnis animadvertit. Sed qui privata certamina ineunt, leges contemnunt, quia non in iis justitiæ normas sed in ferina vi sitam esse profitentur; injurii pariter sunt judiciali auctoritati, nam ipsi suarum controversiarum iudices se armorumque sortem constituunt; demum insigne supremæ potestatis gladium e principis manu propemodum diripiunt, quia jus sibi arrogant injurias sibi illatas vi ac ferro ulciscendi. Proinde qui tot in uno flagitio scelera perpetrant, omnem civilium legum severitatem merentur.

549. Obj. 4^o Vir militaris nisi duellum offerat vel acceptet, tanquam formidolosus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat, privaretur. In hoc autem rerum discrimine duellum licitum esse videtur. Nam

a) Agitur de gravissimis malis propulsandis;

b) Honor vero adeo magnus bonum est, ut ipsi vitæ præhabendus a cordatis viris merito existimetur.

350. Resp. hypothesim esse omnino inverisimilem, saltem si quis apud barbaros non militet. Nam apud omnes cultas nationes vigent severissimæ leges adversus duellum latæ; esto legum severitatem stulta vulgi opinione quandoque obtundi, et duellantes ex tolerantia quadam impunes abire. Igitur qui duellum inire recusat, dicteria quidem hominum levissimorum redarguere debet, non vero legum vindictam subire. Quod si per summum nefas iniquus aliquis magistratus honestum virum qui singulari certamine contendere recusasset, officio privandum judicaret, duo hæc præ oculis habere oportet: 4^o idem malum, imo mala illo graviora ex morte dimanare; qui vero duellum offert vel acceptat, mortis se discrimini objicere; 2^o honestatem ac virtutem tanti esse, ut omnia hujus vitæ bona, si opus sit, pro ea profundere teneamur; eaque si virtuti immolaverimus, non jacturam nos facere sed lucrum.

554. Hinc patet responsio ad 4.

Ad 2. *Dist.* Honor falsus, *nego*; honor verus, *subd.* si honoris nomine veniat ipsa virtus, quæ est honoris fundamentum, *conc.* si veniat testimonium externum existimationis qua alii nos prosequuntur, *nego*.

Honor proprie est testimonium existimationis: sumitur autem non raro pro iis animi vel corporis dotibus quæ

honorem conciliant; ex quibus deducendum erit, qui verus honor, qui falsus habendus sit. Verus honor est qui virtuti tribuitur; qui vero audaciæ ac temeritati defertur, plane falsus ac vanus est. Jam virtus quidem omnibus hujus vitæ bonis præferenda est; honor autem, quamvis verus, nullatenus vitæ præstat. Vita enim est bonum intrinsecum ac ceterorum, quibus nunc fruimur, honorum fundamentum, quodque ratione sui appetibile est. Honor autem est bonum extrinsecum, et solum ratione virtutis appetendum. Quod si neque verus honor vitæ antefendus est, multo minus falsus ille atque inanis honor, quem duellantes adeo magni faciunt.

552. Obj. 2^o In statu naturali et extra civilem societatem homines sunt omnino sui juris, ac proinde iisdem juribus gaudent quibus supremi imperantes instructi sunt. Atqui supremis imperantibus ad se suaque jura tuenda vel ad injurias ulciscendas, licet alios populos ad bellum lacessere.

Ergo a) in statu naturali licet ad singularia certamina descendere. Hæc enim a bello non differunt nisi numero pugnantium.

Ergo b) in statu civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur, licitum erit ad se suaque tuenda duellum inire. Nam in statu anarchico, societatis civilis compage resoluta, singuli cives sui juris fiunt.

555. Resp. *Trans. major et minor.*

Dist. 1 cons. In statu naturali licet ad singularia certamina descendere, ex conducto, *nego*; servata sibi libertate eligendi tempus et modum pugnæ, quem prudentia pro adjunctorum varietate suggesserit, ut pugna minus periculosa et victoria, quantum fieri potest, minus dubia efficiatur, *conc.*

Hinc *neganda* ratio quæ assertur. Duellum enim a bello essentialiter non differt ex bellantium numero, sed 1^o ratione *finis*; quia bellum ad bonum commune tuendum, duellum vero boni privati, ejusque solummodo apparentis, causa suscipitur; 2^o ratione *modi*; nam duellum geritur ex conducto, bellum autem nequaquam.

Nego vero 2 *cons.* Etenim si quotiescumque aliquis civitatem male administrari suaque violari jura existimat,

judicis ac vindicis munus sibi arrogare posset, actum esset de civili ordine ac de sociali convictu. Quod si revera, eversis publicis rebus, omnis judicum ac magistratuum auctoritas in civitate conticesceret, profecto liceret cuique se suaque contra iniquos invasores vi et armis defendere, at singularia certamina ex conducto inire nullatenus liceret.

354. Obj. 4^o Saltem qui duellum hac conditione ineunt, ut inflicto aliquo vulnere vel post certum ictuum numerum, pugna finem habeat, excusatione digni erunt.

5^o Multoque magis qui simulatam pugnam ineunt cum pacto se non lædendi, vel qui certo norunt pugnam a communibus amicis ac pacis sequestribus esse impediendam.

355. Resp. ad 4. *Nego*. Duelli enim pravitas, omniaque flagitia quæ in duello continentur, etiam hac conditione posita, non tolluntur; nisi quod dimicantes non duplicis homicidii, sed gravis sui et alterius læsionis crimine tenebuntur; si tamen hoc ipsum concedendum est: nam vulnera non semper ad mensuram infligi possunt, animis præsertim odio infensis ac pugnae furore æstuantibus.

Ad. 5. *Nego*, nisi ex adjunctis evidenter pateat ludicram illam pugnam esse. Nam inhonestam actionem simulare prorsus illicitum est.

CAPUT III

DE SOCIETATE DOMESTICA

356. Sequitur ut de jure sociali dicatur. Quoniam vero societas domestica et societas quæ primo jungitur et ceterarum fundamentum est, hanc primo considerare oportet. In societate porro domestica tres societatis species continentur: 1^o conjugalis; 2^o paterna; 3^o herilis. De singulis ergo ex ordine disputandum est.

ARTICULUS I. DE SOCIETATE CONJUGALI

557. Societas conjugalis est *conjunctio maris et feminae, procreandæ et educandæ sobolis causa.*

Hinc 1^o est societas stabilis, atque individuum vitæ consuetudinem postulans. Nam educatio humanæ prolis sat diuturnum tempus et communes atque perpetuas utriusque conjugis curas expostulat.

2^o Hinc conjugalis societas intimam mutæ dilectionis conjunctionem, ac perfectissimam amicitiam tanquam fundamentum requirit. Aliter enim intima illa vitæ studiorumque conjunctio effici nequit.

3^o Proinde conjugalis status et conjugum conjunctio electione iniri debet, eaque plane libera ac prudenti: libera quidem, quia hæc societas in amore fundari debet; prudenti vero, quia societas est stabilis et ad tantæ gravitatis finem ordinata.

4^o Consensus quo vir et uxor societatem conjugalem ineunt, verus est contractus: nam alter alteri seipsum tradit, atque uterque se alteri obligat ad hujus status munia exsequenda, et ad mutuam solatium ac subsidium sibi ferendum. Proinde matrimonialis contractus omnibus subest conditionibus quas ad contractuum validitatem jus naturale requirit.

5^o Relatio æqualitatis quæ inter conjuges viget, et potestas quam alter in alterum habet, repugnant relationibus dependentiæ quam habent nati a parentibus, officiisque subjectionis ac reverentiæ quibus erga hos illi adstringuntur. Proinde nuptiæ inter patrem et filiam itemque inter matrem et filium juri naturæ aperte adversantur. Hoc idem proportione dicendum de consanguineis qui in recta, ut aiunt, successionis linea continentur.

6^o E converso amicitia naturalis et intima consuetudo quæ inter fratres ac sorores esse debet, conjugia inter eos iniri prohibet. Hæc enim conjugia nimis propere ac temere inirentur, et non modo perpetuis suspicionibus et contentionibus, sed etiam polygamie sæpe locum darent, ac matrimonii sanctitatem everterent. Eadem proportione dicenda de propinquioribus consanguineis et affinibus; in-

ter quos quam abhorreat natura iniri connubia, funestissimi quoque effectus qui ex eis in sobolem dimanant, apertissime ostendunt.

558. De his tamen consanguineorum et affinium connubiis, notanda duo :

a) Naturæ lex ea connubia prohibens, non est satis determinata, ac proinde compleri debet positiva lege supremæ auctoritatis, quæ ut naturæ intentioni satisfiat, certos statuatur limites intra quos hujusmodi connubia interdicta sint. Quæ suprema potestas post christianam revelationem, magno christiani populi bono, in sancta Christi residet Ecclesia.

b) Lex qua consanguineorum connubia interdicuntur, si in collisionem veniat cum superiori illa lege qua generis humani propagatio præcipitur, huic cedat oportet. Atque hinc factum est, ut quum humanum genus unica contineretur familia, connubia inter fratres et sorores non modo non essent illicita, sed imo essent præcepta.

Propositio I

559. *Natura humanam quidem speciem ad conjugia ineunda obligat, singulos vero homines non obligat, nisi humanæ speciei conservandæ necessitas urgeat.*

Quædam enim natura requirit quia necessaria sunt ad singulorum conservationem et perfectionem et ad hæc unumquemque obligat; quædam vero ad conservationem perfectionemque speciei, et ad hæc singulos non obligat absolute sed hypothetico. Sic v. gr. natura unumquemque absolute obligat ad Deum colendum, non autem ad agriculturam aut ad militiam, nisi ea incidant adjuncta, in quibus necesse sit ad commune speciei bonum, ut certus aliquis homo agriculturæ militiæve vacet. Extra hos casus, ad conservationem perfectionemque speciei assequendam sufficit ingeniorum diversitas, et divina providentia, quæ ad diversa munia societati necessaria diversos homines suaviter inclinatur.

Hoc pacto de matrimonio sentiendum est. In humani generis exordiis primi homines ad conjugium ineundum naturali lege tenebantur; quia per eos solum humana soboles propagari poterat.

Postea vero hoc amplius necessarium non est. Proinde licitum est cuique nubere, ac licitum est cuique cælibem manere, præsertim si ad meliora animum intendat.

Propositio II

560. *Polyandria, seu conjunctio simultanea unius femine cum pluribus viris, naturali juri repugnat.*

Nam 1^o conjugalis societatis fini i. e. procreationi et educationi prolis aperte adversatur. Per hanc quippe incertus manet susceptæ prolis pater; ac proinde incertum fit quis de illa curam habere debeat; unde educationis neglectus necessario consequitur.

2^o Filii nescirent quis esset eorum genitor, ac propterea neminem haberent quem ut patrem vererentur ac diligerent. Sic unum ex præcipuis hominis officiis, idemque aptissimum medium ad pueros in officio continendos, prorsus evanesceret.

3^o Nulla esset proprie familia, nullus ordo, nulla pax, sed potius perpetuæ suspiciones ac rixæ virorum animos dissociarent.

Propositio III

561. *Polygynia, seu conjunctio simultanea unius viri cum pluribus uxoribus, fini quidem essentiali matrimonii non opponitur, at cum ejusdem natura ac proprietatibus non cohæret.*

Primum facile intelligitur: nam nec procreatio nec educatio prolis per uxorum multitudinem omnino impediuntur.

Alterum constat 1^o ex eo quod uxorum pluralitas æqualitatem tollit conjugalis contractus propriam. Nam vir et uxor non se reciproce penitus dederent, sed cum uxor integram sui potestatem viro faceret, vir non ita, sed posset pro lubitu pluribus se dedere.

Hinc 2^o mutuus amor frigeret, viri amore in plures uxores distracto; atque amicitia quæ inter conjuges esse debet, evertetur. Amicitia enim in æqualitate fundatur.

Proinde uxor famulæ loco haberetur, qualis revera habetur apud eos populos, ubi viri polygamia in usu est.

Nec 5° conjugium pacifica societas esse, nec mutuum utriusque conjugii solatium præbere posset. Uxor enim invidia et zelotypia amaritudine ac dissidiis domum replerent.

562. Hinc 4° uxorum pluralitas absque Dei permittentis nutu illicita est.

2° Magnum humanæ societati beneficium Christus dominus contulit, eo quod unitatem matrimonii evangelica lege restituit ac sanxit, divinoque mysterio consecravit.

Propositio IV

563. *Legitimum conjugium indissolubile est; non ita tamen ut divina auctoritate dirimi nequeat.*

In primis evidenter constat conjugium indissolubile esse jure naturæ, saltem quousque physica et moralis filiorum educatio compleatur. Hujusmodi enim educatio utriusque parenti a natura præcipitur, et conjunctas utriusque curas expostulat. Adverte autem, dum unus educatur filius, alterum gigni atque alterum, qui omnes iisdem parentum curis indigent.

564. Absoluta autem matrimonii indissolubilitas evincitur

4° Ex ejus principio, quod est amicitia. Nam amicitia natura sua est perpetua, nec cum separationis suspitione cohærere potest. Nequit enim profecto haberi inter duos perfecta animorum unitas atque intima affectuum ac rerum omnium communicatio, si alter alterum ut ad se perpetuo pertinentem non consideret.

2° Ad bonum familiæ maxime pertinet, ut res domestica ab utroque conjugue solerter et concorditer administratur. Hæc autem solers et concors administratio non haberetur, nisi utriusque sibi persuaderent se perpetuo amice esse convicturos, sortemque unius alterius sortem futuram. Potius enim privatis suis emolumentis quisque studeret, cum alterius partis et communis sobolis detrimento.

5° Matrimonialis contractus æqualitas ejus indissolubilitatem exigit. Nam mulier non posset a viro discedere, cum sit sub ejus potestate ac regimine. Si ergo vir ab ea

discedere posset, jam uxoris iniquior esset conditio, nec æqualis illa esset viro, sed serva. Post divortium quoque conditio viri ac mulieris eadem non esset. Nam vir facile inveniret cui iterum nuberet; mulier vero et juventutis et virginittatis flore orbata, vix posset novas inire nuptias.

4^o Si conjugum arbitrio atque humanæ voluntatis mutabilitati relictum esset decernere, quanto tempore conjugalis conjunctio protrahi deberet, facile contingeret ut filii ante tempus conveniens paternis maternisque curis destituerentur, ac sibi et fortunæ committerentur. Bonum itaque sobolis postulat ut conjugium indissolubile sit.

5^o Idipsum denique requirit publicum bonum. Quodlibet enim divortium inter utriusque conjugis propinquos discordiarum semen esset; unde frequentissimæ ac graves in republica discordiæ existerent.

Concludendum ceteros quidem contractus qui ad paciscentium utilitatem ineuntur, eorumdem voluntate rescindi posse; at conjugium quod ad homines propagandos et educandos ab auctore naturæ institutum est, ex se indissolubile esse.

365. Prob. 2^a pars.

Indissolubilitatis lex, quemadmodum omnia legis naturalis præcepta, ab ordine tandem aliquando dimanat. Igitur si in quibusdam personarum adjunctis, matrimonii indissolubilitas altiore ordinem perturbet, Deus cui omnium jura subjiciuntur, potest utrique conjugii adimere illud jus quod ex matrimoniali contractu alter in alterum acquisivit, licet hoc ex se perpetuum sit. Sublato autem ejusmodi jure, hoc ipso conjugii vinculum solvitur. Ergo potest divina interveniente auctoritate solvi conjugium. At nisi expresse hujus solvendi potestatem Deus fecerit, conjuges quoad habitationem quidem actorum, si necessitas hoc postulet, separari poterunt, at conjugii vinculum dissolvere non poterunt.

Propositio V

366. *Conjugalis societas primatus indiget auctoritate, quæ penes virum residet.*

Prob. 4^a pars.

Quamvis uterque conjux quoad potestatem qua alterum sibi addictum habet, æquales sint, ipsumque conjugium

perfectissima sit amicitia; tamen finis ad quem conjuges conjunctis animis contendere debent, omnino postulat ut alteruter primatus prærogativa gaudeat. Conjuges enim et communem felicitatem quærere debent, et ad liberorum educationem animum intendere. Jamvero conspiratio perpetua voluntatum et operationum ad eundem finem inter homines haberi nequit, nisi sit aliquis qui jure polleat determinandi media ad finem necessaria, et ad eorum usum obligandi. Ergo.

567. Prob. 2^a pars.

Primatus quem ipsa natura constituit, ejus proculdubio est proprius, qui naturaliter est minus dependens et ad regendum est aptior. Hic autem est vir. Vir enim robore, prudentia, propositi tenacitate, audacia, aptitudine ad res gerendas longe mulierem antecellit.

Non tamen viri famula aut instrumentum est uxor, sed socia et ejusdem finis particeps. Viri igitur auctoritas amicitiae suavitate temperanda est, totaque familiæ administratio communi consensu, suis utrique partibus servatis, peragenda.

ARTICULUS II. DE SOCIETATE PATERNA

568. Societas paterna est *conjunctio plurium personarum quæ ab ipsa natura sociatæ sunt educationis gratia.*

Est naturalis quædam continuatio conjugalis societatis, ejusque complementum. Esse vero eam a natura intentam, manifestum est non tantum ex modo quo parentibus filii conjunguntur, sed etiam hinc quidem ex nativa puerorum imbecillitate et indigentia, inde vero ex tenero sollicitoque amore quem erga natos suos parentum animis natura indidit.

Hujus societatis finis est educatio, nempe perpetua ac sedula subsidiorum omnium quæ ad vitam physicam, intellectualem ac moralem recte explicandam necessaria sunt, subministratio. Unde patet societatem paternam esse in filiorum bonum; quanquam hoc ipso in bonum parentum cedit: quidquid enim filii sunt, hoc parentum sunt.

Propositio I

369. *Parentes ad physicam, intellectualem ac moralem filiorum educationem naturali eoque gravissimo officio tenentur.*

Natura enim parentibus infantes committit rerum omnium egenos, quique sine parentum auxilio nec vivere, nec intellectuales facultates perficere, nec morales ac religiosas veritates ut par est addiscere per se possunt. Si igitur nulla parentes obligatione natura adstrinxisset ut his omnibus infantium necessitatibus prospicerent, nulla ipsi de hominum sive conservatione sive dignitate sive felicitate cura esset; quod quidem est quam maxime absurdum.

Tenentur itaque parentes, ita suis natis providere, ut quæcumque homo naturali officio, sive quoad sui conservationem sive quoad sui perfectionem, sibi ipsi debet (278, seq.), ea parentes erga natos exsequantur, donec hi sibi consulere possint.

570. Hinc 1^o tenentur eos alere, eorumque incolumitati ac valetudini sollicitè prospicere.

2^o Tenentur quoque eorum mentes informare iis omnibus cognitionibus quæ ad vitæ conservationem atque usus necessariæ sunt.

3^o Munus quoque parentum est, filiorum conservationi et commodis in posterum providere, tum bonis suis, si quæ possident, tum efficiendo ut labori assuescant, iisque artibus vel facultatibus, pro cujusque ingenio dent operam, quorum subsidiis vitam tolerare queant.

4^o Maxima sedulitate curare debent parentes, ut pueri moralia officia quibus devinciuntur, et honeste vivendi normas sensim addiscant, et in bonis operibus ac in omni virtutum genere exercentur; neque hoc præceptis solum ac monitis, sed etiam exemplis curare debent, neque hortando solum aut docendo, sed etiam corrigendo ac castigando.

5^o Supremum parentum officium est, ut teneras infantium mentes ad Deum mature convertant, deque iis quæ ad religionem pertinent, instruant, et ad Deum, ut par est,

colendum omnibus modis alliciant. Qua in re nihil magis absurdum aut impium dici potuit, quam quod genevensis sophista commentus est, nullum pueris de religione sermonem habendum esse, autequam illi ex se de religione aliqua amplectenda deliberare possint.

Propositio II

574. *In societate domestica parentes atque in primis genitor, naturalem in filios potestatem obtinent.*

In societate enim quæ ab ipsa natura sit constituta, potestas in iis residet, a quibus ceteri naturaliter dependent. Atqui filii naturaliter dependent a parentibus

1^o Generatione. Generatio enim est productio viventis et beneficium omnino permagnum. Ergo filii, quantum naturæ humanæ dignitas patitur, in parentum potestate sunt, quemadmodum omnis effectus in potestate est suæ causæ; eisque talem gratiam referre tenentur, ut nunquam huic debito satisfacere pro merito valeant.

2^o Indigentia physica et morali. Egent enim absolute parentum ope, tum quoad vitæ conservationem; tum quoad mentis animique culturam.

Ergo filii sunt naturaliter subditi parentibus.

572. Hæc autem potestas in utroque parente residet. Ab utroque enim filius procreatur, et utroque eget. Præcipue vero pertinet ad patrem. Pater enim est præcipuum domus columen, et ad educationem ac defensionem aptior.

Propositio III

573. *Patria potestas certos quosdam limites habet, et successive decrescit.*

Primo: limites habet; idque ex ipsa rei natura. Tantum enim patet patria potestas, quantum ejus finis. Patria autem potestas est medium ad explenda educationis officia et ad ordinem domesticum servandum. Tantum ergo patet patria potestas, quantum et infantium educatio et domesticus ordo postulat. Quæ præter hos fines, multo vero magis quæ contra sunt, paternam potestatem excedunt. Hinc

1° Non licet parentibus, ut perperam sensit Aristoteles, ad minuendam filiorum multitudinem, sive genitis abortum inferre, sive enatos exponere ac projicere, quamvis aliquo corporis defectu laborent. Hæc enim nefaria scelera et conjugalis et paternæ societatis fini ac mutuis hominum inter se officiis aperte adversantur.

2° Quamvis parentes filios castigare, etiam virgis adhibitis, possint, eos tamen graviter vulnerare aut mutilare aut pœna capitis mulctare nequeunt. Hæc enim neque ad educationis finem utilia sunt, neque ad domesticum regimen necessaria. Si quis enim ex filiis adeo protervus sit et contumax, ut de ejus emendatione plane desperandum sit, ac domestica pax ejus vitio conservari non possit, sufficit ut hunc parentes domo expellant: id quod profecto facere non prohibentur.

374. Secundo: patria potestas eo magis decrescit, quo magis filiorum ratio explicatur ac roboratur.

Patria enim potestas a natura collata est ut filiorum impotentiae atque imbecillitati subsidium ac supplementum esset. Crescente autem filiorum ætate, et vires eorum augentur, et ratio semper magis adolescit. Hujus igitur subsidii ac supplementi necessitas semper decrescit.

375. Sunt autem in filiorum ætate tria temporum spatia distinguenda. Primum tempus est quum pueri sunt *impuberes*, quum videlicet de alimentis sibi prospiciendi et bonum a malo sufficienter discernendi sunt incapaces. Alterum, quum sunt *minores*, quo tempore, etsi actiones suas regere, non tamen quæ ad vitam necessaria sunt, sibi providere, nec res suas recte administrare possunt. Tertium, quum sunt *majores*, et ad utrumque apti.

Igitur primo tempore jus paternum se porrigit non solum ad externas, sed etiam ad internas filiorum actiones moderandas ac dirigendas. Ratione quippe et consilio parentum infirma pueri ratio adjuta, ad recte judicandum, volendum et operandum assuescere debet.

Altero tempore juri paterno subsunt operationes tantum externæ, quæ ad domesticum ordinem et officiorum adimplementum et ad facultatum ac virium utilem occupationem pertinent.

Tertio vero filius e directiva patris potestate emancipatur.

Legum autem civilium munus est, ut horum temporum limites, ubi opus est accuratius determinent.

Propositio IV

376. *Officia filiorum erga parentes alia perpetua sunt, alia temporaria.*

Perpetuo tenentur ad amorem, reverentiam, gratumque animum iis exhibendum, et si quando hi in indigentia versentur, ad auxilium ac solamen iis afferendum. Nam beneficiis procreationis et educationis nunquam par haberi aut referri potest gratia.

Tenentur vero iis obedire in iis omnibus quæ ex educandi officio parentes eis præcipiunt; tum etiam iis quæ ad domesticum ordinem spectant. Atque hæc officia temporaria sunt. Prior enim obligatio finem habet, quum completa est educatio: altera, quum filii separatim a patre, ut aiunt, focum habere incipiunt.

Propositio V

377. *Inest filiis jus successionis in bona parentum.*

Etenim in omni societate, bona individuorum ad bonum ipsius societatis ordinantur. Ergo bona quoque individuorum quæ familiam constituunt, ordinantur ad bonum familiæ. Ex hac autem ordinatione, familia eminens quoddam dominium habet in singulorum bona. Et revera filii, vivo adhuc patre eoque consentiente, ejus bonis fruuntur, horumque domini una cum patre existimantur. Igitur post patris mortem, bona ejus dici nequeunt nullius; habent enim jam dominum, nempe familiæ individua quæ supersunt. In his ergo, ex eminenti jure familiæ jus patris non tam transfertur quam continuatur. Proinde ut filii patris bona occupent, necessarium non est patris testamentum, sed etiamsi ille intestatus obiit, in ejus bona suo jure succedunt.

378. Notanda tamen duo.

4^o Si primus possessor alteri aliquam suorum bonorum partem testamento donavit, hæc pars ad familiæ dominium

amplius non pertinet, sed ad illum qui vi testamenti jus acquisivit ad ea bona occupanda.

2^o Parentes cum pervicaces filios domo ejicere possint, hoc ipso jus quoque habent illos exhæredandi. Si quis enim a familia abscinditur, non censetur amplius ad eam pertinere. Idcirco familiæ jura non amplius participat.

ARTICULUS III. DE SOCIETATE HERILI

579. Societas herilis est *conjunctio duorum, quorum alter propriæ utilitatis gratia ad alterius utilitatem et commodum operationes suas ordinat.*

Notanda. 4^o In herili societate is qui alimenta vel pecuniam alteri confert, dicitur *herus vel dominus*; qui operam, *servus*.

2^o Societas hujusmodi potest esse tum *voluntaria* tum *coacta*.

Voluntaria oritur ex contractu quo quis libere suam in alterius commodum operam addicit. Hujus causæ sunt *paupertas* quæ alimentis indiget, et *debitum*, quod cum pecunia solvi non possit, opera redimendum suscipitur.

Coacta non libero pacto sed necessitate imponitur. Ejus causæ sunt *jus belli*, quum nempe hostis victori se tradit ne occidatur, vel a victore capitur ab eoque vitam et corporis libertatem accipit ut sibi serviat: *condemnatio*, i. e. judicis sententia qua aliquis in pœnam criminis, servituti addicitur: demum *nativitas*, quum nempe servorum filii servi nasci censentur.

5^o Ex his inferri potest, causam quæ herilem societatem format, esse semper hinc inde alicujus boni defectum. Alter enim indiget alienæ operæ subsidiis, alter alimentis vel pecunia vel saltem clementia victoris aut bono satisfactionis quæ per pœnam præstatur.

4^o At quanquam ex herili societate et herus et servus aliquod bonum assequantur, hujus tamen societatis finis est heri utilitas ac commodum. In hunc enim finem servi operatio et heri præstatio, quæcumque ea sit, natura sua ordinantur.

5^o Servitutis species aliæ ex operæ a servo præstandæ, aliæ a vinculi quo is domino addicitur, natura determinantur.

Potest enim homo in alterius hominis commodum tum mentis vires tum corporis impendere. Operationes *liberales* dicuntur eæ in quibus plus mentis vires quam corporis exercentur; *mechanicæ* vero eæ in quibus plus vires corporis quam mentis operantur.

Ex vinculi autem natura, servitus alia est *perfecta*, alia *imperfecta*.

Perfecta est quum quis alteri omnes operas absolute ac perpetuo debet. Hic *servus* stricte dicitur, et a veteribus *mancipium* appellabatur. Imperfecta est, quum vel non omnes operas vel non perpetuo vel sub pactis conditionibus debet. Qui perpetuo certorum agrorum culturæ addictus est, *adscriptus ad glebam* dicitur: qui ad certas quasdam operas mercede conductus est, *mercenarius* vocatur, ac pro operæ quam præstat diversitate, diversas habet appellationes, *famuli, coloni, operarii*, aliasque his similes.

Propositio

580. *Servitus est illicita, si dominus jus sibi arrogat disponendi in proprium commodum de ipsa servi persona; licita vero, si domino solum jus conferat disponendi de servi opera, salvis essentialibus hominum inter se officiis.*

Prima pars nulli qui humanæ personæ dignitatem intelligat, dubia esse potest. Qui enim persona tanquam re uti audeat, agit contra essentielle hominis a rebus irrationalibus discrimen, essentielleque hominum quoad naturam æqualitatem aperte violat. Agit præterea contra essentielle hominis finem: nullus enim homo propter alterius hominis bonum effectus est, sed propter Deum, ut eo sit beatus.

581. Prob. 2^a pars: primo de servitute voluntaria.

Homini opera pretio æstimari, ac propterea vendi et emi, locari et conducì potest. Si quis igitur inopia prematur nullumque aliud quo suæ conservationi consulat, remedium reperire possit, nisi ut operam suam alteri locet aut vendat, hic sane rationabiliter agit. Qui vero oblatam sibi operam conducit aut emit, sibi suæque utilitati prospicit, quin cujuscumque jura lædat, imo vero cum bono suo

bonum quoque alterius conjungit. Ergo licite agit; dummodo in contractum opera veniat non persona, qua nemo uti potest ut re, quemadmodum dictum est.

582. Servitus vero coacta, si sit ex jure belli, licita est 1^o si bellum justum fuerit; 2^o si vel tanta est hostium perfidia, ut captivitas necessaria sit ad impediendas futuras injurias, vel eorum flagitia tam atrocia fuerint, ut digni sint qui debitæ pœnæ loco servituti subjiciantur. In primo enim casu jus securitatis (514, 2^o), in altero justa vindicta servitutum licitam fecit.

Servitus quoque ex judicis sententia licita est, si hæc pœna delicto respondeat.

Servitus demum ex nativitate ex se et ipsa licita est: oritur quippe ex egestate parentum. Cum enim hi nec se nec prolem ex se natam alere possint, hoc ipso quod hæc domini bonis alitur, ejus opera illi addicitur, saltem ad tempus.

583. Si igitur intra hos limites servitus contineatur, naturæ juri non repugnat, utpote quæ essentialia hominis jura non lædit. Nemo tamen ignorat, quam crudeliter ac turpiter servituti abusi fuerint pagani atque adeo christiani complures hoc nomine indigni; apud quos servi vix in hominum numero habebantur, ac pro rebus iisque vilibus computabantur. Idcirco eximio christianæ religionis beneficio factum est ut coacta servitus apud omnes fere gentes abolita sit, ac si uspiam ejus reliquæ supersunt, multo illa sit mitior humanæque dignitati minus adversa.

584. Dominorum ac servorum jura ex his quæ diximus, colliges. Essentialia hæc sunt

1^o Dominus tenetur suppeditare servis saltem quæ ad vitam necessaria sunt: præterea si ex pacto servitus est, tenetur dominus justitiæ titulo, servo præbere ea omnia ad quæ in contractu se obligavit.

2^o Servi vero officium est revereri dominum, ad ejusque placitum operam suam fideliter impendere.

3^o Servus a domino nec occidi potest, nec mutilari, nec gravibus affligi pœnis, nec ad operas quibus est impar, præstandas adigi, nec contumelia affici; quanquam et increpari et puniri ad emendationem aliquando possit.

4^o Multo minus licitum est domino impedire servum, quominus religionis officiis vacet, aut aliquid illi præcipere quod ab honestate abhorreat.

585. *Societas domestica, seu familia est societas composita, quæ ex tribus societatibus, conjugali, paterna, herili coalescit. Familiæ caput est paterfamilias ejusque, qua talis, auctoritas hunc finem habet, ut in usu quotidiano ita ordinem in omnibus servari curet, ut ad commune bonum et ad simplicium societatum quibus familia coalescit fines, singula ejus membra conspirent.*

CAPUT IV

DE SOCIETATE CIVILI

586. Nunc de societate civili. Ad hujus theoriam explicandam, dicendum est 1° de ipsa societate civili secundum se; 2° de auctoritate politica.

In prima disputatione necesse est ut de tribus inquiremus: 1° de societate in genere; 2° de sociali hominis natura; 5° de societatis civilis notione.

ARTICULUS I. DE SOCIETATE IN GENERE

587. *Societas est stabilis hominum conjunctio, ad communem aliquem finem assequendum, collatis viribus conspirans. Ad quam notionem intelligendam, hæc animadvertenda sunt.*

1° Vinculum quo plures homines in societate conjunguntur, est triplex: unitas videlicet finis a pluribus cogniti, unitas tendentiæ in plurium voluntatibus, conspiratio virium tum animi tum corporis, quæ media ad finem intentum apta harmonice adhibeat.

2° Ex hac sociali conjunctione exurgit una sociorum sententia, una voluntas, una actio. Hinc societas est ac dicitur *persona moralis*, quæ ad modum individuorum suis adstringitur officiis suisque juribus gaudet.

3° Ex his liquet, elementa necessaria ad societatis constitutionem esse multitudinem, finem ab ea intentum, conjunctionem mentium, voluntatum ac virium, ac media quæ conjunctis viribus adhibentur. Quare societas eo erit

perfectior, quo, ceteris paribus, major erit in ea multitudo, finis nobilior, conjunctio arctior, media efficaciora.

4^o Virium ad finem assequendum conspiratio requirit, ut ordo aliquis et agentium et actionum in societate constituatur, ut determinetur videlicet quid, quantum, quando, quomodo quisque agere debeat vel ab agendo abstinere. Hic ordo quo ipsa societas constituitur ac regitur, societatis *œconomia* vel *politia* dicitur.

5^o Jus obligandi socios ad certo aliquo modo operandum vel non operandum in ordine ad societatis finem, est *auctoritas socialis*.

6^o Est autem manifestum nullam societatem finem hominis esse, sed solum medium ad finem.

Propositio

388. *Auctoritas socialis ab ipsa societatis essentia requiritur.*

Etenim in societate voluntates ad unicum finem conspirare debent communi consensu. Atqui conspiratio istæ absque auctoritatis moderamine ac ductu haberi nequit.

Nam conspiratio operationum haberi nequit, nisi socii mente ac voluntate in iisdem mediis adhibendis, pro sua quisque parte, consentiant. Sed mentes voluntatesque hominum non sunt ad unum determinatæ naturali necessitate. Ut ergo in tanta opinionum, studiorum ac propensionum varietate, ad certa quædam media adhibenda determinentur, necesse est ut adsit vis aliqua, quæ et operandi modum præstinet et omnium voluntates ad operandum obligare valeat. Hæc autem vis est auctoritas socialis (387, 5^o). Ergo.

389. Hinc 1^o auctoritas socialis est principium formale societatis, quemadmodum multitudo est ejus materia. Multitudo enim societas dici potest solum propter auctoritatem, qua illa et unitatem et stabilitatem, ac proinde suum esse habet.

2^o Auctoritas hæc ex individuorum juribus oritur, non tanquam ex elementis componentibus, sed tanquam ex prima radice. Nam ex juribus individuorum ad suum bonum, oritur jus conservandæ societatis quæ ad bonum

intentum individua adducit: societas autem nec esse nec conservari potest absque auctoritate.

5° Auctoritas igitur cum ipsa oritur societate.

4° Et quoniam societas a natura est, ac proinde a Deo, ipsa quoque auctoritas quæ e societatis essentia dimanat, a natura et a Deo est.

590. Societas dividitur in *simplicem* et *compositam*, ratione *materiæ*.

Simplex est quæ constat ex personis physicis; ut societas conjugalis.

Composita, quæ constat ex personis moralibus, seu ex pluribus minoribus societatibus simul conjunctis; ut civitas, quæ pluribus constat familiis. Societas hujusmodi dici potest *organica*, quia ad similitudinem corporum organicorum, constat partibus peculiari structura sociali donatis et ad certum finem socialiter aptis.

591. Ratione *principii formalis*, quod est auctoritas, societas est *æqualis* vel *inæqualis*.

Æqualis est, quum auctoritas in tota societate collective residet. Vocatur *collegium*.

Inæqualis, quum auctoritas non in omnibus collective residet, sed in una vel pluribus personis, quibus ceteri subjiciuntur. Hujusmodi sunt, ut vidimus, societas conjugalis, paterna et herilis.

592. In societate porro æquali auctoritas exerceri nequit, nisi per *unanimitatem realem*, quum nempe omnes idem sentiunt ac decernunt, aut per *unanimitatem artificialem*, quum nempe omnes unanimiter in ipso societatis exordio, aperte vel tacite se obligant ad volendum id quod certus quidam sociorum numerus decernet. Hinc in hujusmodi societate necessarii sunt *conventus*, in quibus negotia vel ad unanimitatem realem, quod raro contingit, vel ad statum *suffragiorum* numerum, v. gr. majoris partis, expediuntur.

593. Spectato societatum *fine*, alia est societas *completa*, alia *incompleta*.

Completa est illa cujus finis est completum hominis bonum. Talis est v. gr. societas paterna.

Incompleta, cujus finis est aliquod bonum particulare. Hujusmodi sunt societates litterariæ, militares, mercatoriaræ, industriales aliæque similes.

594. Nota. 1^o Quoniam externæ solummodo actiones hominum directioni subjici possunt, idcirco finis immediatus ad quem omnis societas quæ pure humana sit, tendere potest, est bonum aliquod externum.

2^o Societas incompleta ex se alterius societatis est pars, quia completo hominis bono non satis providet. Non ita societas completa.

3^o Societas incompleta fieri potest completa, si a completa in qua prius subsistebat, separetur, et non amplius ad particulare solummodo bonum, sed ad universale bonum tendere incipiat.

595. Si societatis *origo* consideretur, *ea potest esse physice vel ethice necessaria, et voluntaria.*

Est physice necessaria illa societas, cujus origo est factum aliquod a natura ipsa profectum; talis est societas paterna.

Est ethice necessaria illa, cujus origo est officium aliquod præexistens, quod ad vivendum in certa aliqua societate hominem obligat. Hujusmodi est societas qua populus devictus populo victori adjungitur, jure securitatis quo hic gaudet post justum bellum.

Est voluntaria societas, si originem trahat a libero consensu. Talis est societas conjugalis. •

ARTICULUS II. DE SOCIALI HOMINIS NATURA

596. Ad quæstionem de sociali hominis natura elucidandam, definienda sunt tria: 1^o an status hominum naturalis sit vita solivaga, silvestris ac belluinæ similis, ut commentus est Rousseavius; 2^o an sit mutuum perpetuumque bellum omnium in omnes, ut sensit Hobbesius; 3^o an homo sit naturaliter socialis.

Propositio I

397. *Status hominum naturalis non est vita solivaga, silvestris ac belluinæ similis.*

1^o Aperta est contradictio genevensis sophistæ, dum dicit hominem in hoc statu primo positum, libertate præditum fuisse, at rationis usum non habuisse; cum tamen

rationis usus sit ipsa libertatis radix. Absurda quoque est ejus suppositio, rationalem facultatem, quæ homini naturalis est, per fortuitas solum causas, seu potius occasiones, erupisse in actum atque evolutam esse, qua de causa rationem inter artificiales facultates collocat. Inexplicabilis demum est mutatio illa, qua homines universi statum sibi naturalem deseruisse et in novo hoc statu naturæ opposito constituisse dicuntur.

2^o Si homo e naturæ manu prodire debuit qualem Rousseavius comminiscitur, naturalis hominum conditio eadem esset ac brutorum conditio, imo hac multo deterior. Nam quamvis perfectioribus organis ac facultatibus homo sit instructus, vitam tamen belluinæ æqualem agitare cogeretur; cumque bruta de iis quæ ipsorum naturæ conveniunt, naturali instinctu statim instruuntur, homo quæ ad animalem ipsam vitam pertinent, per brutorum imitationem addiscere, ad rationis vero usum post multa sæcula pervenire debuisset.

3^o Status iste esset contra naturalem hominis finem. Homo enim in eo statu positus, Deum cognoscere non posset, nec se in illum dirigere; quia rationis usum juxta Rousseavium non haberet. Status autem qui sit contra naturalem hominis finem, naturalis esse nequit.

4^o Ex his patet, statum hunc non esse homini naturalem, sed omnino contra ejus naturam. Unde colliges quam sit hoc deliramentum Dei sapientiæ ac bonitati contrarium.

Propositio II

598. *Status belli perpetui omnium in omnes, naturalis esse non potest.*

4^o Hobbesii theoria hoc maxime continetur argumento: in statu naturæ esse cuique jus occupandi ea quæ ipse ad sui conservationem necessaria esse judicaret. Sed unusquisque in eo statu judicaret esse sibi necessarium omnia possidere contra omnes. Ergo in statu naturali jus esset singulis ad omnia contra omnes. In quo argumento, ut de majori taceamus, aperte falsa est minor et conclusio. Vide superius dicta (319, 1^o, 2^o).

Si hujusmodi esset status hominis naturalis, homo esset naturaliter animal ferox, audax, nocendi cupidum, sibi sufficiens, ac naturalibus armis ad nocendum instructum: naturalis enim hominis status ab hominis natura sponte procedat necesse est. Atqui hominum plerique mites sunt, pacifici ac pavidi, ad benevolentiam proni et ab inferendis injuriis alieni; ordinem ac pacem diligunt, ita ut ipsum bellum amore solum pacis suscipiant; cuncti vero nudi atque inermes et aliorum subsidio indigentes a natura facti sunt. Ergo.

3° Homo hobbesianus ipsis feris pejor esset: feræ enim, vel immitissimæ, in cognatas feras minime sæviunt, sed se mutuo naturaliter diligunt; similitudo enim est amoris naturale vinculum.

4° Quantum hoc hominis monstrum cum Creatoris sapientia, bonitate ac providentia pugnet, nemo non videt.

5° Demum status hominis naturalis rectæ rationi contrarius esse non potest. Atqui status ille belli perpetui et universalis, rectæ rationi est plane contrarius. Recta enim ratio docet, inordinatarum cupiditatum tumultus atque immoderata desideria compescere, et avaritiam, crudelitatem, superbiam damnat. Jamvero ex his infectis fontibus, non aliunde, bellum illud perpetuum et universale dimanaret, ut Hobbesius profitetur. Ergo.

Propositio III

599. *Homo natura sua socialis est.*

1° Hoc luculenter ostenditur ex mutuo parentum ac filiorum amore. Nam homines non ex terra fungorum more, sed ex aliis hominibus nascuntur. Amor autem naturalis inter parentes ac filios adeo tener est ac vehemens, ut nec a parentibus projici negligive filios, nec a filiis deseriri parentes sinat. Igitur ipsa hominis natura societatem domesticam constituit ac stabilem facit. Ergo saltem hæc societas naturalis est.

2° Accedit necessitas absoluta alieni subsidii, tum ad vitam protrahendam, tum ad naturalium facultatum evolutionem, de qua supra dictum est (369, 2°). Ex cujus consideratione necessario concludendum est, divinam providentiam homines ad sozialem convictum ordinasse.

3^o Omnis homo non consanguineos solum, sed omnes homines et naturali officio diligere tenetur et naturali proensione diligit. Hinc videmus homines fastidire solitudinem, amicorum convictu gaudere, anxie quærere aliquem cui sua gaudia suosve mœores communicent, ac vicissim in aliena lætitia et ipsos lætos esse aliorumque mala commiserari, pronos esse ad opem indigentibus ferendam, atque ex animo gestire, si quem suorum honorum participem efficere possint. Mutua vero beneficia et gratus animus mutuum hunc amorem in dies augeant ac dilatent necesse est. Amor autem vis unitiva est ac societatis conciliator. Ergo natura homines sociales fecit.

4^o Ipse hominis aspectus ac loquendi in primis facultas idipsum demonstrant. Vultus enim et oculi vere animi imaginem exhibent, nullaque est intima affectio, nullus occultus motus, qui vultu et oculis atque adeo variis membrorum motibus non significetur; ita ut omnes perspicere possint, quem affectum alter animo conceperit, qua cupiditate agitur, quid cogitet, quid velit. Hic autem mutus sermo luculentissimo indicio est, hominem ad mutuam cum ceteris hominibus communicationem habendam natum factumque esse, atque ab ipsa natura ad id institui.

Loquendi vero facultas est essentialiter socialis. Non modo enim internas affectiones confuse exprimit, ut brutorum voces, sed omnes conceptus, conceptuumque varietates, modos, respectus loquela patefacit. Atqui hoc tam facile, tam aptum ac locuples communicationis medium, quod homini a natura tributum est, nullum extra humanam societatem usum haberet. Præterea hæc eadem facultas ex una parte naturalis est et ad plenam rationis evolutionem necessaria, ex altera extra hominum societatem ad actum venire non potest: loqui enim non discimus, nisi loquentes audiamus.

ARTICULUS III. DE CIVILIS SOCIETATIS NOTIONE

400. Societas civilis est *multitudo personarum sui juris, communis securitatis, commoditatis ac perfectionis facilius et cumulatius assequendæ causa, conjuncta.*

Hinc 1^o materia ex qua civilis societas immediate coalescit, sunt *patres familias*: hi enim sunt sui juris. Qui

vero sunt sub patria potestate, ad societatem civilem pertinent, quatenus sunt in una eademque familia cum suis patribus conjuncti. Unde etiam dici potest, societatem civilem immediate constare familiis, quæ sunt personæ morales sui juris; ac certe dici debet societas organica (590).

2º Societas civilis est societas completa. Nam securitate, commoditate ac perfectione civium completum hominis in hac vita bonum continetur.

5º Ex inspecto civilis societatis fine, inferes quæ sint generalia ejusdem erga cives officia: debet videlicet societas, et auctoritas per quam ipsa agit, civium securitati, commoditati ac perfectioni tum physicæ tum intellectuali prospicere, hæc tamen omnia honestati, quæ summum est hominum in hac vita bonum, subordinando.

Propositio I

401. *Societatis civilis origo remota est duplex: amor mutuus et indigentia; proxima vero aliquod factum quod homines stabilibus inter se relationibus conjungat.*

Prob. 4ª pars.

Quisque hominum omnes homines naturaliter diligit, ut supra dictum est (399, 3º); aliquos vero præ ceteris, sive ex sanguinis conjunctione sive ex naturali propensione sive ex morum similitudine sive ratione beneficiorum. Qui autem mutuo se amore prosequuntur, simul versari ac degere, mutuaque consuetudinem habere cupiunt, ac se invicem juvare, se invicem defendere vehementer gaudent. Ergo amoris effectus est multitudinem in societatem conjungere.

Accedit indigentia ac propriæ utilitatis amor. Nam cum homo omne bonum appetat, non tamen, ut cetera animalia, a natura habet quæ ad sui tutelam, et convenientem commoditatem ac perfectionem pertinent; habet nihilominus rationem, qua possit ex universalibus principiis hæc omnia cognoscere ac modum invenire ea sibi comparandi, habetque mirabile manuum instrumentum, cujus ope quidquid ratio excogitavit et ars concepit, efficere queat. At nec unus homo nec una familia ad hæc omnia invenienda

pervenire, aut ad hæc apparanda sufficere valet. Indigentia itaque ac propriæ utilitatis amor singulos homines singulasque familias exstimulant, ut ad se mutuo accedant, mutuumque sibi auxilium polliceantur, ut muneribus divisivis, bonis omnibus quæ ratio excogitare et ars efficere potest, omnes perfruantur.

402. Hæc quidem ad civilem societatem sive ineundam sive colendam generalim hominem trahunt. Ratio vero quæ determinatas societates proxime constituit, in aliquo antecedenti facto quærenda est : unde hæc quæstio ad historicum potius pertinet quam ad philosophum.

Factum tamen princeps ex quo societas civilis juxta primam naturæ intensionem sponte dimanat, est familiæ propagatio. Postquam enim fratres eadem familia nati, connubia inierunt filiosque procrearunt, contineri amplius in eadem domo non possunt. Hinc domos multiplicare necesse est ; sed cum amor et mutui auxilii necessitas fratres omnino separari vetet, domus multiplicantur quidem, sed altera prope alteram constituitur, ut mutuæ habitantium relationes non abrumpantur. Hoc pacto vicus exurgit, et ex vico civitas ac natio.

403. Ceterum non omnes societates hoc pacto ortas esse, facile concedi potest. Quædam enim societates oriri potuerunt vel ex libero plurium familiarum non cognatarum in eundem locum convenientium consensu, vel ex adventu extraneorum in territorium jam ab aliqua familia occupatum, vel ex alicujus hominis potestate qui independentes a se familias suo dominatui subegerit, vel ex aliis similibus causis.

Propositio II

404. *Status civilis statui domestico simpliciter præstat.*

Videlicet, quanquam potest esse aliquid in statu domestico, quo solo considerato, status hic civili antefendus videatur, si tamen omnia considerentur, status civilis domestico est præferendus.

Prob. propositio.

1° In societate civili, exigentiis humanæ naturæ physicis et intellectualibus, omnibusque humanorum ingenio-

rum legitimis propensionibus multo commodius fit satis, quam in statu domestico: exigentiis physicis, quia ex mutuo commercio et ex aliorum industria plura in hunc finem et media et remedia cuique suppeditantur; exigentiis intellectualibus, quia solum in societate civili, collatis plurium studiis, scientiæ progredi possunt et facile apprehendi; variis propensionibus, quia homines ab aliis occupationibus liberi, eam artem aut industriam exercere possunt quæ cuique arriserit.

2º Sunt quoque in civili societate media aptissima ad iurium naturalium tutelam. Nam et injustæ aggressiones vi publica impediuntur, et vis illata facilius repellitur, et lites quæ circa jura exsurgunt, facilius dirimuntur.

5º Ordo moralis multo melius in civili societate servatur atque protegitur. Etenim

a) Quanquam ex hominum perversitate, plura sunt quandoque in civitatibus ad vitium irritamenta, sunt etiam, idque ex ipsa societatis natura, validissimæ media quæ a vitiis homines retrahunt. Hujusmodi sunt auctoritatis publicæ vigilantia, publica honestas, pœnarum metus, spes honorum ac dignitatum, amor bonæ existimationis, timor infamiæ.

b) Sunt etiam in civitatibus plurima ac validissima ad omnigenas virtutes incitamenta, exemplum, æmulatio, laus, præmium: sunt quoque frequentiores occasiones exercendæ virtutis; imo vero nobilissimis virtutibus vix esset locus extra civitatem, v. gr. iis omnibus quæ ad publicum bonum spectant.

c) Nominatim religio divinusque cultus in civili societate magis promovetur quam in societate domestica. Cultus enim publicus ac solemnis magnam vim habet ad pios erga Deum motus ciendos: magnum divinæ majestatis conceptum inducunt templa resque omnes divino cultui dicatæ, omnigenarum artium operibus splendidæ; ac solum in civili frequentia plures reperiri possunt qui, ceteris neglectis, divino tantum cultui vacent, hominumque animos ad Deum attollere unice curent.

Propositio III

405. *Civilis societas naturalis homini dicenda est.*

Sane quod a naturali principio, vi naturalium conditionum sponte dimanat, naturale dicendum est. Atqui civilis societas, vi naturalis amoris et naturalis indigentiae, e societate paterna, quae a natura est immediate instituta, sponte dimanat (401, 402). Ergo societas civilis a natura intenditur. Propterea semper naturalis dicenda est, etiamsi quandoque causa ejus proxima non sit familiae propagatio, sed plurium hominum independentium consensus, aut aliqua alia similis causa.

406. Notanda. 4^o Aliter naturalis est societas paterna, aliter civilis. Societas paterna naturalis est, quia factum ejus fundamentale a natura ipsa ponitur: natura est enim quae certos filios certis parentibus immediate et independentem ab eorum voluntate conjungit. Societas vero civilis naturalis est, quia ab hoc facto naturali sponte dimanat, non tamen ita ut excludat voluntatis influxum.

Præterea societas conjugalis præcipitur humano generi, ut dictum est (359): societas vero paterna parentibus præcipitur jure naturæ, filiis imponitur physica necessitate. At societas civilis per se, nec humano generi nec individuis præcipitur, nec imponitur physica necessitate, sed suadetur a natura, quae blande homines ad eam trahit pondere amoris, atque urget stimulo indigentiae.

2^o Hinc inferes, non prohiberi singulos individuos a civili societate se subducere, atque in solitudine degere; si quis non odio hominum id consilii capiat, sed amore virtutis.

407. Obj. 4^o Natura a) unumquemque hominem independentem fecit. Homo vero in societate civili positus, jacturam facit independentiae, quia politicæ subditur auctoritati.

b) Natura inclinatur singulos ad suum bonum quærendum. In civili vero convictu, singulorum bonum bono communi subordinatur.

408. Resp. ad 4. *Dist.* Natura fecit hominem indepen-

dentem a quavis potestate, *nego*; a potestate civili, *subd.* non subiecit hominem civili potestati immediato præcepto, *tr.* mediantibus naturalibus propensionibus et indigentis *nego*.

Dist. min. ita tamen ut hæc jactura bonis majoribus compensetur, *conc. secus, nego*.

Natura unumquemque fecit parentum potestati imo cuiusque juri validiori subjectum: jus enim validius naturalem independentiam coarctat (513, 4^o); civili vero potestati homines subdidit eodem modo quo eos ad civile consortium attraxit. Quod si in civili consortio homo subditur legibus, quæ naturalem independentiam aliquantulo magis coarctant, hæc coarctatio humanæ naturæ non repugnat, quia status socialis est homini naturalis; bona vero quæ hic status confert, modicæ illi jacturæ omnino præponderant.

Ad 2. *Dist.* In societate civili bono communi subordinatur bonum singulorum finale, *nego*; bonum aliquod quod rationem habeat medii ad finem non necessarii, *tr.*

Homo in eo quod bonum commune pro viribus procurat, potissimum si id præstet cum aliquo rerum suarum detrimento, maximum suum bonum assequitur, nempe bonum honestum. Advertendum deinde unumquemque dum commune bonum procurat, sibi quoque prospicere. Bonum enim commune est bonum singillatim omnium qui in societate degunt.

409. Obj. 2^o In statu domestico

a) Innocentior est vita quam in statu civili;

b) In quo excitantur plurimæ cupiditates quibus omnes satisfacere nequeunt; plurimis vitiis esca suppeditatur; artibus ipsis ac scientiis superbia ac luxus fovetur; atrocissimis bellis multa hominum millia misere intereunt.

c) Quod si supremus imperans impius sit ac crudelis, subjectus ei populus miserrime divexatur,

410. Resp. Ad 1. *Dist.* per se *nego*; per accidens, *omitto*. Nescio enim, si familiæ separatæ vixissent, utrum vita innocentior quam in civili societate futura fuisset. At quidquid de hoc opinari libeat, certe innocentie jactura ex neutrius societatis natura ac fine per se dimanat, sed per accidens tantum, propter hominum perversitatem utramque pervertit.

Ad 2. et 3. eadem esto responsio. Notandum autem 4^o bella fortasse atrociora ac frequentiora futura fuisse, si homines extra civile consortium vivere debuissent; 2^o de his et similibus malis quæ e statu civili per accidens sequuntur, idem sentiendum esse quod de malis universis; ea nimirum divinæ providentiæ subjici, quæ in hominum bonum omnia ordinat (M. 625, seq.).

CAPUT V

DE POTESTATE POLITICA

414. Dicendum deinde de potestate politica. Cujus existentia supposita ex dictis (388), quærendum est hoc loco 4^o de natura politicæ potestatis; 2^o de ejus origine; 3^o de subjecto in quo illa residet.

ARTICULUS I. DE POLITICÆ POTESTATIS NATURA

Propositio I

412. *Potestatis politicæ munus est movere cives ad operandum vel ab operando retrahere, prouti requiritur ad finem civilis societatis assequendum.*

Quod affirmamus, manifestum est ex generica socialis auctoritalis notione (587, 5^o), et ex ejus fine (388).

415. Hinc 4^o inferes potestatem politicam imperio suo cives obligare, eosque per vim ad implenda mandata cogere posse. Juri enim imperandi obligatio obtemperandi respondeat in subditis necesse est: juris autem perfecti possessor vi coactiva uti potest (356). Quod si potestati politicæ non liceret vi uti, societas civilis suo fine frustraretur, imo vero ejus salus quotidie periclitaretur.

2^o Perspicias qua in re politica potestas a paterna et ab herili differat. Differt a paterna; primo quidem quia paterna potestas oritur ex ipsa sanguinis conjunctione, potes-

tas vero civilis e societatis essentia; deinde quia illa prospicere singillatim debet cujusque filii bono, hæc vero generatim bono communi; demum quia illa decrescit, crescente filiorum ætate (374), hæc vero semper eadem manet.

Differt ab herili, quia finis herilis potestatis est bonum domini per servi operas assequendum, finis vero politicæ potestatis est ipsorum subditorum bonum.

5º Politica potestas differt etiam a ceteris socialibus auctoritatibus, quod est independens. Independens porro est auctoritas, quæ in ordinandis ad commune bonum subditorum actionibus, alteri humanæ auctoritati non est subiecta.

414. Primitiva formarum quas politicum regimen assumere potest, divisio, est in *monarchiam* et *polyarchiam*.

Monarchia est potestas politica tota residens in subjecto physice uno.

Polyarchia est potestas politica residens in subjecto physice multiplici, ac solum moraliter uno.

Omnes autem possibles regiminis formas in unam vel alteram recidere debere, manifestum est ex eo quod inter unum et plura, inter simplex et compositum, nihil est medium.

415. Quatuor regiminis formæ vulgo assignari solent, *monarchia*, *aristocratia*, *democratia*, et *formæ mixtæ*. Monarchia est imperium unius, ut supra diximus; aristocratia est imperium optimatum; democratia imperium totius populi, i. e. omnium personarum sui juris quæ societatem immediate constituunt (599); mixta, quæ constat ex varia harum præcedentium formarum copulatione. Quisque autem videt, excepta prima, reliquas formas esse totidem polyarchiæ subdivisiones.

416. Notanda. 1º Auctoritas semper eadem est sub quamque regiminis forma: semper enim e societatis essentia oritur; et quamvis in pluribus divisa resideat, semper tamen est una.

2º In forma polyarchica auctoritas proprie in gubernantium consensu residet. Hic enim consensus ex pluribus unum facit. Consensus autem iste debet esse unanimis unanimitate reali vel artificiali (592).

3º In aristocratia ac democratia, vel etiam in formis

mixtis, non omnes potestatis politicæ functiones a toto imperantium collegio, multo vero minus a tota multitudine exerceri possunt. Hæ itaque exercentur ab uno vel pluribus non propria auctoritate, sed ex sui collegii, vel populi mandato, eorumque nomine. Hinc variæ *repræsentativi* regiminis formæ.

4° Formæ spurix ac vitiosæ regiminis sunt *tyrannis* et *anarchia*.

Tyrannis est *potestas politica injusta*. Quoniam autem potestas injusta esse potest ratione originis et ratione abusus, hinc tyrannus dupliciter dicitur, qui potestatem sine jure usurpavit, et qui contra fas ea abutitur in civium perniciem.

Anarchia est *ille abnormis status societatis civilis in quo omne auctoritatis exercitium manet suspensum*.

5° Imperfectæ formæ quæ in tyrannidem facile degenerant, sunt *despotismus* et *oligarchia*.

Despotismus est *monarchia non legibus sed arbitrio gubernans*.

Oligarchia est *plurium despotismus*.

417. Quænam sit optima regiminis forma, quæri potest universim et absolute, vel in concreto et relative ad singulos populos. Prima quæstio nullius frugis est; nam in rebus humanis non debet quæri quid generatim et in se conveniat, sed quid conveniat in particulari et consideratis adjunctis. Igitur quæ sit universim et absolute optima regiminis forma, inquirere non est necesse.

Propositio II

418. Relative *illa regiminis forma est optima quæ est legitima*.

1° Quidem quia ii solum qui jure imperandi omnibus manifesto et ab omnibus honori habito pollent, civium voluntates obligare possunt; ac propterea ii solum eorumdem civium operationes ad commune bonum efficaciter dirigere valent.

2° Quia illa est in aliqua gente præstantissima gubernii forma, quæ ejus indoli, amplitudini, territorio, relationibus adjunctisque ceteris maxime convenit, et ex tota ejus

populi historia sponte dimanat. Atqui hujusmodi est legitimum regimen, qualecumque illud sit. Legitimum enim regimen est quum qui imperant, in præcedentibus factis sui juris titulum habent : præcedentia autem facta quæ jus fundare valent, tandem aliquando indolis adjunctorumque populi sunt spontanei effectus, vel etiam causæ.

ARTICULUS II. DE POLITICÆ POTESTATIS ORIGINE

419. Hæc quæstio est adversus pacti socialis propugnatores. Existimaverat Hobbesius homines perpetui status belli qui in statu naturali obtinebat (396) pertæsos, ac mutuo timore compulsos, pacto inito, in societatem convenisse, utque ea stare posset, propriam voluntatem propriaque jura in aliquos irrevocabiliter transtulisse, qui omnibus despoticæ dominarentur. Idem pactum Rousseavius supponendum omnino censuit, ut politicæ potestatis origo explicaretur. Homines enim, ut ipse commentus est, essentialiter liberi sunt atque independentes. Hinc quum e statu silvestri ac ferino emergentes, in societatem coierunt, non aliam associationis formam inire poterant, nisi ejusmodi, ut quisque non obediret nisi sibimetipsi, ac liber ut prius esse pergeret. Quæ quidem consociationis ratio hac una conditione iniri potest, ut quisque socius omnia sua jura toti communitati omnino cedat, omnem suam facultatem sub generalis voluntatis directione constituens. Cum enim hæc alienatio ab omnibus fiat, unusquisque tantum acquirit ut est communitatis pars, quantum cedit ut est singularis persona.

Ex hac igitur alienatorum jurium collectione exurgit generalis voluntas societatis atque imperandi potestas; quæ essentialiter inest multitudini ab eaque inalienabilis est ac nullo limite continetur. Quoniam vero hanc potestatem multitudo per se exercere nequit, aliquibus a se delegatis ejus munera obeunda committit : qui ut administri multitudinis gubernant, et ad multitudinis libitum de gradu dejici possunt.

Propositio

420. Politica potestas non a sociali contractu, sed a Deo dimanat.

Prob. 4^a pars.

Quam sit leviter conficta et absurditate plena hæc contractus socialis fabula, patet 1^o ex iis quæ supponit. Nam ut aliqua memoremus,

Supponit *a)* primitivum ac naturalem hominis statum fuisse vitam silvestrem ac ferinam, nullamque esse societatem naturalem; id quod ex dictis falsum et absurdum est (597). Quod si supponatur, ut supponi debet, societas naturalis, quæ est domestica, jam non modo socialis auctoritatis, sed etiam variarum regiminis formarum origo, independenter ab omni pacto, facile explicatur, ut postea dicemus.

Supponit *b)* omnes homines esse naturaliter independentes, et hanc independentiam inalienabilem esse; quæ quidem vera sunt, si loquamur de independentia quoad esse dignitatemque personæ (580), at falsa, si sermo sit de independentia quoad operationes. Nam non modo natura ipsa morali officio hanc independentiam coarctat in societate domestica, et inducit ad eam coarctandam amplius quum ad statum civilem inducit (599), sed unusquisque eam libere coarctare potest voluntaria subjectione.

Supponit *c)* omnes homines esse in concreto naturaliter æquales, æqualia item esse eorum jura; ac propterea in contractu unumquemque tantum recipere ex aliorum cessione, quantum cedit de suo. Utraque autem suppositio aperte falsa est (505).

Supponit *d)* cives in societate nullo jure pollere, omniaque individuorum jura in societatem esse translata. Quod aperte falsum est; sunt enim jura non pauca naturæ lege inalienabilia; et intolerandæ tyrannidis fundamenta ponit.

2^o Pactum hoc exstitisse, et non ab uno tantum populo sed ab omnibus initum esse, nullo modo probatur. Nullum siquidem pacti hujus exstat documentum. Atqui pacta supponi nequeunt, licet necessario iniri debuisse dicantur; ac

si dubia sint non obligant. Verum non modo non existit pactum hoc, at nec existere potuit. Homines enim rudes ac barbari, qui vix rationalem vitam vivere inciperent, nec civilis status commoda intelligere, nec ejus vincula ferre potuissent.

5^o Manifestæ sunt contradictiones quas hæc hypothesis continet. Libertas enim ponitur inalienabilis esse, ac simul alienari perhibetur, imo vendi, quia per cessionem libertatis propriæ acquiruntur particulæ quædam libertatis alienæ. Præterea libertas constituitur in omni juris privatione: contractus perpetuo obligans initur, quin ulla sit lex naturalis a qua inviolabilem firmitatem pacta acquirant; et quod prorsus ridiculum est, omnis pœna ipsaque pœna capitis quæ a societate infligatur, non aliunde dimanare dicitur quam ex ejus cui infligitur voluntate. Missa facio cetera.

4^o Absurdas hujus systematis consecutiones nemo non videt. Hac doctrina recepta, unica est legitimi regiminis forma, democratia; quod communi hominum sensui repugnat, quamque falsum sit ex dicendis patebit. Ad hæc: nullum singulis civibus jus superest, nullum eos officium obligat, quod a libera multitudinis voluntate ortum non ducat: quo posito omnia jura omniaque officia, atque intrinsecum omne inter bonum ac malum discrimen evertuntur. Hinc ex una parte teterrima multitudinis tyrannis, ex altera cum rebellandi jure perpetua anarchia, ac continua politici ordinis eversio. Huc demum redit contractus socialis theoria, quemadmodum experientia sane luctuosa comprobavit ac comprobat.

421. Prob. 2^a pars.

4^o Divina providentia ad civilem societatem homines adducit, ipsa trahente natura. At vero societas nulla sine auctoritate quæ ei præsit, consistere potest. Ergo divina providentia homines adducit ad hoc ut politicæ potestati obnoxii sint. Posita vero sociali conjunctione, necessario vult ut homines ei subjaceant. Quod enim a rerum essentia requiritur, re posita, Deus non potest non velle.

2^o Ad hoc ut civilis societas suum finem assequatur, requiritur directio politicæ potestatis non quæcumque, sed ejusmodi directio quæ singulos obligare valeat. Obligandi autem vis dimanare tandem nequit nisi a divino præcepto

(194). Ergo potestatis politicæ auctoritas tota est a Deo, nec nisi a Deo esse potest.

422. Igitur quemadmodum politicæ potestatis necessitas est in societate independenter ab hominum arbitrio, ita quoque, coadunata multitudinē in societatem, est in ea politica potestas, non ex voluntate sociorum, sed ex ordinatione divina. Voluntas humana non creat potestatem, sed ad summum ponit conditionem quam illa præsupponit, videlicet conjunctionem multitudinis; ac præterea determinat quandoque regiminis formam ac subjectum in quo auctoritas residere debeat. Ita quoque in conjugio, voluntas quidem hominum causa est ut fiat conjugalitatis societas; sed officia ac jura quæ huic societati inhærent, a lege naturæ atque a divina ordinatione dimanant.

ARTICULUS III. DE POLITICÆ POTESTATIS SUBJECTO

Propositio I

423. *Subjectum in quo residere debeat politica potestas, aliquo facto determinatur. Hoc autem factum non est necessario multitudinis consensus, sed ut plurimum est jus aliquod præexistens.*

Quod subjectum politicæ potestatis aliquo facto determinari debeat, non difficile probatur. Homines enim abstracte considerati, sunt omnes æquales et invicem independentes. Ergo spectatis tantummodo essentialibus hominum relationibus, fieri nequit ut inter eos reperiat qui jus habeat ceteros ordinandi ad societatis finem. Necesse est igitur ut titulus determinans auctoritatis subjectum, ex contingentium factorum ordine emergat.

424. Hic vero titulus, ut dixi, est ut plurimum jus aliquod præexistens.

Ac 4^o potestas paterna cum dominio territoriali conjuncta. Quemadmodum enim ex domestica societate enascitur civitas, ita vi domini territorialis, potestas paterna ad regiam potestatem evehitur. Si enim filii, adulta jam ætate, in territorio quod genitor possidet, eo consentiente, cum suis familiis degere pergant, ab eo adhuc dependent. Si

enim pater filiis qui patriæ potestati amplius non subjacent, eorumque familiis in suo fundo habitare permittit, sane leges aliquas conditionesque eis potest imponere, ac communi eorum bono prospicere naturali officio tenetur; proindeque jus habet ordinandi ad hunc finem eorum actiones. Quod quidem jus non est patria potestas, longe quoque differt a jure proprietatis, estque ipsa civilis potestas quæ ex essentia conjunctæ multitudinis emergit, et in communi parente suam sedem collocat titulo juris proprietatis. Sic naturaliter exurgit monarchia, quæ in primi stipitis hæredibus continuatur, absque ullo populi influxu, solo præexistentis juris titulo.

425. Ex eodem proprietatis titulo oriri potest polyarchia. Fac enim filios emancipatos e paternis terris cum suis familiis migrare, aliasque occupare terras; ita tamen ut tum mutuo amore tum indigentia compulsi, vivere conjuncti pergant. Cum hi patresfamilias sint penitus æquales, auctoritas prospiciendi communi bono nullius eorum est propria. Residet ergo in omnibus simul.

426. 2º Utraque regiminis forma oriri quoque potest ex titulo magisterii, præsertim religiosi, et ex militari imperio. Si enim multitudo quæ alicujus magistri doctrinam sequitur, vel sub aliquo duce, defensionis gratia, conjuncta est, territorium aliquod acquirat, atque independens fiat, jus principatus in magistro vel duce, aut si plures ii sint, in magistrorum vel ducum cætu consistit, vi juris præexistentis, quo magister discipulis, dux militibus præest. Idipsum dici potest de quacumque alia societate particulari, si fiat independens.

427. 3º Oriri quoque potest politica potestas ex justo bello. Si aliquis princeps cum suo populo adversus aliam quampiam gentem legitimè bellum suscipit, sane, si hoc ad læsi juris perfectam compensationem, vel ad futuram securitatem requiratur, parva victoria, jus eam gentem gubernandi in se transferre potest. Tunc vero politicæ potestatis subjectum non modo non determinatur populi consensu, sed potius contra ejus voluntatem. Nihilominus legitimus ille princeps est, ac devictus populus ei obtemperare tenetur.

428. Non tamen semper ac necessario titulus quo potestatis politicæ subjectum determinatur, est jus aliquod

præexistens, sed quandoque multitudinis consensus esse potest; idque duobus modis :

1. Quum quis imperium occupat, absque alicujus injuria et populo aperte vel tacite consentiente. Fieri enim quandoque potest, ut multitudo aliqua principe careat vel eum amiserit. Si nemo est in quo principatus obtinendi jus præfulgeat, ac vir aliquis qui potentia et rerum agendarum peritia, ad hoc munus suscipiendum sit idoneus, multitudinem gubernare aggrediatur, populus vero ejus se regimine duci sinat, quis neget hunc et licite hanc potestatem occupasse, et legitimum principem esse? Imo fieri potest ut ejusmodi incidant rerum adjuncta, ut certa quædam persona non modo licite principatum assumat, sed ad eum assumendum naturali humanitatis officio teneatur.

2. Alter modus est electio; quum nempe nullo existente qui multitudinem regat, aut ad eam regendam jus habeat, multitudo, datis suffragiis, aliquem ad imperium assumendum vocat invitaturque.

429. Ex dictis inferes 1º falso affirmari a socialis contractus defensoribus, primitivam ac naturalem regiminis formam unice democratiam esse.

2º Falso quoque dici, ubi viget monarchia vel simplex vel mixta, auctoritatem natura sua primo tribui a Deo multitudini, ac deinde a multitudine in principem transferri.

430. Sunt tamen qui hæc quæ modo intulimus negant, quamvis concedant, imo contendant, auctoritatem non effici contractu sociali, sed a natura societatis emergere et a Deo esse.

Objiciunt enim. 1º Suprema potestas exurgit ex ipsa societatis essentia. Ergo naturaliter ad societatem pertinet. Sed potestas ad societatem pertinens, est democratia. Ergo unicum naturale regimen est democratia.

2º Omnes homines sunt natura æquales. Sed auctoritas ab ipsa natura profluit. Ergo auctoritas insidet naturaliter omnibus qui societatem constituunt.

431. Resp. ad 1. *Conc. ant. Dist. 4 cons.* Suprema potestas naturaliter pertinet ad societatem in suo esse constitutam ut forma pertinet ad rem cujus est forma, *conc.* pertinet ad societatis materiam, quæ est multitudo, ut ad suum proprium subjectum, *nego.*

Contradist. min. Potestas quæ pertineat ad multitudinem ut ad proprium subjectum, est democratia, *conc.* potestas quæ pertineat ad societatem ut ejus forma, *nego.* Et *nego cons. alterum.*

Auctoritas profecto est formale societatis constitutivum, ut dictum est (589); atque hoc pacto ipsi essentialiter inhæret. Sed non semper nec necessario multitudo est auctoritatis subjectum. Quod si res ita se haberet, nunquam posset auctoritas in unam vel plures personas transferri, ut adversarii supponunt; quæ enim essentialia sunt, inalienabilia sunt.

Ad 2. *Dist. maj.* in abstracto et secundum jura congenita, *conc.* in individuo et secundum jura acquisita, *nego* (305).

Dist. min. Ab ipsa natura profluit auctoritas, i. e. a natura specifica hominum, *nego*; a natura societatis et a naturali ordine, *conc.* *Nego cons.* Æquivocationes manifestæ sunt.

Propositio II

452. *Potestas civilis potest injuste possideri.*

Potestas socialis secundum quod est in subjecto, potest injusta esse tripliciter: 1^o *secundum se*, ut est potestas in societate illicita; 2^o *quoad possessionem*, ut est in eo qui sine jure et contra jus eam usurpat; 3^o *quoad usum*, ut quum is qui potestate præcellit, iniqua præcipit.

Priori modo potestas socialis non est potestas secundum ordinem, ac propterea non est jus. Tertio modo est abusus potestatis: potestas enim quæ suam vim ab ordine accipit, ad ea quæ contra ordinem sunt, se porrigere nequit. At potestas quoad possessionem injusta nullam includit repugnantiam metaphysicam.

Etenim societas civilis sine politica auctoritate diu permanere non potest. At quum quis auctoritatem per vim et contra fas usurpat, societas nullibi reperit auctoritatem qua indiget, nisi in usurpatore. Ergo illi se regendam tradat oportet. Is vero, donec potestatem, prouti debet, non deponat, societatem regere tenetur.

455. Hinc 1^o cum ex officio jus consequatur, injustus

auctoritatis possessor jus habet regendi societatem, quam jus ad hoc jus possidendum non habet.

2° Privati cives ipsum punire non possunt. Si enim ille consideratur ut homo injustitiæ reus, puniri debet ab auctoritate civili, quam ipse possidet; si vero consideratur ut injustus possessor, puniri deberet a legitima auctoritate politica, quæ ad privatos non pertinet.

3° Illicitum est civibus quidquam facere ut injustum auctoritatis possessorem in sua possessione confirment. Injustitiæ enim cooperari nefas est.

4° Legitimus auctoritatis possessor, qui de suo jure exturbatus est, injustum ejusdem possessorem, ad sui juris exercitium recuperandum, aggredi nequit, si hæc aggressio societati perniciem allatura timeatur. Nam cujuscumque privati jus infirmius est jure societatis ad suam incolumitatem.

Propositio III

454. *Qui imperandi potestate abutitur obligandi quidem vi caret, quotiescumque præcipit aliquid quod in se sit evidenter inhonestum; sed auctoritatem non amittit, nisi abusus sit ejusmodi qui ipsum possessionis titulum destruat.*

Ratio primæ partis est evidens. Nulla humana auctoritas efficere potest ut sit licitum, quod naturæ lege illicitum est. Sed quod per se est malum, naturæ lege illicitum est. Ergo. Quod si non sit evidens rei præceptæ inhonestas, obtemperandum est legitimæ auctoritati (225).

455. Secunda pars probatur ex eo, quod in jurium collisione non destruitur omnino jus infirmius, sed ejus efficacia tantum suspenditur, quantum necesse est ad hoc ut inviolabile maneat jus validius (506). Ergo jus subditi ad honeste agendum non destruit jus principis ad imperandum, sed illud suspendit solum quum inhonesta præcipit.

Quod si abusus auctoritatis ipsum titulum everteret quo princeps illam possidet, manifestum est auctoritatem a principe amitti. Sublata enim causa, tollitur effectus.

456. Notanda. 4° Si titulus quo aliqua persona physica

vel moralis auctoritatem possidet, est dominium territoriale, aut aliquod aliud factum immutabile (424, seq.), nullus est auctoritatis abusus qui hunc titulum destruere queat; si vero sit consensus multitudinis, hic titulus per abusum tollitur, aut tolli potest, nisi forte consensus fuerit irrevocabilis.

2° Qui auctoritate constanter abutitur, quocumque titulo eam possideat, ea privari potest ac debet in nequitiae pœnam, si sit alicui præcellentiori auctoritati, v. gr. supremo alicui consensui jure subjectus.

3° Qui supremam auctoritatem immutabili titulo vel irrevocabili consensu oblinet, ac nulli superiori potestati subjicitur, ea privari a populo non potest. Populus enim cum sit illi subditus, auctoritatem non habet illum puniendi.

4° Nulla alia via foret, ad tyrannidem in iis rerum adjunctis præcavendam aut puniendam, nisi ut omnes nationes ac principes, quemadmodum optabat Leibnitzius, supremo cuidam principum consensui voluntario pacto se subderent, ut ab eo controversiæ inter principem ac populum exortæ dirimerentur; vel quod longe melius foret, ut ad supremum et infallibilem veritatis ac justitiæ magistrum, quem divina bonitas in medio christianarum gentium collocavit, hujusmodi controversias deferrent, pacifico ejus ac paterno arbitrato dirimendas.

5° Ceterum meminisse oportet, tyrannidem quæ in potestatis abusu sita est, semper ex morali societatis perversione originem aut saltem pabulum ducere. Si enim omnes imperiis aperte injustis obtemperare impavide recusarent, nemo esset qui tyrannidem fulciret, ac proinde vel nullus esset tyrannus, vel si quis tyrannice agere inciperet, illico ab inceptis desistere cogeretur. Ex quo perspicies, ad impediendos tyrannicos abusus, multo magis quam artificialia obstacula et politicarum constitutionum apparatus ac munitiones, civium honestatem ac liberam animi in officio servando constantiam conducere.

CAPUT VI

DE POLITICÆ POTESTATIS JURIBUS

457. Postremo considerata sunt jura quæ in politica potestate continentur; quæque ad tria reduci solent. Proinde inquirendum 1^o de potestate legifera; 2^o de executiva; 3^o de judiciali.

ARTICULUS I. DE POTESTATE LEGIFERA

Propositio I

458. *Ad societatem civilem recte administrandam, præter legem naturalem, necessariæ sunt leges civiles.*

Nam 1^o quid lex naturalis, in particularibus præsertim adjunctis, præcipiat, sæpe obscurum est (171, seq.); plura vero lex naturæ præcipit quidem, sed quando aut quomodo ea facienda sint, non determinat; quemadmodum potissimum apparet in iis quæ pertinent ad hominum officia, tum inter se, tum erga societatem in qua degunt. Jamvero ad hoc ut socialis ordo servetur, non raro necesse est ut quædam quæ in lege naturali obscure continentur, ab omnibus fiant, utque plura quæ illa indeterminate præscribit, certo quodam modo ab omnibus præstentur. Necessarium est ergo ad socialem ordinem servandum, ut quædam quæ in naturali lege obscure continentur, perspicue præcipiantur, et certus quidam modus exsequendi indeterminata ejusdem legis præcepta omnibus præscribatur.

2^o Necesse quoque est ad commune bonum, ut homines improbi et ad vitia proni, quique virtutis pulcritudine ac proborum monitis a malo retrahi non possunt, certis et inevitabilibus propositis pœnis a peccando coerceantur. Quamvis enim naturæ lex sua sit sanctione munita, ea ta-

men sanctio quæ ad præsentem vitam pertinet, ex se, quæ vero ad futuram, hominum vitio insufficientis est ad omnes in officio continendos. Oportet ergo ut a quibusdam præsertim delictis quæ magis societati nocent, patrandis, humanæ leges certis pœnis ac sine mora infligendis flagitiosos homines deterreant.

Propositio II

439. *Legum condendarum jus ad politicam potestatem pertinet.*

Ad hanc enim pertinet, ut ad commune bonum procurandum civium mentes, voluntates, operationes, certa quadam agendi ratione omnibus proposita, efficaciter coordinet (388, 412). Hoc autem per leges potissimum efficitur, ut perspicuum est. Ergo.

Propositio III

440. *Leges civiles, si justæ sint, obligationem moralem inducunt.*

Nam 1^o si civilis potestas jure gaudet leges ferendi, profecto qui ei subjecti sunt, ab eaque ad commune bonum ordinari debent, officio morali adstringuntur ad leges quas illa proponit, servandas. Jus enim præcipiendi ex una parte, sine obligatione obtemperandi ex altera, ne concipi quidem potest.

2^o Si cives ad leges sibi impositas servandas morali officio non tenerentur, naturæ lex ejusque auctor Deus humanæ societatis securitati ac prosperitati nullatenus prospexisset. Si enim leges ad commune bonum necessariæ non serventur, societas consistere nequit.

Propositio IV

441. *Princeps suas leges servare tenetur.*

Id in primis perspicuum est, quom leges a pluribus feruntur. In regimine enim polyarchico princeps est consentientium collectio; singuli vero qui potestatem in com-

muni possident, privatæ personæ sunt. Proinde singuli obligantur legibus quas omnes collective tulerunt.

442. Idipsum dicendum de regimine monarchico, in quo potestas legislativa unius est propria. Etenim leges humanæ obligant vi legis naturalis, ut modo dictum est. Idcirco autem obligant, quia et ordo postulat et ad commune bonum necessarium est eas observari.

Atqui 1^o ordo postulat, ut princeps leges a se latas observet. Lex enim ordinis cuique præcipit illud : *quod tibi non vis, alteri ne facias*. Si ergo princeps ad commune bonum requiri putat, ut certa quædam norma in agendo servetur, eamque subditis imponit, eandem normam ab ipso servari par est. Quod si hanc sibi gravem experiretur, aliis imponere non deberet.

2^o Idem postulat commune bonum. Etenim ad commune bonum pertinet, ut in sociali corpore pars a toto et caput a reliquis membris non dissentiat, utque princeps pravum exemplum subditis non præbeat, nec se illis contemnendum exhibeat. Hæc vero omnia exigunt ut suis ipse legibus se subjiciat. Ergo.

Propositio V

443. *Quæ sit apta civilium legum materia, ex civilis societatis natura ac fine colligendum est.*

Hinc 1^o id omne quod divinæ legi sive naturali sive positivæ adversatur, humana lege præcipi nequit. Omnis enim actio inhonesta ingens hominis malum est. Quod autem singulis malum est, nequit esse communiter bonum. Ergo.

2^o Quæ physice vel moraliter impossibilia sunt, a legis ambitu excluduntur. Cum enim lex hominibus feratur, ea quæ præcipit, eorum naturæ accommodata esse debent.

3^o Quidquid essentialia hominis jura (515) violat, lege præcipi nequit; nisi qua in re jus individuale in collisionem cum validiori veniens, huic cedere debeat.

4^o Lex civilis ad internos actus se porrigere non potest. Interni enim civium actus sunt humano legislatori ignoti. Ergo ejus ordinationi subjici nequeunt. Proinde humano legislatori jus in internos actus attributum non est.

5^o Non potest civilis legislator in domestica penetralia

se ingerere, atque adolescentium educationem et instructionem tanquam sibi debitam arrogare; nisi constiterit parentes huic muneri omnino deesse. Ratio est, quia educandi instruendique officium parentibus a natura collatum est. Hinc iis jus est ad hoc ut suorum liberorum educationi atque instructioni, sive per se sive per eos quos delegerint, prospiciant.

6° Quod ad rem religiosam attinet, civilis legislator *a)* potest, imo debet efficere ut cuncta quæ religio sive naturalis sive revelata manifeste præcipit, sancte a subditis servantur: *b)* si ad religiosi cultus rationem determinandam nulla esset auctoritas divinitus constituta, posset atque adeo deberet certam aliquam publici cultus rationem juxta naturalis legis principia præfinire ac præcipere. At *c)* cum Deus ipse supernaturalem religiosi cultus rationem determinaverit, atque ad hominum cum Deo relationes moderandas infallibilem Ecclesiæ auctoritatem præposuerit, nefas est principibus quidquam de re religiosa decernere, sed id unum enixe curare debent, ut in omnibus se fideles Ecclesiæ adjutores ac defensores exhibeant. Qua una re, vel maxime, civium incolumitati ac prosperitati consulent.

Propositio VI

444. *Omnes legis essentielles proprietates, seu conditiones ad legis valorem requisitæ, reduci possunt ad hanc, ut lex justa sit, tum ex parte legislatorum, tum ex parte materiæ, tum ex parte subditorum.*

1° Ex parte legislatoris necesse est ut is *auctoritate competenti polleat*. Est autem competens auctoritas, quando ad ea solum se porrigit, ad quæ jus habet. Unde incompetens est, si vel præcipiat iis qui sibi subditi non sunt, vel præcipiat ad finem non suum, vel præcipiat actus qui ad finem ipsi propositum ordinari non possint. Ex his perspicuum est, cur auctoritas legislatoris competens esse debeat.

2° Ex parte materiæ requiritur ut lex sit *a)* *honestæ*, quemadmodum ex dictis aperte fluit (454; 443, 4°); ac præterea *b)* *utilis* ad commune bonum: nam communis boni gratia fertur lex (159, 438).

5° Ex parte subditorum, a) *lex debet esse iis possibilis, non solum physice sed etiam moraliter.* Est enim contra rationem exigere a multitudine quod moraliter impossibile est (M. 26). Hinc lex accommodata esse debet naturæ humanæ fragilitati, consuetudini quoque non repugnans, ac temporis locoque conveniens. b) *Servari debet in lege ferenda æqualitas proportionis* : videlicet et imponi lex debet omnibus ad quos materia illi subjecta pertinet, nisi ex rationabili causa exceptionem fieri conveniat, et ita omnibus imponi debet, ut in onere distribuendo virium et facultatum cujusque ratio habeatur. Quæ quidem omnia manifesta sunt ex conceptu distributivæ justitiæ (244).

Propositio VII

445. *Ut leges omni ex parte societatis civilis fini respondeant, oportet ut legislator populi necessitates compertas habeat, ut media adhibenda mature perpendat, utque de eorundem justitiâ et ipse sit certus et populum securum efficiat.*

Hæc omnia ex modo dictis facile colliguntur.

446. Hinc 1° necesse est ut legislatores et inquirant de iis quæ communis utilitas exigit, et quibus rebus egere se populus judicet, per idoneos viros clare, prompte, et opportuno tempore edoceri possint.

2° Consultatio de legibus ferendis non uni tantum committenda est, sed pluribus, iisque sapientibus ac rerum usu peritis.

3° Ut de legum justitiâ tum legislator tum populus certus sit, maxime convenit, ut sacerdotalis cætus, qui legitimus est moralitatis custos et iudex, suffragio leges confirmentur; idque potissimum apud populos christianos.

ARTICULUS II. DE POTESTATE EXECUTIVA

447. *Potestas executiva est jus applicandi leges ad particularia.* Ejus exercitium dicitur *gubernatio.*

Hæc 1° est ad societatis finem assequendum prorsus necessaria. Si enim leges in praxim non deducantur, com-

mune bonum obtineri nequit. Atqui ut leges in praxim deducantur, necesse est ut sit qui et munus et jus habeat executionem urgendi. Nam ex una parte leges sunt universales : ergo necesse est ut sit qui eas ad particularia applicet. Ex altera vero hominum negligentia, oblivio, prævæque in primis cupiditates persuadent ne hæc applicatio singulis civibus relinquatur.

Oportet ergo ut sit in societate potestas quæ legum applicationi solerter invigilet.

2º Potestas hæc ad supremam politicam potestatem pertinet. Ad hanc enim pertinent functiones omnes ad societatem civilem ordinandam necessariæ.

3º Potestas executiva vi uti potest ac debet, non solum ut externorum hostium aggressiones repellantur, sed etiam ut ii cives qui legum frena excutere ordinemque socialem perturbare tentant, ad obtemperandum legibus compellantur.

4º Hujus potestatis subsidia necessaria sunt *ministri, ærarium et vis publica*. Ministri vel officiales sunt homines quibus aliqua executivæ potestatis pars a principe demandatur. Ærarium est proventus ex bonis publicis ac tributis quæ civibus imponuntur, ad societatis administrationem impendendus. Vis publica est hominum multitudo ad ordinem internum tutandum aut ad societatem adversus externos hostes protegendam, armis instructa et organice ordinata.

Propositio I

448. *Ut recta sit gubernandi ratio, princeps uti debet, secundum quod adjuncta postulant, iis omnibus mediis, quibus homines juxta humanæ naturæ modum moveri honeste possunt.*

Etenim fieri nequit ut homines constanter ad operandum inducantur, iis mediis quæ humanæ naturæ minime accommodata sint.

449. Hinc 1º moveri debet civium voluntas mediante ratione, appetitus per sensum atque imaginationem; ac si hæc media in aliquo casu ad movendum non sufficiant, qui obtemperare detrectant, metu ac vi adigi debent.

2° Perfecta erit societas, si vis ac sensibilia media necessaria amplius non sint ut cives in officio contineantur, sed ita assueti ac prompti illi sint ad bene agendum, ut solis rationis momentis gubernari possint.

3° Perfecta erit gubernandi ratio, si cives ad perfectum hunc operandi modum sensim adducere valeat. Media autem potissima quibus ad hunc finem facile pervenietur, sunt

a) *Justitiæ accuratissima administratio*, qua publica officia omnino juxta meritum, absque ulla personarum acceptione, et præmia ac pœnæ juxta legis præscriptum prompte constanterque distribuuntur.

b) *Solers cura in populi prosperitate procuranda*. Hæc enim potissimum cura populi amorem principi conciliat: amor autem homines quam maxime dociles facit et ad obtemperandum promptissimos.

c) *Sapiens administrorum omnium, etiam infimorum delectus*. Nihil enim multitudini grave magis aut exosum est quam plebeia scribarum ac rabularum tyrannis. Sint igitur ii omnes quibus aliquod publicæ administrationis munus committitur, honesti, laboriosi et ad suas partes obeundas bene edocti; sufficienti stipendio eorum procuratio compensetur, ne auctoritate sua ad privatas utilitates quæritandas abutantur; ac severæ censuræ eorum actus subjiciantur.

d) *Religio*. Si enim hæc in populo radices alte defixerit, valde laborandum non erit ut recte administraretur respublica. Huc igitur principis cura in primis spectare debet, ut religio in populo floreat, civiumque mores informet et actus dirigat.

450. Contendit Montesquius potestatem legislativam, exsequentem ac judicariam diversis subjectis esse attribuendas: si enim hæc potestates, inquit, in una eademque persona, sive physica sive morali, conjungantur, facilis est ad tyrannidem transitus. Quæ opinio æquivocatione atque exaggeratione plena est.

Propositio II

451. *Quamvis societatis bonum exigit ut politicarum functionum exercitium diversis personis attribualur, falsum tamen est ipsarum potestatum divisionem necessariam esse aut sufficere, ad tyrannidis periculum avertendum.*

Prob. 1^a pars.

1^o Pericula quæ Montesquius objicit, tunc vere locum habent, quum, quemadmodum apud barbaros vel semi-barbaros populos usuvenit, eadem est persona quæ leges condit et applicat. Tunc enim si quæ sunt in principe pravæ cupiditates, nullo freno temperantur; ac si quando ille errat aut præcipitanter decernit, nulla mora, nullus alterius interventus ejus impetum retardat.

2^o Legum præparatio et exsecutio diversas mentis animique dotes expostulant, quæ in uno eodemque subjecto difficulter reperiri possunt conjunctæ.

3^o Fieri nequit ut iis qui legum executioni intenti esse debent, otium suppetat ac mentis tranquillitas ad leges consilio maturandas. Quare facile contingere potest ut in utroque munere obeundo a rectitudine aberrent.

452. Prob. 2^a pars: Potestatum divisio necessaria non est ad tyrannidis periculum avertendum.

Id enim 1^o experientia falsum probatur. Nam in omni ætate et apud cultissimas gentes tota politica potestas in uno homine vel in uno hominum cœtu viguit, quin tamen aut leges essent tyrannicæ, aut arbitrario modo executioni mandarentur.

2^o Si quum jura politica divisa sunt, studiorum atque partium oppositio a tyrannidis metu populum liberat, quemadmodum Montesquius contendit, nonne etiam quum jura omnia in uno collecta sunt, idipsum poterit æquitas, probitas, patria caritas imperantis? Atqui difficile sane non est, principem æquum et probum ac civium amatorem reperire. Nam hoc ipso quod princeps omnibus potestatis partibus eminent ac penitus independens est, ab ambitione, avaritia, invidia immunis esse potest, simulque publicæ vituperationis et execrationis timore intra æquitatis fines

contineri, præsertim cum populi securitas ac felicitas sint ipsius principis bonum, ac civium existimatio et amor præmium ejus maximum.

455. Prob. 3^a pars : Potestatis divisio ad tyrannidis periculum avertendum non sufficit.

Nam 1^o etiamsi inter plures politica jura divisa sint, si tamen hi probitate carent, ac solo utilitatis suæ studio ducuntur, facile fieri poterit ut universi per mutuas aliquas compensationes rebus suis in tuto collocatis, ad tyrannidem exercendam, si id utile sit, conspirent. Atqui profecto non repugnat inveniri homines qui suis unice utilitatibus studeant ac de æquitate bonoque publico parum sint solliciti; maxime cum singuli sciant, in regimine polyarchico non singulos qui gubernationis partem exercent, sed horum solummodo collectionem populi invidiam subire, tyrannidis causa.

2^o Ex historia compertum est, sicubi probitas in reipublicæ rectoribus defuit, sive potestas in uno collecta esset sive in plures divisa, arbitrio res gestas, et ut paucorum utilitati consuleretur, populum misere oppressum ac vexatum fuisse.

Ex quibus concludes civium securitatem ac potissimam boni regiminis cautionem in honestate eorum qui rempublicam administrant, sitam esse.

ARTICULUS III. DE POTESTATE JUDICIALI

454. Potestas judicandi, quæ et *jurisdictio* dicitur, est *potestas ordinata ad civium jura protegenda, asserendo dubia, læsis reparationem decernendo.*

Hinc 1^o duplex est judicialis potestatis functio. Prior est judicium quod in jurium conflictu declarat unum potius quam alterum secundum rationem prævalere (306) : atque hoc dicitur *judicium civile*. Altera est judicium quod factam juris læsionem damnat, debitamque læsori pœnam determinat : atque hoc dicitur *judicium criminale*. Crimen enim est culpa quæ perfectum jus violat, quæque proinde socialis inordinatio est.

2^o Triplex est judicialis potestatis actus : *discussio, judicium, exsecutio*. In re civili, discussio jura confligen-

tia expendit, ut jus prævalens discernatur; judicium definit denuntiatque societati quod sit jus prævalens; exsecutio vis socialis subsidia juri prævalenti confert. In re vero criminali, discussio de veritate ac natura criminis inquit; judicium definit crimen admissum esse vel secus, ac pœnam illi debitam decernit; exsecutio per vim socialem pœnam irrogat. Utriusque judicii norma sunt leges.

5^o Judicialis potestas est pars supremæ politicæ potestatis. Hujus enim munus est, socialem ordinem protegere et commune bonum procurare. Jamvero et socialis ordo et commune bonum postulant, ut cujusque jura tuta sint eorumque læsio repareretur. Ergo.

Propositio I

455. *Judiciorum civilium necessitas est manifesta.*

Cum enim in civili societate frequentes sint jurium collisiones, frequentes etiam oriuntur controversiæ, nec ab omnibus facile perspicitur jus prævalens. Si vero socialis potestas hujusmodi controversias dirimere non posset, 4^o operationes multæ civium sæpe manerent suspensæ: incerta siquidem manente operandi potestate, plures ab agendo abstererent, plures actionem impedirent; 2^o socialis tranquillitas turbaretur: nam dum quisque jus suum validius existimat et pro viribus tuetur, interminabiles existerent inter cives discordiæ ac perpetui conflictus.

Propositio II

456. *Judicia civilia sunt ordinationes obligandi vi præditæ, non mera functio logica aut purus arbitratus.*

Nam ad socialem ordinem publicamque tranquillitatem servandam, necesse est ut exortæ de juribus controversiæ perpetuæ non fiant, sed definitive dirimantur et componantur. Atqui ad hoc non sufficit mera sapientum quorumlibet opinio, sed prorsus necessaria est decisio quæ vim legis habeat, ac moralem obligationem voluntati imponat, publicaque vi etiam reluctantibus imponatur. Ergo judicia

civilia quæ ad controversias de juribus componendas instituta sunt, obligandi vim ad modum legis possident.

Hinc non sunt mera functio logica, i. e. mera opinatio absque auctoritate et imperio.

Nec merus arbitratus. Nam arbitratus est iudicium privati quem contententes eligunt, ut controversiam quam inter se habent, componat; cujus tamen iudicium nullam ex se obligationem inducit. Contententes enim non tenentur ad exsequendum arbitri iudicium, nisi ex fide sibi invicem data.

457. Pœna est *malum sensibile inflictum mali moralis causa*; videlicet ut inordinatione quæ per malum morale effecta est, sublata, ordo in integrum restituitur.

Jamvero crimen triplicem ordinem lædit: *ordinem individualem* in ipso delinquente, cujus voluntas sensibile bonum bono rationis præfert; *2º ordinem socialem externum*; nam crimen est injuria alteri illata ac demeritum in illum (87), vel demeritum in societatem (95); *5º ordinem internum judiciorum*, qui est ordinis externi fundamentum; pravum enim exemplum sensim facit ut delictum parvipendatur, præsertim si in delinquentis utilitatem cedere perspicitur.

Pœna igitur hunc triplicem ordinem restaurat. Restaurat ordinem individualem; quia voluntatem quæ bonum sensibile a quo se abstinere juxta rationem debebat, prosecuta est, privat sensibili bono quo juxta rationem frui poterat. Restaurat ordinem socialem externum: nam eum qui malum alteri intulit, cogit malum pati (91). Restaurat denique ordinem judiciorum; quia omnibus manifestam facit delicti deformitatem, omnibusque suadet illud utile non esse; quo pacto impulsam omnem ad crimen elidit, atque adeo a peccando homines deterret.

Pœna igitur est simul *medicinalis, reparatrix, et exemplaris*.

Propositio III

458. *Politica potestas jus habet, ac proinde officio adstringitur infligendi criminibus debitas pœnas.*

Probatur ex iis quæ modo diximus de pœnarum finibus.

Etenim 1^o politicæ potestatis officium est, ut uniuscujusque e suis membris bonum promoveat, et unumquodque ad totius societatis bonum ordinet. Ad eam ergo pertinet, ut perversam delinquentis voluntatem ad ordinem reducat. Hæc autem reductio fit per pœnam. Pœna enim sensum rationi in delincente subesse cogit, ac præterea eum docet quanta fuerit admissi a se criminis gravitas, atque hoc pacto eum ad respiscendum valide movet.

2^o Tenetur quoque politica potestas externum societatis ordinem conservare, tueri, perturbatumque in integrum restituere. Externus autem societatis ordo, justitiæ ordo est. Atqui crimen per hoc quod aliorum jura lædit, ordinem justitiæ perturbat. Hunc ergo ordinem civilis potestas redintegrare tenetur. Ordo autem justitiæ reparatur per pœnam (94). Ergo.

3^o Munus demum est summi imperantis ut futuræ societatis securitati provideat; cui quidem adversatur pravum delinquentis exemplum. Est enim pravum exemplum quasi quædam contagio quæ in societatis sinu serpit, ac plures ad malum allicit ac stimulat. At pœna omnem criminis illecebram tollit ac stimulos obtundit, illudque ipsi sensui abominandum efficit. Ergo.

459. Hinc 1^o patet juris pœnalis fundamentum non esse pactum sociale (418, 419, 5^o).

2^o Falsum quoque illud unice fundari in jure defensionis quo societas instructa est, ut sentit Romagnosius. Pœna enim, ex communi hominum judicio, non futuris criminibus sed præteritis irrogatur: tamen irrogatur quoque vi juris quo societas propriæ defensionis ac securitati consulere debet.

Propositio IV

460. *Pœnæ quantitas ex criminis gravitate, qualitas ex delinquentis conditione et adjunctis determinanda est.*

Primum patet ex notione justitiæ (94, 544).

Criminis porro gravitas æstimatur ex majori vel minori documento quod individuis et societati affert; gravitas vero pœnæ ex boni quo privat, natura et excellentia.

Criminis gravitas duplex est, altera *specifica*, quæ ex ac-

tus objecto et adjunctis desumitur, altera *integralis*, quæ ad executionem refertur. Licet enim delictum in voluntate sit, potest tamen hæc prava voluntas solo animi proposito contineri; potest etiam verbis manifestari; potest præterea executionem aggredi; executio insuper potest effectu carere, vel prævum animi propositum perficere. Qui quidem delicti gradus sunt alter altero graviores.

461. Altera pars constat ex eo quod diversa sunt in diversis hominum conditionibus de bonis ac malis judicia, diversæ quoque propensiones, assuetudines, indigentia ac sociales relationes. Hinc certi alicujus boni jactura quibusdam erit malum ingens, quibusdam vero aliis leve atque aspernandum. Ut igitur pœna sit justa delicti reparatio, ejusque timor a delicto retrahat, diversis hominum conditionibus, quantum fieri potest, accommodanda est. Quamobrem non tam æqualitas arithmetica cum omnibus delinquentibus servanda est, quam proportionalis.

Unde etiam liquet, pœnas quæ aliquo tempore justæ fuerunt, mutatis temporibus, præter modum graves esse posse, vel etiam nimium mites.

Propositio V

462. *Licet supremæ politicæ potestati ipsam capitis pœnam infligere.*

1º Licet enim illi eam pœnam infligere quæ ad justitiæ ordinem reparandum necessaria sit. Nam inter culpæ inordinationem et pœnam æqualitas sit oportet. Jamvero sunt quædam crimina quæ tantam et individuis et societati injuriam faciunt, ut nulla pœna iis proportionata esse possit, præter mortis supplicium. Exemplo sit homicidium. Quid quod tanta est quorundam criminum atrocitas, ut ipsa mortis pœna citra meritum sit existimanda? Quis enim non videat, parricidium aut plurium innocentium necem aut patriæ prodicionem tantæ esse gravitatis, ut unius scelesti mors injuriæ compensandæ insufficientis esse videatur?

2º Jus est civili societati ut propriæ securitati consulat, ac se adversus ea omnia quæ publicum ordinem perturbare possunt, efficacibus adhibitis mediis defendat. Proinde, ut

supra dictum est (458, 5°), tenetur politica potestas impulsus ad crimen a pravo delinquentis exemplo profectum, inflictis pœnis, quantum potest eidere. Atqui fieri profecto potest, ut nulla alia pœna sit medium efficax ad criminis contagionem prohibendam ordinemque sociale conservandum, præterquam pœna mortis.

Nam quod ad delinquentem attinet, quorundam hominum indoles adeo prava est et ad scelus proclivis, ut maxima sibi mala ab iis timere debeat societas, nisi omnem nocendi potestatem iis penitus auferat. Quod quidem effici nequit nisi per mortem. Quoad reliquos vero, facile intelligitur in magna hominum multitudine plures esse posse, qui a crimine, vix mortis injecto terrore, contineri queant. Nam quæcumque alia pœna quæ omnem liberationis spem non excludat, ab iis parvipenditur si eam conferant cum voluptate atque emolumentis quæ a crimine haurire se posse confidunt.

Si res igitur ita se habeant, sane mortis pœna erit medium unice efficax ad societatis securitatem. Proinde societas jus habebit eam pœnam infligendi. Quod quidem jus juri conservandæ vitæ quo delinquens gaudet, omnino prævalet. Totum enim parti præferendum est. Licet igitur supremæ politicæ potestati capitali pœna reos plectere, si hæc justitiæ mensuram non excedat, et ad societatis securitatem necessaria sit.

5° Confirmantur hæc omnium fere legumlatorum populorumque suffragio. Nam fere apud omnes populos singulis ætatibus capitis pœna lege constituta est ad immatoria quædam flagitia vindicanda, eaque justa ac demeritis par habita est. Ergo unanimis humani generis sententia est: licere civili societati hanc pœnam irrogare.

465. Obj. 4° Capitis pœnam nunquam esse necessariam, his fere rationibus evincere conantur Beccaria et Bentham.

a) Si homo, quantumvis immitis et audax, perpetuè addicatur servituti, societatis securitati satis consultum est.

b) Perpetuum carcerem multo magis homines formidant quam ipsam mortem. Facinorosi vero, cum mortis periculo se frequenter obijciant, illam nullatenus horrent.

c) Extremum de homine sumptum supplicium est homicidium quoddam publica auctoritate perpetratum. Hoc vero

non a delicto populum absterret, sed potius perpetrare docet.

d) Delictorum numerus non imminuitur, pœna capitis adhibita, neque si ea in desuetudinem abeat, augetur.

e) Demum plures principes qui rempublicam sapientissime administrarunt, neminem ultimo supplicio addixerunt.

464. Resp. ad 4. *Nego.* Nam etiamsi perditii quidam homines in perpetua servitute detineantur, adhuc publicam tranquillitatem perturbare possunt, atque adeo, vel fraude vel vi, iterum in societatem erumpere. Præterea quandoque ea incidunt adjuncta, ut ab unius hominis morte reipublicæ salus dependeat; v. gr. quum agitur de aliquo perduellium duce, quo extincto tota perduellium factio profligetur civilisque belli pericula radicitus extirpentur. Demum perpetua reorum servitus satis non est, saltem semper, ad ceteros a crimine absterrendos.

Ad 2. *Nego.* Vita enim nihil carius hominibus. Hinc nemo esset inter eos qui ultimo damnantur supplicio, qui gaudio non exsiliret ac non præclare secum agi putaret, si mortem certo sibi imminentem cum perpetuo carcere commutare sibi concederetur. Aliud autem est mortis periculo se obijcere cum spe evadendi, magnaque emolumenta capiendi; aliud vero certam ante oculos mortem habere propositam, sine ulla evadendi spe.

Ad 5. *Dist. moj.* Est homicidium quoad materialem effectum, *conc.* quoad ea quæ moralem actus naturam constituunt, *nego.* Et *contradist. min.*

Ad 4. *Nego.* Certe delicta omnia impediri nunquam poterunt, etiam ultimi supplicii intentato metu. At si perditii quidam homines ne hoc quidem freno absterri a crimine possunt, quanto essent illi magis ad flagitium proni, si hoc frenum excuteretur!

Ad 5. *Nego consequentiam.* Ex hoc ad summum concludendum foret, quasdam societates ita morigeras, mites, cultas fuisse, ut atrociora quædam flagitia fere nunquam apud eas perpetrarentur; ac si quando ea perpetrarentur, pœnæ levioris infamia et justitiæ æqualitatem satis redintegrare et populum ad ea flagitia vitanda efficaciter commovere censeretur (464); ac propterea capitalis pœna necessaria non esset; nisi mavis dicere principes, spectata populi lenitate, facile clementia usos esse capitalemque

pœnam in aliam mitiorem commutasse. Hæc quidem contingere posse haud in animo est inficiari; at si pœna capitis necessaria sit, eam adhiberi non posse, hoc enimvero falsum esse contendimus.

465. Obj. 2^o Ahrens.

a) Non licet malum facere idcirco quia alius quispiam malum facit. Hoc autem principium statuendum esset, si hominem occidere licet quia delictum aliquod perpetravit.

b) Homo persona est atque in hac rerum universitate finis rationem habet. Nefas ergo eum habere ut rem atque ut medium adhibere. Hoc autem fit per capitale iudicium; homo enim occiditur ad populum perterrefaciendum.

c) Jus ad vitam congenitum est et ab ipsa natura collatum. Ergo amitti nequit ratione delicti; at sola natura potest ei finem imponere.

466. Resp. ad 1. *Dist. maj.* Non licet facere malum morale quia alter malum fecit, *conc.* non licet inferre malum physicum ei qui malum morale fecit, *nego. Contradist. min.* et *nego* quod illa supponit, videlicet hominis occisionem esse semper moraliter malam. Licet enim vel ipsi privatis hominem occidere justæ defensionis causa; licet quoque in justo bello reipublicæ hostes interficere: quidni igitur societati liceat sontem interimere ad justitiæ ordinem reparandum et ad semetipsam defendendam?

Ad 2. *Dist. ant.* Homo persona est, *conc.* ac finis rationem habet, *subd.* ita tamen ut ipsius hominis finis sit ordinem moralem servare, *conc.* secus, *nego.* Hinc est quod homini licet amore virtutis mortem oppetere, et principi licet innocentes cives in justo bello mortis periculis objicere in totius societatis salutem: hoc enim ab ordine requiritur.

Dist. cons. Non licet hominem habere ut rem, *conc.* non licet eum adhibere ut medium, *subd.* ad solum alterius commodum, *conc.* (580); ad ordinem moralem servandum, *nego.* Ac juxta hæc *dist. min.* sequentem. Quum enim homo, urgente necessitate, adhibetur ut medium ad moralem ordinem servandum, nulla sit ejus dignitati injuria: nam homo hunc finem habet.

Ad 3. *Conc. antec. Dist. 4 cons.* Jus ad vitam nequit amitti, i. e. nequit in collisione suspendi, ac cedere juri validiori, *nego*; nequit funditus everti, *omitto.*

Dist. 2 cons. Sola natura potest ei finem imponere, nempe vel per agentia physica vitam eripiendo, vel per exigentiam ordinis moralis jus ad vitam elidendo, *conc. secus, nego.*

CAPUT VII

DE JURE GENTIUM

467. Reliquum est ut de jure gentium aliquid delibemus. Quæ in finem quæstiones proponimus tres: 1^a erit de jure gentium generatim; 2^a de gentium mutuis juribus et officiis; 3^a de horum jurium defensione ac vindicatione per bellum.

ARTICULUS I. DE JURE GENTIUM GENERATIM

468. Hoc nomen gens seu natio est vox analogica, quæ triplicem significationem habet, *politicam, geographicam, geneticam.*

Politica significatione natio est *societas quæcumque civilis quæ independens sit.*

Geographica est *populus* (pars materialis unius aut plurium societatum civilium) *in eadem regione intra certos quosdam limites constitutus.*

Genetica est *hominum progenies quæ ab una aliqua societate communem ducit originem eademque lingua utitur, licet in diversas regiones distributa sit.*

Vulgus autem modo unum ex his conceptibus, modo alterum huic voci subjicit, modo omnes simul. Quum vero de jure gentium disputamus, gens seu natio, sensu politico usurpatur.

469. Jus gentium naturale est *complexio jurium et officiorum quæ inter diversas gentes naturalis ordo constituit.*

Hinc 4^o distinguendum jus gentium *naturale* a *positivo*. Illud ab ordinis lege constituitur, ut diximus; hoc

ab hominum libera voluntate, sive per pactum sive per consuetudinem, invehi potest, atque utiliter invehitur ad majorem prioris determinationem aut complementum.

Unde 2^o illud omnes omnino gentes obligat et immutabile est; hoc vero eas solum gentes obligat quæ pactum inierunt, consuetudinemve ratam habuerunt, eorumque consensu mutari potest.

3^o Jus gentium naturale cum individuali convenit, in eo quod ab eodem ordinis principio utrumque dimanat; differt vero tum ratione subjecti, tum ratione objecti. Ratione subjecti, quia juris individualis subjectum sunt personæ physicæ, juris autem gentium personæ morales. Ratione objecti, quia cum personæ physicæ et personæ moralis diversa sit natura, finis, actio ac perfectio, etiam utriusque personæ jura et officia diversa sint oportet.

Propositio I

470. *Gentes inter se mutuis officiis ac juribus naturaliter devinciuntur.*

Etenim homines individuos ante omnem humanam conventionem pluribus officiis ac juribus natura ipsa mutuo devinxit (295, 304). Hæc autem officia ac jura profecto non evanescent, ex eo quod quædam hominum multitudo in unum societatis corpus collecta sit, quædam vero alia in corpus alterum. Igitur quælibet hominum collectio, seu societas erga reliquas societates officiis quibusdam naturaliter adstringitur, et quibusdam juribus pollet.

471. Notanda. 1^o Jura officiaque gentium ex juribus officiisque individuorum coalescunt, quasi compositum e suis elementis.

2^o Jura hæc et officia supremos gentium principes inter se immediate devinciunt. Principes enim societatis quam regunt conservationi ac bono invigilant, ejusque actionem moderantur.

Propositio II

472. *Quamvis gentium universarum societas adhuc non sit constituta, hæc tamen societas in naturæ intentione fuisse existimanda est.*

Etsi nationes omnes, ut diximus, mutuis officiis juri-
busque junguntur, adhuc tamen in unam societatem com-
munis boni promovendi gratia non convenerunt, sed eam
inter se habitudinem servant, quam plures familiæ inde-
pendentes, ante constitutam civilem societatem servarent.
Nihilominus potentiorum principum conventus, et diplo-
maticus, ut aiunt, in variis populorum negotiis et contro-
versiis interventus, universalis hujus societatis rudimenta
quædam jam exhibere cœperunt.

Ceterum illud præ oculis habendum est, ultimam suam
perfectionem entia non attingere, nisi prius intermedios
perfectionis sibi debitæ gradus assequantur. Igitur ut gen-
tes omnes ad unam societatem constituendam aptæ sint,
necesse est ut singulæ perfectionem sibi debitam prius
atingant.

475. Quod vero huc spectet naturæ intentio, non diffi-
culter suadetur.

Etenim 1^o quemadmodum familias se junctim viventes,
amoris pondere atque indigentiae stimulo, ad civilem so-
cietatem constituendam natura compellit (401), ita quoque
nationes jam constitutas eodem pondere eodemque stimulo
ad mutuo se fœdere obstringendas suaviter adducit. Amor
enim ex naturæ instituto ad universos homines porrigitur;
ac sicut homo hominis auxilio indiget, ita quoque singu-
læ nationes aliarum divitiis, viribus, industria, scientia,
ad suorum jurium tutelam et ad suam perfectionem asse-
quendam juvari magnopere possunt.

2^o Præterea quum aliquæ nationes pluribus inter se
iisque constantibus relationibus conjungi cœperunt, unius-
cujusque bona vel mala conditio in reliquarum utilitatem
vel detrimentum cedit. Quare unaquæque earum, propriæ
securitatis atque utilitatis causa, ad alterius bonum pro-
movendum malumque propulsandum urgetur. Hinc sen-
sim adducuntur ad hoc ut commune bonum stabilibus

pactis et communibus studiis promovere se obligent. Quod si effecerint, societatem quamdam inter se inierunt.

Hanc vero societatis ineundæ necessitatem, quæ ex quarundam nationum vicinitate aut peculiaribus adjunctis emergit, aucta communicationum et commerciorum facilitate, omnes nationes tandem aliquando complecti posse, non difficulter concipies. Imminutis enim regionum distantissis eversisque aggeribus qui singulos populos intra suos limites continebant, multiplici relationum genere ita omnes colligari necesse est, ut si apud unam aliquam gentem ordo perturbetur, reliquæ omnes commoveri atque exagitari debeant.

Igitur quo magis singularum gentium opes, vires, industria, commerciaque amplificantur, uno verbo, quo magis gentium perfectio grandescit, eo magis universalis societatis necessitas crescit. Atqui natura singulas gentes ad se perficiendas continenter extimulat. Igitur eas omnes ad societatem inter se ineundam semper magis compellit.

474. Notanda. 4° Ex dictis colliges societatis ethnarchicæ finem esse commune gentium bonum, independentiam potissimum uniuscujusque ac rectam gubernationem.

Hinc 2° quemadmodum familiæ, eo quod in societatem civilem conveniunt, independentiam domesticæ societatis propriam non amittunt, sed potius in tuto collocant, ita gentes si in ethnarchicam societatem congrederentur, independentia politica non privarentur, sed eam potius validissimo munimine solidarent.

5° Quoniam nulla est societas absque auctoritate (588), hæc quoque gentium societas, si quando coalesceret, auctoritate sibi convenienti regenda foret.

4° Subjectum hujus auctoritatis sociatarum gentium consensu determinandum est: cum enim omnes independentes sint, æqualibus omnes juribus pollent. Erit autem regiminis forma democratica, si omnium nationum principes communi consensu rem communem administrent; aristocratica, si potentiores; monarchica, si unius regimini cura societatis universæ demandetur.

5° Hæc auctoritas potestate legislativa, exsecutiva, judiciaria instructa est.

6° Ad potestatem ethnarchicam judicariam pertineret, ut controversias omnes, sive inter nationes sive inter prin-

cipem quemlibet ejusque populum exortas, componeret. Sic teterrimæ illæ humani generis pestes, bella et seditio- nes penitus eliminarentur.

7º Utrum aliquando hæc gentium societas constituenda sit, ignoramus. Ceterum difficultatibus et incommodis omnibus quæ obstare videntur, facile iretur obviam, si, ut alibi indicavimus (455, 4º), principes et populi ethnarchicam auctoritatem supremo illi veritatis et moralitatis judici quem divina clementia in Petri cathedra collocavit, quem- admodum in media ætate fieri cœperat, sponte deferrent.

ARTICULUS II. DE GENTIUM JURIBUS ET OFFICIIS

Propositio I

475. *Fundamentum omnium jurium et officiorum quæ inter gentes existunt, est officium quo homines sese invicem diligere tenentur.*

Etenim si singuli homines mutui amoris officio tenentur, profecto hominum quoque collectiones amorem hunc sibi invicem debent. Quod enim cum essentia connexum est, per collectionem non tollitur.

476. Hinc 1º quemadmodum omnia hominis erga hominem officia, ita quoque officia gentis in gentem ad justitiam et ad humanitatem beneficentiamque reducuntur (295).

2º Ac sicut homo quilibet ceteros homines diligere tenetur ut semetipsum, non tamen quantum semetipsum (294, 4º), ita unaquæque gens ut se, non quantum se, ceteras gentes diligere debet.

3º Etsi quandoque homo bonum suum, quod essentielle non sit, ut alterius bono consulat, licite atque adeo cum magna virtutis laude negligere potest; non tamen licitum est principi bonum societatis ipsi commissæ alterius societatis bono posthabere.

Propositio II

477. *Congenita gentium jura æqualia sunt, acquisita nequaquam.*

Congenita enim jura ex ipsa personæ essentia proficiuntur (514). Omnes autem gentes quoad essentiam æquales sunt. Omnes enim sunt societatis independentes. Ergo.

Jura vero acquisita a factis contingentibus dependent; quæ quidem diversa esse possunt. Hoc pacto v. gr. ex contractu aut injuria, una gens præ altera quibusdam juribus pollet.

Propositio III

478. *Jura nationum congenita ad tria hæc revocari possunt, ad jus sui conservandi, sui perficiendi ac libere agendi.*

1^o Quælibet natio jure pollet *propriæ conservationis*. Nam unusquisque eorum qui in aliqua societate degunt, jus habet naturale se suumque bonum conservandi ac promovendi. Quoniam igitur societatis existentia ac perfectio magnum sunt hominum bonum, homines qui societatis sunt partes, jus habent ad hoc ut eadem societas conservetur ac successive perficiatur. Unaquæque ergo societas naturali jure pollet seipsam conservandi ac perficiendi, ac proinde reliquæ societates naturali officio tenentur ad hoc ut uniuscujusque societatis existentiam perfectionemque non impediunt, sed potius promoveant.

479. Hinc a) unaquæque natio jus habet conservandi suum esse. Esse autem nationis continetur his quatuor: conjunctione civium, legitima auctoritate (589, 4^o), independentia (468), et moralis personæ dignitate (587, 2^o). Hæc igitur nemini licet hostiliter impetere, nisi ex jure potiori.

b) Jus est nationi conservandi in seipsa socialem ordinem, quo bonum ejus essentielle constat. Hic autem ordo exsurgit ex subditorum a principe dependentia, ex æqua principis administratione, ex civium concordia. Ergo.

c) Ad jus conservationis pertinet potestas occupandi ac dominio suo subigendi terras ac res quas in hominum usum Creator destinavit, dummodo id fiat absque alterius injuria. Vide dicta de jure domini. Occupari quoque possunt a gentibus eæ maris partes quæ continenti adjectæ sunt, ac freta et sinus qui proprii territorii oris intercipiuntur. Nam et utilitas et securitas maritimæ nationis hanc occupationem postulant.

d) Huc quoque referendum est jus prospiciendi civium securitati eorumque jura tuendi, omnesque ab iis exterorum injurias, qua fieri potest ope ac vi, propulsandi. Ex quo sequitur jus tum milites armandi, tum propugnacula ac munimenta, ubicumque opportunum visum fuerit, erigendi.

e) Jus ad existimationem et ad externas ejus significationes, nationi multo magis quam privatis quibuslibet convenit. Ad quod reduci potest jus mittendi legatos, tum etiam jus libertatis et inviolabilitatis quo illi gaudent.

480. 2º Nationibus jus inhæret *se perficiendi*. Perfectio enim societatis sita est in aptitudine assequendi complete finem sibi propositum (386, 5º). Civilis autem societas tenetur, ac proinde jus habet, ad hoc ut se aptam efficiat suo fini assequendo. Ergo.

481. Hinc a) nemo illam impedire potest, ne internam suam constitutionem legitime perficiat, tum quoad regiminis formam, tum quoad legislativam, exsecutivam, judicialeque potestatem.

b) Nemo potest obstacula apponere ejus progressibus, tum in ordine materiali, tum in intellectuali, morali ac religioso, si natio per suos profectus nullius jura impetat.

482. 5º Jus est cuivis nationi *libere agendi*, nec ulli alteri nationi ejus actionem impedire licet, nisi alterius nationis jura aliquo modo violet. Hoc enim ex independentia qua natio gaudet, aperte consequitur. Hinc, nisi ea conditio adsit, nemini fas est

a) Obstaculo esse quominus natio sui regiminis formam immutet;

b) Turbare politicæ potestatis exercitium aut ullo modo ejus actibus se immiscere;

c) Rebelles subditos adversus legitimam potestatem sive consilio sive armis juvare;

d) Impedire quominus una gens cum altera amicitiam colat, fœdera ineat, commercia exerceat, ut lubet.

483. Jura acquisita gentium pendent potissimum 1^o ex *dominii acquisitione*; 2^o ex *factis ac fœderibus*.

Ex priori capite consequitur, neminem invadere posse vel diripere quæcumque sive a republica sive a civibus licite occupata sunt, aut iis utcumque damnum inferre.

Sequitur ex altero, susceptas obligationes sancte servandas esse, dummodo contractus legitimus fuerit. Quæ autem conditiones ad contractuum inter gentes validitatem requirantur, et qua ratione ii dirimantur, deducendum erit, proportione facta, ex iis quæ de privatorum contractibus dicta sunt (529, seq.).

484. Ex dictis colliges, quæ sint officia justitiæ quibus gentes obligantur, quæ officia humanitatis ac beneficentiæ. Ad justitiæ officia pertinet, ut unaquæque gens contra alterius cujuscumque gentis jura nihil moliat, nec eorum usum impediat, nisi ex jure prævalenti. Ad officia vero humanitatis ac beneficentiæ spectat promovere positive alterius gentis bonum, ejus conatibus opitulari, indigentiam succurrere, pericula avertere, hostibus resistere; dummodo auxilia hæc officiis quibus natio erga seipsam adstringitur, non adversentur, et rationabiliter invitis non obrudantur.

485. Ceterum non justitiæ solum officia, sed etiam humanitatis ac beneficentiæ, multo impensius nationibus quam privatis (296), naturæ lege præcipi, in comperto esse debet. Natio enim homini individuo longe antecellit, et nationum amicitia multo majoris est pretii quam amicitia privatorum.

ARTICULUS III. DE BELLO

486. Bellum definiri solet cum Grotio: *Status per vim certantium, qua tales sunt.*

Animadverto duo esse genera decertandi: unum per disceptationem, alterum per vim. Prius hunc finem habet, ut adversarius, aut saltem ceteri qui audiunt, suadeantur jus ad nos pertinere. Alterum vero eo spectat, ut jus nostrum, seu verum seu fictum, revereri hostis cogatur.

Bellum igitur non demonstrat juris existentiam, sed tantummodo ejus usum tuetur.

487. Bellum esse potest *justum* vel *injustum*. Justum est, quum jus verum tuetur; injustum, quum jus tuetur apprens ac verum violat.

Est item *offensivum* vel *defensivum*. Quæ quidem divisio sensu morali vel strategico vel utroque simul usurpari potest. Sensu morali, omne justum bellum, eo quod jus tuetur, defensivum est; injustum vero, quia jus violat, offensivum. Sensu vero strategico, offensivum est bellum ex ea parte quæ primo vim infert, defensivum ex ea parte quæ illatam repellere nititur. Sensu vero ex utroque composito, offensivum est bellum, quum vis infertur ad injuriam præcavendam vel reparandam, defensivum quum vis adhibetur ad injuriam quam inimica vis infert, propulsandam.

Propositio I

488. *Bellum non est ex se pravum, sed potest juste geri.*

Sane 1^o vim adhibere ad proprium jus defendendum contra injustum aggressorem, etiam cum aggressoris damno, cuique licitum est (244, 245). Si vero juris aggressor armis instructus in pacificum possessorem iruat, jam non solum ejus juris quod impetit, sed etiam vitæ est aggressor. Licet proinde hunc occidere, si necesse sit (558). Jamvero si hoc cuique homini licet, multo magis independenti societati. Licet igitur nationi armatum jurium suorum aggressorem, si aliter injuria propulsari nequeat, cruenta defensione repellere.

2^o Injuriam sibi illatam societas ulcisci potest, tum ut justitiæ ordinem restauret, tum ut suæ securitati in posterum consulat (545). Quod si natio quæ injuriam intulit, satisfacere renuat, ac pœnam inferenti armis resistat, eodem in numero habenda est ac iniquus vitæ aggressor. Licet ergo contra ipsam armis jus suum prosequi.

3^o Licet quoque bellum indicere ad injuriam præcavendam, quum certum exploratumque est, aggressionem ab hoste parari. Melius enim propriæ incolumitati consulitur, ac levioribus malis utraque natio objicitur, si prævertatur

injuria, quam si illata vindicanda sit. Itaque si injuriam bello ulcisci licet, multo magis licebit illam prævertere.

Patet ergo, bellum tam defensivum quam offensivum ex se pravum non esse.

489. Conditiones præcipuæ quæ bellum licitum faciunt, ad tres reduci possunt.

1^a Est ut bellum ineatur *ex justa causa*.

Justa autem causa est a) injuria propulsanda aut ulciscenda aut præcavenda, ut ex modo dictis liquet. Injuriam intellige juris perfecti violationem.

b) Justo quoque bellum suscipitur, ut gens altera in suo jure defendendo aut vindicando juvetur; si tamen vel illa hoc auxilium exposcat, vel propria securitas ex illius periculo in discrimen adducatur.

c) Delicta gentium pravique mores, quandiu jura humana perfecta non lædunt, justam bellandi causam non præbent. Potest enim una natio injurias sibi ab altera illatas ulcisci, at pœnam pro qualicumque delicto irrogare non potest. Ad hoc enim necessaria est jurisdictio. Natio vero quælibet, cum sit independens, nulli humanæ jurisdictioni subjicitur.

d) Neque ut incrementis alienæ potentiæ limites ponantur, vel ut inter nationum vires æquilibrium servetur, bellum inire fas est. Vires enim unius gentis augeri ejusque ditio amplificari potest, quin ulli fiat injuria.

e) multo minus sola status utilitate, ut v. gr. alicujus regionis occupandæ aut commercii amplificandi studio, bellum honestari potest. Non enim omne id quod utile accidit, honestum est.

d) Demum quamvis summum illud societatis humanæ bonum, religio armis defendi possit, non licet tamen ad eam propagandam, bellum aliis inferre. Veritas enim non vi sed ratione suadenda est.

2^a Conditio est. ut bellum sit *necessarium*.

Hinc a) suscipiendum bellum non est, quandiu mitiora media ad jus tuendum, v. gr. transactio aut arbitratus, adhiberi possunt. Si enim non licet privatis injustum aggressorem perimere, nisi servato moderamine inculpatæ tutelæ, quanto magis moderamen hoc servandum erit, quum agitur de cruento nationum conflictu?

b) Antequam bellum inferatur, certum esse debet, ini-

micum pro irrogata injuria satisfacere, et quæ injuste abstulit, reddere nolle. Idcirco petenda est primum verbis injuriæ reparatio, aut saltem minis urgendus est inimicus ut saniora consilia ineat. Hinc bellum præcedat oportet *clarigatio*, i. e. rerum vel juris repetitio, aut saltem *denunciatio*, videlicet declaratio voluntatis jus suum armis persequendi.

5^a Conditio est, ut bellum sit *prudens*.

Hinc si majora mala ex bello quam ex injuria suscepta, sibi natio timere debeat, profecto satius est injuriam pati, quam certæ se ruinæ exponere.

Propositio II

490. *In bello gerendo ea solum licent juste bellantibus, quæ inimicum ab injuria inferenda cohibere, vel ad eam reparandam compellere possunt, aut quæ saltem ad eam ulciscendam ex æquitatis norma existimantur necessaria; dummodo hæc in se prava aut injusta non sint.*

Ratio est manifesta (357, 344).

Hinc 1^o licet in hostium terras urbesque irrumperè, eorumque res occupare, diripere, vastare, si necesse sit ad eorum vires minuendas ac proprias augendas.

2^o Licet inedia ac siti eos expugnare, resistentes occidere, inermes quoque et innocuos capere. Captos autem aut qui arma posuerunt, si nullius criminis rei sint, iniquum est interficere.

3^o Licite sunt insidiæ ac reliqua stratagemata, quæ capta consilia hostibus occultent; nullatenus autem mendacium, perfidia, sollicitatio ad prodicionem.

4^o Illicitum quoque est venenata arma adhibere fontesque veneno inficere. Illud enim multo acerbius est malum quam belli necessitas postulet; hoc vero non resistentibus solum sed etiam innocuis violentam directe infert mortem.

5^o Omne jus belli cessat, quum primum hostis satisfacere se velle significat, et æquas pacis conditiones offert.

6^o Qui bellum injuste suscepit, omnia damna quæ armis intulit, reparare, et cuncta quæ cepit, restituere tenetur.

Propositio III

491. *Victoria ex se nullum jus præbet, sed obstacula tollit, quæ justum bellatorem impediabant quominus jus suum prosequi posset.*

Nam victoria est inimicarum virium elisio, seu ejusmodi bellicarum operationum successus, quo efficitur ut hostis resistere ulterius non possit. Jamvero hic belli exitus vi atque arti adscribendus est, atque adeo plerumque fortunæ. Quæ certe omnia neque declarant ex qua parte sit jus, neque juris titulum ex se constituere valent. Itaque victoria solummodo tollit obstaculum vis hostilis quæ juris usum præpediebat (486).

492. Hinc 1^o nullum jus acquiritur victori ad debellatorum hostium sanguinem fundendum; nisi aliquorum supplicium necessarium sit ut justa patris criminibus pœna irrogetur. Jus enim omne occidendi cessat, quum resistentia finem habet, ac solum superest victori jus illatas sibi injurias ulciscendi.

2^o Licet victori acceptæ injuriæ satisfactionem et damnorum reparationem exigere; neque solum damnorum quæ ante bellum illata sunt, sed etiam eorum quæ ex ipso bello provenere; inter quæ bellicæ impensæ referendæ sunt.

3^o Potest victor, ut suæ gentis securitati consulat, cautiones aliquas a victis exigere, v. gr. ut obsides tradant. Finis enim belli non modo præteritorum criminum vindicta est, sed etiam in reliquum tempus securitas.

4^o Si propria securitas aut injuriæ damnive gravitas hoc exigat, fas est victori edomitam nationem independentia privare, suæque ditioni subicere.

495. Cum pax bello opponatur, pacis pactio est *conventio inter nationes belligerantes, qua bello finis imponitur, composita mutuis concessionibus controversia quæ belli causa fuit.*

Hinc 1^o quoniam pacis pactio est contractus, servari debent in ea ineunda conditiones omnes, quæ requiruntur ut contractus validus ac licitus sit.

2^o Contractus quo pax firmatur, transactio quædam est. Nam controversiæ ancipiti certantes ipsi finem imponunt, aliquibus datis, aliquibus retentis.

5° Pacis pactum differt ab induciis. Per inducias namque bellantes hoc solum paciscuntur, se certo quodam temporis intervallo bellicas operationes intermissuros : pacis vero contractus natura sua est perpetuus.

4° Quemadmodum victoria, ita et firmata pax, de jure potiori ac de belli præteriti justitia nihil decernit.

5° Cum pax sit adeo magnum populorum bonum, pacis pacta firmiter servanda sunt, licet quis existimet suo juri non fuisse satisfactum. Transactio enim defectum omnem, si qui forte fuit, supplet; quia utraque pars, controversia de belli causis seposita, mutuo consensu determinat quæ deinceps una gens alterius jura agnoscere teneatur.

494. Pulcrum est morali philosophiæ suavissimo hoc pacis nomine finem imponere. Pacem profecto omnes excipiunt; non tamen omnes persuasum habent, ad pacem assequendam ac stabiliendam, nullum aliud medium sufficere, nisi et a principibus et a populis virtutis honestas rebus omnibus præferatur, morumque leges sancte ab omnibus custodiantur.

495. Duo autem hic adnotata postremo velim. Primum est, humanam rationem, licet morales veritates extra ejus ambitum non sint, antequam tamen divinæ revelationis lumine recrearetur, ad perfectam absolutamque morum doctrinam constituendam pervenire nunquam potuisse. Unde colligemus moralem philosophum, nisi prius christianæ sapientiæ discipulus fuerit, perfectum virtutis magistrum esse non posse.

496. Alterum est, ad recte vivendum nullatenus sufficere recte vivendi præcepta nosse, sed ante omnia firmam ac tenacem recti voluntatem, et pertinacem virtutum exercitationem, perpetuumque adversus pravas cupiditates certamen requiri. Quod si vel ipsa recte vivendi præcepta humana ratio attingere perfecte non potuit, multo minus ad recte vivendum humanæ voluntatis vires sufficere dicendæ sunt. Quisque igitur sibi persuadeat, nisi Dei exorata clementia supernis auxiliis infirmitati nostræ abunde succurrat, nullam in tam arduo agone victoriæ spem esse. Deo igitur Optimo Maximo æternæ sint gratiæ, qui et viam nobis ostendit et vires suppeditavit per JESUM Christum Dominum nostrum.

INDEX

	Pagina.
PHILOSOPHIA MORALIS:.....	3

LIBER PRIMUS. — ETHICA GENERALIS

CAPUT I. — DE ULTIMO HOMINIS FINE

Art. I.	De ultimo fine a voluntate intento.....	5
Prop. I.	<i>Humana voluntas in suis intentionibus finem aliquem ultimum sibi præfigat necesse est; intellige: saltem ultimum secundum quod.</i>	5
Prop. II.	<i>Fieri nequit ut humana voluntas plures simul fines simpliciter ultimos uno eodemque actu intendat.</i>	6
Prop. III.	<i>Finis absolute ultimus humanæ voluntatis est perfecta felicitas.</i>	ib.
Art. II.	De felicitatis appetitu.....	7
Prop. I.	<i>Felicitatis appetitus humanæ naturæ essentialis est.</i>	ib.
Prop. II.	<i>In omnibus actibus suis voluntas semper agit propter felicitatem sive explicitè sive implicitè intentam.</i>	ib.
Art. III.	An existet reale aliquod nostræ felicitatis objectum.	9
Prop. I.	<i>Est a Deo præfinitus finis humanæ naturæ absolute ultimus.</i>	ib.
Prop. II.	<i>Quamquam unaquæque hominis facultas pecu in rem suam finem habeat, unicus tamen est finis humanæ naturæ absolute ultimus.</i>	ib.
Prop. III.	<i>In consecutione ultimi finis, quem humanæ naturæ Deus constituit, perfecta felicitas reperiatur necesse est.</i>	10

	Pagina.
Art. IV. An objectum perfectæ felicitatis sint bona fortunæ.....	11
Prop. I. <i>Hominis felicitas nequit esse posita in fortunæ bonis</i>	ib.
Prop. II. <i>Objectum beatitudinis non possunt esse divitiæ</i> ..	12
Prop. III. <i>Honor non potest esse objectum beatitudinis</i>	ib.
Prop. IV. <i>Gloria seu fama dici nequit objectum beatitudinis</i>	13
Prop. V. <i>Potestas haberi non potest tanquam felicitatis objectum</i>	ib.
Art. V. An objectum felicitatis sint bona interna.....	ib.
Prop. I. <i>Felicitas sita non est in bonis corporis</i> ..	14
Prop. II. <i>Repugnat in sensili voluptate positam esse hominis felicitatem</i>	ib.
Prop. III. <i>Objectum felicitatis reperiri non potest in animi bonis</i>	15
Art. VI. An Deus sit objectum humanæ felicitatis.....	16
Propositio. <i>Solus Deus humanæ felicitatis est objectum</i>	ib.
Art. VII. Quibus in actibus sita sit formalis felicitas.....	20
Prop. I. <i>Homo suum ultimum finem non aliis actibus quam intellectus et voluntatis assequi potest</i>	ib.
Prop. II. <i>Actus intellectus ad naturalem felicitatem pertinens, non est cognitio essentiae divinæ in seipsa, sed cognitio Dei ex rebus creatis hausta; multo tamen perfectior, quam in mortali hac vita obtineri possit</i>	21
Prop. III. <i>Felicitatis formalis essentia sita est in perfecta conjunctione cum Deo per contemplationem et amorem</i>	23
Art. VIII. De felicitatis assecutione.....	24
Prop. I. <i>Homo suis operationibus ad finem ultimum assequendum, seipsum disponat necesse est</i>	ib.
Prop. II. <i>Homo non potest in hac vita perfectam felicitatem assequi</i>	ib.
Prop. III. <i>Animæ cum corpore conjunctio ad felicitatem assequendam non necessario requiritur</i>	25
Art. IX. De felicitate imperfecta.....	27
Prop. I. <i>Felicitas hujus vitæ propria consistit in iis actibus intellectus et voluntatis quibus futura felicitas maxime participatur</i>	ib.
Prop. II. <i>Imperfecta hæc felicitas maximum hujus vitæ bonum est</i>	28

CAPUT II. — DE ACTIBUS HUMANIS

	Pagina.
Art. I. De actuum humanorum notione.....	29
Prop. I. <i>Actus humanus ille est qui a deliberata voluntate procedit.</i>	ib.
Prop. II. <i>Humanorum actuum alii elicitii sunt, alii imperati.</i>	30
Art. II. De voluntario et involuntario.....	ib.
Art. III. De actuum humanorum imputabilitate.....	34
Prop. I. <i>Actus qui humani dicuntur, eorumque sive bonitas sive pravitas merito hominibus imputantur.</i>	ib.
Prop. II. <i>Non modo sui cuique actus imputabiles sunt, sed etiam alieni quandoque actus imputabiles esse possunt.</i>	35
Art. IV. De merito et demerito.....	36
Prop. I. <i>Actibus humanis inesse potest ratio meriti vel demeriti, sive erga homines individuos, sive erga hominum societatem</i>	37
Prop. II. <i>Omnes actiones honestæ, eorum qui in societate degunt, hoc ipso quod honestæ sunt, meriti rationem in universam societatem habent, inhonestæ vero rationem demeriti.</i>	38
Prop. III. <i>Omnes actiones honestæ, spectato naturæ ordine, rationem meriti habent etiam apud Deum, atque inhonestæ rationem demeriti.</i>	39
Art. V. De ignorantia et concupiscentia.....	41
Prop. I. <i>Ignorantia invincibilis, cujusque modi sit, voluntarium tollit, et non voluntarium inducit; vincibilis autem, si affectata non sit, voluntarium non tollit sed minuit; at affectata voluntarium auget.</i>	42
Prop. II. <i>Concupiscentia antecedens voluntarium ac liberum non tollit, sed minuit; consequens nullo modo minuit, sed potius intensioris in voluntate propensionis indicium est.</i>	43
Art. VI. De coactione ac metu.....	44
Prop. I. <i>Coactio absoluta voluntarium tollit, et positive involuntarium inducit.</i>	ib.
Prop. II. <i>Actus ex gravi metu positi, sunt simpliciter voluntarii et liberi, ac solum involuntarii secundum quid.</i>	45

CAPUT. III — DE ACTUUM HUMANORUM MORALITATE

	Pagina.
Art. I. De moralitatis notione.....	47
Propositio. <i>Indubitatum est in humanis actionibus aliquas honestas esse, aliquas pravas.</i>	48
Art. II. De suprema moralitatis norma.....	49
Prop. I. <i>Morale humanarum actionum discrimen ab hominum opinionibus ac legibus non dependet.</i>	ib.
Prop. II. <i>Morale humanarum actionum discrimen neque a Dei præcepto primitus derivari potest.</i>	51
Prop. III. <i>Absurda penitus est opinio, quæ a sensibili voluptate ac dolore boni malique moralis intrinsecum discrimen desumendum esse dicitur.</i>	ib.
Prop. IV. <i>Non minore absurditate turpatur utilitariorum doctrina, quæ ex maiori vel minori actionum ad hujus vitæ felicitatem utilitate, boni malique moralis discrimen desumit.</i>	52
Prop. V. <i>Suprema norma ex qua humanarum actionum honestas vel pravitas primo dependet, sita est in ordine qui ex essentialibus hominis ad cetera entia relationibus exsurgit; ac proinde in ipsa Dei essentia fundamentum habet.</i>	53
Art. III. De moralitatis principiis.....	56
Prop. I. <i>Humanus actus essentialem suam moralitatis speciem ex objecto desumit.</i>	ib.
Prop. II. <i>Humani actus ab adjunctis quoque moralitatem accipiunt.</i>	57
Prop. III. <i>Nominatim ex fine operantis humanorum actuum moralitas æstimanda est.</i>	58
Prop. IV. <i>Plures actus partim sunt moraliter boni, partim mali.</i>	ib.
Art. IV. De moralitatis extensione.....	59
Prop. I. <i>Evidens est esse plures actus secundum speciem indifferentes.</i>	ib.
Prop. II. <i>Actus humanus, attentis adjunctis, ac præsertim fine operantis, indifferens esse nequit.</i>	ib.
Art. V. De moralitatis cognitione.....	61
Prop. I. <i>Per absurdum est moralitatem sensu corporeo percipi.</i>	ib.
Prop. II. <i>Admitti nequit ad moralia judicia explicanda, sensus spiritualis a ratione distinctus.</i>	62

Pagina.

Prop. III.	<i>Facultas quæ moralitatem percipit, est intellectus.</i>	62
------------	--	----

CAPUT. IV. — DE LEGE NATURALI

Art. I.	De legis naturalis existentia.....	63
Prop. I.	<i>Est in Deo lex directrix actuum rationalis creaturæ, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.</i>	64
Prop. II.	<i>Lex æterna homini indicitur per naturale rationis lumen.</i>	66
Art. II.	De legis naturalis proprietatibus.....	67
Prop. I.	<i>Lex naturalis est absolute immutabilis.</i> ...	ib.
Prop. II.	<i>Generaliora legis naturalis præcepta unicuique qui rationis usum expeditum habeat, sunt plane evidentiæ.</i>	69
Art. III.	De legis naturalis sanctione.....	71
Prop. I.	<i>Deus naturalem legem perfecta sanctione communit.</i>	ib.
Prop. II.	<i>Naturæ legis in hac ipsa vita sua sanctio est appositæ, licet imperfecta.</i>	72
Prop. III.	<i>Perfecta naturalis legis sanctio ad futuram vitam pertinet; atque in ultimi finis assecutione vel amissione sita est.</i>	74
Art. IV.	De legis naturalis obligatione.....	75
Prop. I.	<i>Perfecta moralis obligatio neque a) ex naturæ rationalis exigentiâ, neque b) ex essentiali rerum ordine, neque c) ab imperativo rationis dictamine originem ducit.</i>	77
Prop. II.	<i>Perfecta moralis obligatio originem ducit a divinæ sapientiæ ac voluntatis ordinatione, quæ ordinis moralis custodiam cum ultimi finis assecutione necessario nexu consociat.</i>	79
Art. V.	De primo legis naturalis principio.....	82
Prop. I.	<i>Primum legis moralis principium hoc est: Ordo naturalis servandus.</i>	84
Prop. II.	<i>Primum legis naturalis præceptum est illud: Bonum faciendum, malum vitandum.</i>	ib.
Prop. III.	<i>Tam primum principium quam primum præceptum in suo tantum ordine prima sunt.</i>	85
Art. VI.	De conscientia morali.....	86
Prop. I.	<i>Contra rectam conscientiam agere nullatenus licet.</i>	88
Prop. II.	<i>Contra conscientiam erroneam agere illicitum est.</i>	ib.

Prop. III.	<i>Juxta conscientiam vincibiliter errantem circa actionis honestatem, agere non possumus; juxta conscientiam vero invincibiliter errantem agere non modo possumus, sed omnino debemus.....</i>	88
Prop. IV.	<i>In dubio pratico de actionis honestate, aut deponendum hoc dubium, aut si id fieri nequeat, et agendi urgeat necessitas, tutior pars est eligenda.....</i>	89

CAPUT V. — DE VIRTUTIBUS ET VITIIS

Art. I.	De virtutibus ac vitiis in genere.....	91
Propositio.	<i>Virtus etiam ratione sui amabilis est.....</i>	93
Art. II.	De prudentia.....	94
Art. III.	De justitia.....	96
Art. IV.	De fortitudine.....	99
Art. V.	De temperantia.....	101

LIBER SECUNDUS. — ETHICA PARTICULARIS

SEU JUS NATURÆ

CAPUT. I. — DE HOMINUM OFFICIIS

Art. I.	De officiis hominis erga Deum.....	104
Prop. I.	<i>Deo debetur in primis internus religionis cultus.....</i>	ib.
Prop. II.	<i>Homo divinæ voluntati in omnibus obtemperare debet, ac se et sua omnia in Deum aliqua ratione referre.....</i>	105
Prop. III.	<i>Homo, quum primum Dei notitiam acquirat, sedulo curare debet ut cognoscat ea omnia quæ ad hæc officia explenda necessaria sunt.....</i>	106
Prop. IV.	<i>Deo debetur cultus etiam externus.....</i>	ib.
Art. II.	De officiis hominis erga seipsum.....	109
Prop. I.	<i>Generale hominis erga seipsum officium est illud: amorem sui ordinatum esse oportere.....</i>	ib.
Prop. II.	<i>Primum atque essenziale hominis erga seipsum officium est, ut absolute ac præ omnibus ad ultimi sui finis asse- sionem contendat.....</i>	ib.

Pagina.

Prop. III.	<i>Sui conservatio naturæ lege unicuique præcipitur</i>	110
Art. III.	De officiis hominis erga alios.....	116
Propositio.	<i>Officia humanitatis et beneficentiæ naturæ jure generatim omnibus præscribuntur</i>	116

CAPUT II. — DE HOMINUM JURIBUS

Art. I.	De jure in genere.....	119
Propositio.	<i>Hominum jura æqualia non sunt: omnia tamen jura sunt æqualiter inviolabilia</i>	120
Art. II.	De præcipuis jurium divisionibus.....	122
Propositio.	<i>Esse jura quædam homini congenita, manifestum est</i>	ib.
Art. III.	De rerum externarum dominio.....	125
Prop. I.	<i>Si purum jus naturæ consideretur, omnia sunt omnibus communia negative, non vero positive; sive homines collective considerentur, sive singillatim</i>	ib.
Prop. II.	<i>Omnium bonorum communione ac distributionem, in humana societate universe constitui posse ac debere, per absurdum affirmatur</i>	127
Prop. III.	<i>Proprietas ab humanis legibus repetenda non est</i>	129
Prop. IV.	<i>Proprietatis jus repetendum primo est a congenitis hominum juribus, accedente occupatione</i>	ib.
Art. IV.	De contractibus.....	131
Prop. I.	<i>Materia contractus debet esse physice possibilis et licita</i>	132
Prop. II.	<i>Personæ paciscentes debent esse habiles ad contrahendum</i>	ib.
Prop. III.	<i>Consensus nec ex errore adhibitus, nec injusto metu extortus sit oportet</i>	133
Prop. IV.	<i>Obligatio ex contractibus orta, ex quatuor potissimum causis deficere potest</i>	134
Art. V.	De jurium defensione per vim.....	ib.
Prop. I.	<i>Ad jus tuendum contra injustum aggressorem, vi uti licet</i>	ib.
Prop. II.	<i>In vi adhibenda contra injustum aggressorem, licet etiam ei damnum inferre, si hoc necesse sit</i>	135
Prop. III.	<i>Injustum vitæ aggressorem occidere licet servato tamen moderamine inculpate tutelæ</i>	ib.

	Pagina.
Prop. IV. <i>Injustum bonorum aggressorem non semper occidere licet, sed solum si agatur 1° de bonis ad vitam necessariis ; 2° de bonis quorum jactura in gravem necessitatem spoliatum dejiceret; servato semper moderamine inculpatæ tutelæ.....</i>	136
Prop. V. <i>Illicitum est honoris vel famæ aggressorem interimere.....</i>	137
Prop. VI. <i>Violentum pudicitiae invasorem occidere licitum est, si meliori medio pudicitiae honos defendi nequit.....</i>	ib. 138
Art. VI. De injuriæ vindicta.....	
Prop. I. <i>Vindicta licita est, si pœna sit illatæ injuriæ proportionata, et ulciscens animus non malum peccantis, sed bonum quod per pœnam ei illatam obtinetur, tanquam finem intendat.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Magno hominum bono, vindictæ exercendæ potestas, in statu civili, supremo imperanti reservata est.....</i>	ib. 139
Art. VII. De duello.....	
Propositio. <i>Duellum jure naturæ prorsus illicitum est.....</i>	140

CAPUT III. — DE SOCIETATE DOMESTICA

Art. I. De societate conjugali.....	145
Prop. I. <i>Natura humanam quidem speciem ad conjugia ineunda obligat, singulos vero homines non obligat, nisi humanæ speciei conservandæ necessitas urgeat.....</i>	146
Prop. II. <i>Polyandria, seu conjunctio simultanea unius feminae cum pluribus viris, naturali juri repugnat.....</i>	147
Prop. III. <i>Polygynia, seu conjunctio simultanea unius viri cum pluribus uxoribus, fini quidem essentiali matrimonii non opponitur, at cum ejusdem naturæ ac proprietatibus non cohæret.....</i>	ib.
Prop. IV. <i>Legitimum conjugium indissolubile est; non ita tamen ut divina auctoritate dirimi nequeat.....</i>	148
Prop. V. <i>Conjugalis societas primatus indiget auctoritate quæ penes virum residet.....</i>	149 150
Art. II. De societate paterna.....	
Prop. I. <i>Parentes ad physicam, intellectualem ac moralem filiorum educationem naturali eoque gravissimo officio tenentur..</i>	151

	Pagina
Prop. II. <i>In societate domestica parentes atque in primis genitor naturalem in filios potestatem obtinent</i>	152
Prop. III. <i>Patria potestas, certos quosdam limites habet, et successive decrescit</i>	ib.
Prop. IV. <i>Officia filiorum erga parentes alia perpetua sunt, alia temporaria</i>	154
Prop. V. <i>Inest filiis jus successionis in bona parentum</i>	ib.
Art. III. De societate herili.....	155
Propositio. <i>Servitus est illicita, si dominus jus sibi arrogat disponendi in proprium commodum de ipsa servi persona; licita vero, si domino solum jus conferat disponendi de servi opera, salvis essentialibus hominum inter se officiis</i>	156

CAPUT IV. — DE SOCIETATE CIVILI

Art. I. De societate in genere.....	158
Propositio. <i>Auctoritas socialis ab ipsa societatis essentia requiritur</i>	159
Art. II. De sociali hominis natura.....	161
Prop. I. <i>Status hominum naturalis non est vita solivaga, silvestris ac belluinae similis</i> ...	ib.
Prop. II. <i>Status belli perpetui omnium in omnes, naturalis esse non potest</i>	162
Prop. III. <i>Homo natura sua socialis est</i>	163
Art. III. De civilis societatis notione.....	164
Prop. I. <i>Societatis civilis origo remota est duplex: amor mutuus et indigentia; proxima vero aliquod factum quod homines stabilibus inter se relationibus conjungat</i> ..	165
Prop. II. <i>Status civilis statui domestico simpliciter praestat</i>	166
Prop. III. <i>Civilis societas naturalis homini dicenda est</i>	168

CAPUT V. — DE POTESTATE POLITICA

Art. I. De politicae potestatis natura.....	170
Prop. I. <i>Potestatis politicae munus est movere cives ad operandum vel ab operando retrahere, prouti requiritur ad finem civilis societatis assequendum</i>	ib.

	Pagina.
Prop. II. <i>Relative illa regiminis forma est optima quæ est legitima.....</i>	172
Art. II. De politicæ potestatis origine.....	173
Propositio. <i>Politica potestas non a sociali contractu, sed a Deo dimanat.....</i>	174
Art. III. De politicæ potestatis subjecto.....	176
Prop. I. <i>Subjectum in quo residere debeat politica potestas, aliquo facto determinatur. Hoc autem factum non est necessario multitudinis consensus, sed ut plurimum est jus aliquod præexistens.....</i>	ib
Prop. II. <i>Potestas civilis potest injuste possideri....</i>	179
Prop. III. <i>Qui imperandi potestate abutitur obligandi quidem vi caret, quotiescumque præcipit aliquid quod in se sit evidenter inhonestum; sed auctoritatem non amittit, nisi abusus sit ejusmodi qui ipsum possessionis titulum destruat....</i>	180

CAPUT VI. — DE POLITICÆ POTESTATIS JURIBUS

Art. I. De potestate legifera.....	182
Prop. I. <i>Ad societatem civilem recte administrandam præter legem naturalem, necessariæ sunt leges civiles.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Legum condendarum jus ad politicam potestatem pertinet.....</i>	183
Prop. III. <i>Leges civiles, si justæ sint obligationem moralem inducunt.....</i>	ib.
Prop. IV. <i>Princeps suas leges servare tenetur.....</i>	ib.
Prop. V. <i>Quæ sit apta civilium legum materia, ex civilis societatis natura ac fine colligendum est.....</i>	184
Prop. VI. <i>Omnes legis essentielles proprietates, seu conditiones ad legis valorem requisitæ, reduci possunt ad hanc, ut lex justa sit tum ex parte legislatorum, tum ex parte materiæ, tum ex parte subditorum....</i>	185
Prop. VII. <i>Ut leges omni ex parte societatis civilis fini respondeant, oportet ut legislator populi necessitates compertas habeat, ut mediâ adhibenda mature perpendat, utque de eorundem justitia et ipse sit certus et populum securum efficiat.....</i>	186
Art. II. De potestate executiva.....	ib.
Prop. I. <i>Ut recta sit gubernandi ratio, princeps uti debet, secundum quod adjuncta postulant, iis omnibus mediis, quibus homines juxta humanæ naturæ modum moveri honeste possunt.....</i>	187

	Pagina.
Prop. II. <i>Quamvis societatis bonum exigat ut politticarum functionum exercitium diversis personis attribuat, falsum tamen est ipsarum potestatum divisionem necessariam esse aut sufficere, ad tyrannidis periculum avertendum.....</i>	189
Art. III. De potestate judiciali.....	190
Prop. I. <i>Judiciorum civilium necessitas est manifesta.....</i>	191
Prop. II. <i>Judicia civilia sunt ordinationes obligandi vi præditæ, non mera functio logica aut purus arbitratus.....</i>	ib.
Prop. III. <i>Politica potestatis jus habet, ac proinde officio adstringitur instigendi criminibus debitas pœnas.....</i>	192
Prop. IV. <i>Pœnæ quantitas ex criminis gravitate, qualitas ex delinquentis conditione et adjunctis determinanda est.....</i>	193
Prop. V. <i>Licet supremæ politicæ potestati ipsam capitis pœnam instigare.....</i>	194

CAPUT VII. — DE JURE GENTIUM

Art. I. De jure gentium generalim.....	198
Prop. I. <i>Gentes inter se mutuis officiis ac juribus naturaliter devinciuntur.....</i>	199
Prop. II. <i>Quamvis gentium universalium societas adhuc non sit constituta, hæc tamen societas in naturæ intentione fuisse existimanda est.....</i>	200
Art. II. De gentium juribus et officiis.....	201
Prop. I. <i>Fundamentum omnium jurium et officiorum quæ inter gentes existunt, est officium quo homines sese invicem diligere tenentur.....</i>	ib.
Prop. II. <i>Congenita gentium jura æqualia sunt, acquisita nequaquam.....</i>	203
Prop. III. <i>Jura nationum congenita ad tria hæc revocari possunt ad jus sui conservandi, sui perficendi ac libere agendi.....</i>	ib.
Art. III. De bello.....	205
Prop. I. <i>Bellum non est ex se pravum, sed potest juste geri.....</i>	206
Prop. II. <i>In bello gerendo ea solum licent juste bellantibus, quæ inimicum ab injuria inferenda cohibere, vel ad eam reparandam compellere possunt, aut quæ saltem ad eam ulciscendam ex æquitatis</i>	

	Pagina.
	<i>norma existimantur necessaria; dummodo hæc in se prava aut injusta non sint</i>
Prop. III.	208
	<i>Victoria ex se nullum jus præbet, sed obstacula tollit, quæ justum bellatorem impediabant quominus jus suum prosequi posset</i>
	209



74964

Biblioteca Episcopal de Barcelona



1303000017492

BIBL. CARMELITARUM EXC.

TARRACONÆ

Sectio

10

Pluteus

II

Numerus

12

Codex auctorum

1124

